


This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:


+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Digitized by Google

BCU - Lausanne



Digitized by Google

V — 434

Digitized by Google

Digitized by Google

PHILOLOGUS HEBRÆO-
MIXTUS,

UNA CUM

SPICILEGIO PHILOLOGICO,

CONTINENTE

Decem quæstionum & positionum præcipuè Philologico-Hebraicarum & Judaicarum Centurias.

AUCTORE

JOHANNE LEUSDEN,

Philosophiæ Doctore, & Linguæ Sanctæ in Academiâ Ultrajectinâ Professore Ordinario.

EDITIO QUARTA,

Iterum Figuris æneis ornata, & jam Argumentis, singulis Dissertationibus præpositis, aucta.

Additus, Bibliothecæ Studiosorum Academiæ Lausannensis Questore Pictet





BASILEÆ,

Apud E. & J. R. THURNISIOS, Fratres.

M DCC XXXIX.

Digitized by Google

R0032G3725
Don 57414

Digitized by Google



ALLOQUUTIO
AD
BENEVOLUM LECTOREM.

JAm quadragesimus octavus annus diu præteriit, ex quo ad publicam linguæ Sanctæ professionem fui vocatus. Spartam, quam nactus fui, hactenus privatis & publicis lectionibus, disputationibus, & libris quibusdam editis, ad Textum Hebræum Veteris Test. benè intelligendum & explicandum necessariis, exornare conatus fui. Quia exemplaria hujus PHILOLOGI HEBRÆO-MIXTI *diu distracta erant, tertia vice de novo eum prelo subjeci, & iterum Figuris æneis ornavi; & ad exemplar Philologi Hebræi & Græci etiam Argumenta singulis dissertationibus præposui, uti in aliis Philologis feceram. Voco hunc Librum* Philologum: *quia erit instar vivi Philologi, qui tanquam Magister Te quæstiones Philologicas docebit;* Hebræo-Mixtum *nomino: quia continet non tantum quæstiones Hebraicas, sed etiam miscellaneas, quæ tamen aliqualem respectum ad linguam Hebraicam habent. Ordo, quem hîc observo, est arbitrarius. Prius ago de quibusdam S. Scripturæ Translationibus; deinde de*

Talmude & Scriptis Rabbinorum; postea de diversis Personis, quæ Rempubl. Judaicam constituerunt; deinceps ago de Nummis & Ponderibus, de Mensuris Cubicis, de Mensuris Intervallorum & Temporum; denique tracto materiam de Sanhedrin, & de Pœnis tam capitalibus quam non capitalibus inter Judæos usitatis. Cum primâ vice hunc Philologum-Mixtum ederem, nondum editus erat Philologus Græcus: & propterea non potui tunc eum per capita Spicilegii Philologici benè distribuere; quod jam secunda & tertia vice feci in initiis Capitum 36, 37, 38, 39, 40, 41. & 42. *& propterea in illis Capitibus videbis aliqualem mutationem.*

Nuperrimè edidi per Wetstenium triplicia Nova Testamenta Græca; scil. sola Græca, Græco-Latina cum Versione Ariæ Montani, & Græco-Belgica cum Versione Belgica, omnia per columnas, correctissima & nitidissima in 12°. *cum asteriscis & notulis, denotantibus omnes voces totius Novi Test. sive semel sive sæpius occurrentes. Hæc Testamenta Græca sunt ejusdem formæ & magnitudinis cum Bibliis Hebraicis non punctatis, quæ curavi imprimi Francofurti ad Mœnum per Wustium; quæ propterea simul compingi possunt.*

His Novis Testamentis additur eadem forma & magnitudine COMPENDIOLUM, *continens tum* Catalogum *omnium vocum Græcarum, quæ diversis notulis & asteriscis sunt distincta in Novis Test. Wetstenianis, cum earundem Thematibus; tum etiam* Catalogum Alphabeticum *Græco-Latinum omnium vocum Græcarum totius Novi Test. addita* Distinctione *vocum sive* semel *sive* sæpius *occurrentium, &* Annotatione *omnium locorum Novi Test. in quibus qualibet vox Græca extat. Vale & laboribus meis fave.*

Digitized by Google

INDEX

Dissertationum & Defendentium.

DISSERTATIO. Pag.

DE Versione Vulgata. 1
Cujus defensor fuit *Fredericus Jenelt*, Ultraject. Rector Scholæ Trajectensis ad Mosam; ac præterea director & inspector bonorum Ecclesiasticorum in regionibus trans Mosam. 1656. 3. *Dec.*

II. De Versione Græca LXX. Interpretum pars I. 11
Def. *Joh. Barthol. Elsnerus*, Erfurto-Thuringus, Verbi Divini Minister in Germania. 1657. 7. *Mart.*

III. De Versione Græca LXX. Interpretum pars secunda. 19
Def. *Abrahamus* vander *Voort*, Ultraject. Verbi Divini Minister in Hedichuysen en Erp. 10. *Junii.*

IV. De Versione Græca LXX. Interpretum pars tertia. 27
Def. *Philippus Specht*, Ultraject. Verbi Divini Minister olim in novo Belgio, & jam in pago Outheusden. 17. *Junii.*

V. De Targumim, pars prima. 36
Def. *Nicolaus à Lith*, Amstel-Bat. Philosophiæ & Medicinæ Doctor, ἀλλὰ νῦν ἐν ἁγίοις. 2. *Junii.*

VI. De Targumim, pars secunda. 44
Def. *Simon Lense*, Amstelo-Batav. Verbi Divini Minister Purmerendæ. 29. *Junii.*

VII. De Targumim, pars tertia. 51
Def. *Henricus Flaman*, Ultraj. Olim Verbi Div. Min. in pago Suylen, ἀλλὰ νῦν ἐν ἁγίοις. 30. *Junii.*

VIII. De Pentateucho Samaritano. 59
Def. *Arnoldus Lieranus*, Amstelo-Bat. Verbi Divini Minister in Koedijk. 14. *Novemb.*

Digitized by Google

Index Dissertationum & Defendentium.

DISSERTATIO.

IX. De Versione Syriaca Veteris & Novi Test. 67
Def. *Thomas Cawton*, Wivenho-Brittan. Verbi Divini Minister in Anglia, ἀλλὰ νῦν ἐν ἁγίοις. 14. *Decemb.*

X. De Nova Bibliorum Versione Belgica, pars prior. 76
Def. *Arnoldus Heycoop*, Ultraject. Olim V. D. Minist. in pago de Bilt, ἀλλὰ νῦν ἐν ἁγίοις. 1658. 12. *Maji.*

XI. De Nova Bibliorum Versione Belg. pars poster. 84
Def. *Johannes Gribius*, *Brunissa-Zel.* Philosophiæ & Medicinæ Doctor, ἀλλὰ νῦν ἐν ἁγίοις. 15. *Maji.*

XII. De Talmude, pars prima. 90
Def. *Jacobus Claver*, Ultraject. Olim ut studiosus S. Theologiæ Obiit. 22. *Maji.*

XIII. De Talmude, pars secunda. 101
Def. *Christianus Melder*, Ultrajectin. Philosophiæ Doctor & Ordinarius Matheseos Professor in Acad. Lugduno-Bat. sed ante aliquot annos mundo valedixit. 26. *Maji.*

XIV. De Talmude, pars tertia. 107
Def. *Regnerus Alinc*, Harlemo-Bat. Olim Verbi Div. Min. in pago Noorscher-woud, ἀλλὰ νῦν ἐν ἁγίοις. 27. *Maji.*

XV. De Talmude, pars quarta. 115
Def. *Jacobus Boeye*, Zel. Verbi Divini Minister Ziriczææ in Zelandia. 23. *Junii.*

XVI. De Commentariis Rabbinorum, pars prior. 121
Def. *Johannes* vanden *Bosch*, Amstelo-Bat. Olim Verbi Divini Min. Woerdæ, sed nuper vitam cum morte mutavit 26. *Junii.*

XVII. De Commentariis Rabbinorum, pars poster. 128
Def. *Simon de Buck*, Roterod-Bat. Verbi Divini Minister in India Orientali, ἀλλὰ νῦν ἐν ἁγίοις. 9. *Octob.*

XVIII. De Pharisæis. 138
Def. *Daniel* de *Lobell*, Sylvæ-Duc. Verbi Div. Minister Hagæ Comitis, ἀλλὰ νῦν ἐν ἁγίοις. 13. *Octob.*

XIX. De Sadducæis. 144
Def. *Nicolaus Shepheard*, Roterod:-Bat. Philosophiæ Doctor, & nuper Verbi Div. Min. Medioburgi in Ecclesia Anglicana, ἀλλὰ νῦν ἐν ἁγίοις. 20. *Octob.*

XX. De Hessæis. 149
Def. *Johannes Benthem*, Ultraj. Verbi Div. Minister in pago Thienhoven.

Digitized by Google

DISSERTATIO.
hoven. 30. Octob.
XXI. De Proselytis. 154
Def. *Laurentius Hogentoren*, Goesa-Zel. Verbi Div. Min. in pago Henykenzand, ἀλλὰ νῦν ἐν ἁγίοις. 16. *Martii* 1659.
XXII. De Nasiræis & Rechabitis. 161
Def. *Martinus Soermans*, Worcom-Bat. Verbi Div. Minister in pago Gaudriaen. 27. *April.*
XXIII. De Scribis & Herodianis. 166
Def. *Johannes Baucardus*, Ward-Bat. Olim Verbi Div. Min. in pago Velthoven, ἀλλὰ νῦν ἐν ἁγίοις. 4. *Maji.*
XXIV. De Regibus Judæorum, pars prima. 171
Def. *Cornelius Taets*, Rhenens. nuper Verbi Div. Min. in Wajenoy, & jam in Ouwerkerk. 14. *Maji.*
XXV. De Regibus Judæorum, pars secunda. 176
Def. *Henricus Noltbenus*, Bommenedanus. Olim Verbi Div. Min. in pago Beyerlant, ἀλλὰ νῦν ἐν ἁγίοις. 22. *Junii.*
XXVI. De Regibus Judæorum, pars tertia. 183
Def. *Henricus Rhee*, Batavo-Duranus, Verbi Divini Minister Culemburgi. 25. *Junii.*
XXVII. De Summo Pontifice. 190
Def. *Petrus* vanden *Velden*, Hanovia-Wedder. Verbi Divini Minister in Ecclesia Belgica, quæ est Hanoviæ. 23. *Nov.*
XXVIII. De Nummis & Ponderibus in S. Script. usitatis, pars prima. 200
Def. *Henricus* ten *Brinck*, Wilnens-Traject. Verb. Divini Minister in pago Wilnis. 26. *Novemb.*
XXIX. De Nummis & Ponderibus, pars secunda. 209
Def. *Adolphus Plaan*, Ultraject. Verbi Divini Minister in pago Deursen. 30. *Novemb.*
XXX. De Nummis & Ponderibus, pars tertia. 214
Def. *Johannes* vander *Hagen*, Eyndhov.-Brab. Verbi Divini Minister in pago Waspick, ἀλλὰ νῦν ἐν ἁγίοις. 3. *Decemb.*
XXXI. De Mensuris Cubicis Veteris & Nov. Test. 219
Def. *Laurentius Hartong*, Grævecord. Olim Verbi Divini Minister in pago Nieulant, ἀλλὰ νῦν ἐν ἁγίοις. 23. *Febr.* 1660.
XXXII. De Mensuris intervallorum V. & N. T. 225
Def. *Hermannus* à *Beek*, Ultraject. Verbi Divini Minister in India Orien-

Digitized by Google

DISSERTATIO.
Orientali, ἀλλὰ νῦν ἐν ἁγίοις. 29. *Febr.*
XXXIII. De Mensuris Temporum Vet. & Nov. Test. 230
Def. *Johannes* à *Raesvelt*, Gendringa-Gelr. Verbi Div. Min. in pago Echtelt. 22. *Junii.*
XXXIV. De anno & Sabbatho. 235
Def. *Johannes Beverlant*, Lilloô-Brab. Verbi Divini Min. in pago de Oudeman, ἀλλὰ νῦν ἐν ἁγίοις. 20. *Octob.*
XXXV. De Sabbatho. 248
Def. *Melchior Veeris*, Amstelo-Bat. Verbi Divini Minister in pago Assendelft. 27. *Octob.*
XXXVI. De Sabbatho. 255
Def. *Conradus* à *Bourwal*, Amstelo-Bat. S. Sancti Ministerii Candidatus. Obijt. 31. *Octob.*
XXXVII. De Noviluniis & Paschate. 263
Def. *Abrahamus Hovius*, Enchusa-Bat. Olim Verbi Div. Min. Sturijs (Staveren) ἀλλὰ νῦν ἐν ἁγίοις. 14. *Nov.*
XXXVIII. De Paschate. 273
Def. *Assuerus Schalkenius*, Harlemo-Bat. Verbi Div. Minister in pago Crommeniedijck. 21. *Novemb.*
XXXIX. De festo Pentecostes & Tabernaculorum. 292
Def. *Jacobus Schuylenborgh*, Amstelo-Bat. Verbi Divini Minister Leovardiæ. 28. *Novemb.*
XL. De Festo Expiationis, Purim & Encœnior. 301
Def. *Isaacus Huismannus*, Gouda-Bat. Verbi Divini Minister in India Orientali. 1. *Decemb.*
XLI. De Anno Sabbathico & Jubilæo. 307
Def. *Cornelius* de *Kranckel*, Woudrichem-Bat. Verbi Divini Minister in pago Veen. 6. *Mart.* 1661.
XLII. De Idolis Veteris Test. pars prima. 311
Resp. *Simon* van *Hamerstede*, Berg-op-Zoom-Brab. Verbi Divini Min. in pago Dongen prope Bredam. 22. *Maji.*
XLIII. De Idolis Veteris Test. pars secunda. 319
Resp. *Petrus Tvenius*, Hensbroekensis, Verbi Divini Min. in pago Dijl; jam in pago Hauwert, in Noorthollandia. 25. *Maji.*
XLIV. De Idolis Vet. Test. pars tertia. 326
Resp. *Joachimus* ab *Hoornenburgh*, Amstelo-Bat. Verbi Divini Minister in pago ...... 29. *Maji.*

XLV. De

Digitized by Google

DISSERTATIO.
XLV. De Idolis V. Test. pars quarta. 333
Resp. *Johannes Basseliers*, I.F. Mediob.-Zel. Verbi Divini Min. in Surigname, ἀλλὰ νῦν ἐν ἁγίοις. 12. *Jun.*
XLVI. De Synedriis Hebræorum. 339
Resp. *Dionysius Denyssen*, Amstelo-Bat. Verbi Divini Minister Harlemi. 19. *Junij.*
XLVII. De Pœnis Capitalibus. 345
Resp. *Arnoldus* de *Graef*, Neder-Hemert Gelr. Verbi Divini Minister in pagis Ethen & Drongelen. 22. *Junij.*
XLVIII. De Pœnis non capitalibus, pars prior. 351
Resp. *Ezechiel* à *Domburch*, Ultraject. Olim Verbi Div. Minister in Westbroeck, ἀλλὰ νῦν ἐν ἁγίοις. 26. *Junij.*
XLIX. De Pœnis non capitalibus, pars posterior. 357.
Resp. *Godefridus Deys*, Omera Bat. Verbi Divini Minister in pago Ternissen, postea emeritus, ἀλλὰ νῦν ἐν ἁγίοις. 3. *Julij.*
L. De Pœnis Ecclesiasticis Judæorum. 362
Resp. *Gerardus Blotenburch*, Woudenbergens. Verbi Divini Minister Amersfurti. 30. *Novemb.*

** SPICILE-

Digitized by Google

SPICILEGIUM
HOC
PHILOLOGICUM

Defenderunt hi sequentes.

I. *Theodorus* à *Lathem*, Doesburgo-Gelrus. Jam fungitur Politica functione Zutphaniæ. 12. *Nov.* 1662.

II. *Franciscus Covijn*, Lillo-Brabant. Verbi Divini Minister..... 29. *Novemb.*

III. *Hermannus Specht*, Ultrajectinus. Verbi Divini Minister in India Orientali, in urbe quæ vocatur Columbo, ἀλλὰ νῦν ἐν ἁγίοις. 6. *Decemb.*

IV. *Balthasar Schuylenborgh*, Amstelo-Bat. Obiit studiosus. 25. *Febr.* 1663.

V. *Guilielmus* van *Rhijn*, Ultraject. Verbi Divini Minister Arnhemii. 11. *Mart.*

VI. *Johannes Munckerus*, Meppelo Drent. Verbi Divini Minister..... 1. *April.*

VII. *Leonardus Twechius*, aliàs *Groenewegen*, Leckerkerka-Batav. Verbi Divini Minister Amstelodami ἀλλὰ νῦν ἐν ἁγίοις. 2. *Maij.*

VIII. *Lucas Bosch.* ab *Osch*, Culemburgo-Culemburgus, olim Verbi Div. Minister in India Orientali, in urbe quæ vocatur Nagapatan, jam in pago Everdingen prope Culumburgum. 26. *Junij.*

IX. *Daniel le Roy*, Medioburgo-Zelandus. Verbi Divini Minister Roterodami 1682. 14. *Junij.*

LOCA

Digitized by Google



LOCA
SACRÆ SCRIPTURÆ

Vindicata & quoadammodo illustrata.

Liber.	*cap.*	*verf.*	*pag.*
Gen.	4.	26.	312.
	30.	11.	338.
	49.	10.	42.
		26.	164.
Exod.	16.	36.	220.
Levit.	12.	29.	324.
	20.	2, 3.	318.
Num.	3.	39.	134.
	10.	26.	310.
	23.	28.	332.
	25.	2.	333.
Deut.	17.	16-21.	183. & seq.
1 Sam.	2.	36.	210.
1 Reg.	11.	3.	186.
		5.	334.
2 Reg.	1.	2.	335.
	6.	25.	220.
	17.	30.	320, & 321.
		31.	ibid.
	19.	37.	323.
2Chron.	4.	5.	

Liber.	*cap.*	*verf.*	*pag.*
concil. cum 2Reg. 7: 26.			288.
Jes.	37.	38.	323.
Ezech.	8.	14.	324.
Amos.	5.	26.	ibid.
Matth.	6.	24.	202.
	10.	29.	215.
	11.	11.	127.
	16.	3.	142.
		14.	ibid.
		19.	127.
	17.	27.	216.
	19.	24.	135.
	23.	5.	129.
	26.	15.	204.
		30.	282.
Marc.	10.	23.	135.
	12.	42.	214.
	13.	35.	233.
	14.	1.	199.
	15.	25. concil. cum Joh. 19: 14.	233.

Loca S. Scripturæ Vindicata & quodammodo Illustrata.

Liber.	*cap.*	*verſ.*	*pag.*
Luc.	3.	2.	199.
	7.	44.	281.
	16.	9.	202.
	21.	2.	214.
	19.	14. concil. cum Marc. 15:25.	233.
1 Cor.	7.	18.	129.
	16.	22.	ibid.
2 Cor.	11.	24.	358.
2 Tim.	3.	8.	134.
Apoc.	6.	6.	222.



PHILO-

Digitized by Google



PHILOLOGI HEBRÆO-MIXTI
DISSERTATIO PRIMA DE
VERSIONE VULGATA.

I. *Ratio datur quare Versio Latina vocetur Vulgata.*
II. *Auctor Versionis Vulgatæ inquiritur, & probatur Hieronymum ejus non esse Auctorem.*
III. *Versio illa non est authentica & infallibilis, nec Concilium Tridentinum potuit eam Versionem canonizare.*
IV. *Rationes duæ dantur quare Concilium Trid. eam versionem canonizaverit.*
V. *Causæ proferuntur quare tot vitia, etiam Grammaticalia, in Versionem Vulgatam irrepserint.*

SECTIO I.

DE Versione Latinâ Pontificiorum, quam Possevinus *Biblioth. l.* 2. *c.* 8. vocat *columnam veritatis & portum, ad quem unusquisque ex tot discrepantium versionum fluctibus appellere debeat*, variæ quæstiones moveri possunt.

Primò quæritur. Quare Versio Latina Pontificiorum vocatur *Vulgata* Versio?

Resp. Temporibus Gregorii in Ecclesiis duæ versiones Latinæ præcipuè fuerunt usitatæ, scil. Antiqua & Nova. Prior erat antiqua versio Latina, aliàs vocata ab Augustino Itala & ab Hieronymo Vulgàta. Hæc translata fuit, ut putatur, ex Versione Græcâ LXX. Interpretum; sed à quo auctore nescitur, Posterior nova Versio Latina fuit translata ab Hieronymo ex Textu Hebræo: & propterea nonnullæ Ecclesiæ hanc posteriorem

majoris

majoris faciebant: sed è contrà aliæ Ecclesiæ propter antiquitatem præferebant Versionem Antiquam; & sic duplex illa Versio lites quasdam nonnunquam excitabat: sed ex illis duabus Versionibus postea una tantummodo facta est, quæ *Communis* sive *Vulgata* fuit appellata; quia hæc omnibus Ecclesiis fiebat communis: & propter hanc causam Versio Pontificiorum vocatur *Vulgata*. Sed subsequentibus seculis eadem Versio incuriâ Scribarum & injuriâ temporis varia contraxit vitia: nam nullo modo videtur verosimile talem Versionem, qualis hodierna est, vel ita fuisse laudatam ab antiquis Patribus, vel fuisse compositam ab Hieronymo, linguarum Latinæ, Hebrææ & Græcæ scientissimo. *Vide plura infrà in 2. quæst. ex Baronio.*

II. *Secundò quæritur.* Quis est Auctor Vulgatæ Versionis?

Resp. Variæ hâc de re sunt sententiæ inter ipsos Pontificios.

1. Quidam ex Pontificiis absolutè Versionem Vulgatam Hieronymo adscribunt; inter quos sunt *August. Steuchus Eugubinus*, *Masius* Præfat. in Jos. *Petrus Sutor*, aliique.

2. Alii ex Pontificiis absolutè negant hanc Versionem Hieronymo esse tribuendam. Hanc sententiam defendunt *Pagninus* Gramm. Hebr. *Driedo*, & plurimi alii. Etiam hos sequuntur Reformati Theologi, *Perkinsius*, *Sixtinus Amama*, & plerique alii.

3. Nonnulli asserunt Auctorem Vulgatæ Versionis planè esse ignotum. Hoc asserit *Galat. de arcanis Relig. Christ.* p. 286. b.

4. Alii statuunt Vulgatam Versionem non esse ab uno Auctore compositam, sed esse mixtam ex diversis versionibus. Ipse *Bellarminus* de Verbo Dei lib. 2. cap. 11. hoc affirmat, cùm ait: *Vulgata Editio non est unius Auctoris; sed quædam habet ex Hieronymo, quædam ex Luciano, quædam ex Theodotione, quædam ex alio quodam innominato: stultum autem videtur dicere, Theodotionem hæreticum non potuisse errare, & etiam Hieronymum nusquàm errasse, cum ipse in Cap. 19. Isaiæ dicat se errasse, & Ecclesia correctionem ejus receperit.*

5. Alii volunt hanc Versionem esse conflatam. 1. Ex Veteri Latinâ Italâ sive Vulgatâ Versione, translatâ ex Versione Græcâ 70. Interpretum. Hanc Hieronymus dicitur emendasse. 2. Ex Hieronymi Versione, quam ex fonte Hebræo transtulit. Hanc sententiam multi ex Reformatis & Pontificiis calculo suo approbant. *Baronius* ad Annum Chr. 231. S. 48. plenius historiam hujus rei enarrat, quando ait: " Accidit Gregorii tem-
" pore ut quoniam duæ simul vulgatæ editiones Vetus & Nova, dissensio-
" num ac contentionum interdum ministrarent occasionem; in diversa stu-
" dia-

Digitized by Google

„ dia fideles eâ in re diſtraherentur ab invicem, dum alii Veterem, No-
„ vam alii ſequerentur, turbas cieret, alteramque defendens, in alteram
„ minùs dignè inveheretur; eſſetque ea diverſitas veluti ſeminarium jur-
„ giorum, ac turpem ederet Eccleſiæ faciem. Sed divino afflante Numi-
„ ne proviſum eſt, optimèque conſultum, ut ad Eccleſiaſticum commu-
„ nem uſum una ex duabus, quæ uſui omnibus eſſet Eccleſiis, conflare-
„ tur, quæ *Communis* omnibus atque *Vulgata* uno nomine à cunctis dice-
„ retur, exploſâ illâ Veteris & Novæ nomenclaturâ. „ Hanc ſententiam etiam probat Præfatio, quæ Bibliis Clementis VIII. præfixa eſt, cum ait: *Verſionem eam partim ex Hieronymi translatione vel emendatione, partim ex Italâ mixtam eſſe.* Ut ut ſit, ſaltem hoc eſt veriſſimum, hanc Vulgatam Verſionem non eſſe illam quam ipſe Hieronymus ex Textu Hebræo tranſtulit, vel quam ſecundùm Textum Græcum emendavit, quæ aliàs vocatur Itala Verſio, ſed eſſe mixtam ex his duabus, & procul dubio etiam ex aliis verſionibus quædam eſſe immixta. Rationes quibus ſententiam noſtram probamus, ſunt hæ ſequentes:

Ratio I. Verſio Vulgata non eſt Hieronymi Verſio: quia illa olim, uti ipſe teſtatur in præfat. in Pentat. fuit Textui Hebræo conformis: ſed Verſio Vulgata infinitis ferè in locis differt à Textu Hebræo. Sumatur enim quæcunque Verſio, ſive Antiqua, quæ ante Concilium Tridentinum prodiit: ſive illa, quam edidit Anno 1590. Papa Sixtus V. ſive alia, quam biennio pòſt Clemens VIII. correctis quamplurimis mendis in Sixti V. Editione, in lucem emiſit. Multa exempla non adferam, unum atque alterum in medium protuliſſe ſufficiat. In antiquis Bibliis, editis Anno 1497. *Geneſ.* 4: 8. hæc verba (*Egrediamur foras*) ſunt addita, quæ tamen in Textu Hebraico non habentur. In Sixti V. Bibliis 1 *Sam.* 4: 9. habetur *Nobis*; in Hebraicis verò *Vobis.* 2. *Chron.* 25: 5. in Sixti Bibliis habetur *triginta millia*; in Hebraicis verò, & Clementis VIII. *trecenta millia.* Similiter *Pſal.* 137: 9. habetur *parvulos ſuos*, cum Hebraicè habeatur *parvulos tuos.* Centena ferè talia loca poſſent adferri; ſed eadem vide citata in *Antib. Bibl. Amama lib.* 2. *cap.* 10. Hæc tamen Biblia ipſe Papa Sixtus V. qui aliàs, ut putant, non poteſt errare, propriâ ſuâ manu correxit. Clemens VIII. videns hæc antedicta vitia cum ipſo fonte non convenire, in ſuâ Editione, illa, ut plurima alia, correxit: ſed è contrà, ubi Sixtus benè Textum Hebræum expreſſerat, ibi nonnunquam Clemens in ſuâ Editione illam lectionem depravavit. In genere tamen Verſio Clementis multo præſtantior & correctior eſt Verſione Sixti. Attamen quod Clemens verſionem Sixti aliquando corruperit, apparet ex *Ezech.* 14: 22. ubi Sixtus V. juxta Textum

Digitized by Google

Hebræum habuit *egredientur*, ibi Clemens substituit *ingredientur* contra Textum Hebræum, Chaldæum & Græcum. Ex his paucissimis allatis exemplis videmus, quanta sit inter Textum Hebræum & Vulgatas Versiones differentia: ergò Hieronymus earum non est Auctor: nam illa Versio, testantibus *Sixto Sen.* Bib. S. p. 667. aliisque multis Auctoribus, fuit Textui Hebræo conformis: sed hoc nec antiquis Edit. Latinis, quæ adhuc extant, nec etiam hodiernis competit: ergò nulla ex illis præcisè ab Hieronymo est composita. Prætereo adhuc octo vitiorum millia, quæ Isidorus Clarius Brixianus in Versione Vulgata observasse & emendasse dicitur; uti ipse testatur in Præfatione Bibliis suis præfixâ.

Ratio 2. Versio Vulgata multa continet, quæ reprehendit Hieronymus, & quæ aliter vertenda esse judicat in quæstionibus Hebraicis, & in libro de optimo genere interpretandi: ergò Hieronymus non videtur ejus Versionis esse Auctor: nam ille, uti videtur, propriam versionem non castigasset.

Ratio 3. Quia plurimùm differt à versione illâ Latinâ, quæ in Operibus Hieronymi invenitur: ergò Hieronymus Vulgatæ Versionis non videtur esse Auctor.

Ratio 4. Sed quid multis hoc probo contra Pontificios, plurimi ex illis nostram sententiam etiam defendunt, uti suprà vidimus. Imo pudere debet Pontificios, contrariæ sententiæ patronos, quòd versionem tam absurdam, & tot solœcismis scatentem, Hieronymo, Latinæ linguæ peritissimo, adscribant. Duo tantum exempla proferam ex antiquâ Edit. suprà allegatâ: *Psal.* 67: 21. dicitur: *Benedictus Dominus* NB. *die quotidie* & *Matth.* 6: 30. *Nonne vos* NB. *magis pluris estis illis*? Quis sanæ mentis judicabit hæc ab Hieronymo, viro tam docto, ita fuisse translata?

Secundò. Versio hodierna etiam non est Itala ista Versio, à Patribus ita celebrata: quia Itala Versio erat adstrictior ad verba, quæ in fontibus extant, & sententiam clariùs interpretabatur, testante *August. lib.* 1. *de doctrin. Christ. cap.* 11. Ex his concludimus Versionem Vulgatam præcisè nec esse Hieronymi Versionem, nec etiam illam antiquam Italam, sed esse mixtam partim ex illis duabus Versionibus, partim fortassè etiam ex aliis Versionibus Latinis, translatis ex Textu Græco, vel ex Textu Symmachi, Aquilæ, Theodotionis, aliorumque.

III. *Tertiò quæritur.* An Versio Vulgata est authentica & infallibilis? Atque an major ejus est auctoritas quàm Textûs Hebraici?

Resp. Negando. Versio Vulgata non habet auctoritatem infallibilem, nec ea etiam semper illi fuit adscripta. Alia enim fuit ejus auctoritas ante Concilium Tridentinum, quod celebratum fuit Anno 1545. alia ejus auctoritas

Digitized by Google

ctoritas post idem Concilium. Ante illud Concilium nemo Pontificiorum unquam fuit; qui vel auctoritatem infallibilem, vel absolutam fidem illi Versioni tribuit; sed unicuique licitum fuit tali Versione uti, quali uti volebat. Nam 1. Ante Concilium Tridentinum Versio Vulgata nullo Concilio, vel nullis Patrum suffragiis unquam fuit pro infallibili judicata.

2. *Joh. Driedo* in recapit. lib. de script. Eccl. ait: "Non oportere damnare, aut à communione separare, tanquam hæreticos, eos, qui ex Scripturis Sacris, in suo fonte editis, asserunt, in Textu Latino quædam posse corrigi, neque Hieronymum voluisse translationem suam Ecclesiæ dare, tanquam authenticam atque divinam, in omnibus sic consonam Sacræ Scripturæ, quippe qui diversis in locis arbitrio lectoris relinquit, si sic vel aliter velit interpretari."

3. E contrà, quia Versio Vulgata tot scatebat vitiis, diversi Pontifices alias Latinas Versiones approbarunt. Leo X. approbavit Versionem Novi T. ab Erasmo ordinatam, & Clemens VIII. novam Psalterii interpretationem à Cajetano factam. Et si Versio Latina pro infallibili fuisset judicata, non fas fuisset Pagnino, Lucensi Concionatori Apostolico, novam adornare versionem, eamque Anno 1528 in lucem edere. Sed quia ille sub auspiciis Leonis X. qui etiam sumtus fecit, versionem novam adornavit; ideo ille Papa antiquam versionem pro authenticâ non agnovit. *Vide plura in Thes. Philol. Hottingeri* l. 1. c. 3. §. 3.

Post Concilium Trident. longè major fuit Vulgatæ Versionis auctoritas propter decreta, quæ illud Concilium de Versione Vulgatâ decrevit. *Sessione* 4. *decreto* 1. sic ajunt: "Si quis libros ipsos integros, cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in Veteri Vulgata Latina Editione habentur, pro sacris & canonicis non susceperit, anathema sit." *Et decreto* 2. *ita pergunt:* "Insuper eadem S. S. Synodus considerans, non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus Latinis Editionibus, quæ circumferuntur, sacrorum librorum, quænam pro authentica habenda sit, innotescat, statuit & declarat; ut hæc ipsa Vetus & Vulgata Editio, quæ longo tot seculorum usu, in ipsâ Ecclesiâ probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus pro authenticâ habeatur, & ut nemo eam rejicere quovis prætextu audeat vel præsumat." Hæc sunt verba Concilii Trid. de Versione Vulgata. Quia verò verba illa sunt ambigua, ideo inter ipsos Pontificios magnæ lites de vero horum decretorum sensu sunt motæ. Quidam in carcerem sunt conjecti, unde sententiam suam explicare debuerunt. Ferè quot capita tot fuerunt sententiæ de genuinâ interpretatione horum decretorum.

Digitized by Google

Primò. Quidam hæc decreta ita exposuerunt, ác si Concilium voluisset innuere Versionem Vulgatam esse integram, mysterii plenam, omnis erroris immunem, & eandem non tantùm aliis versionibus, sed etiam ipsis fontibus esse longè præferendam: quia putabant quod Patres illius Concilii judicarint Interpretem Versionis Vulgatæ ita Spiritu S. fuisse directum, ut non potuerit errare. Audiamus hac de re *Melchiorem Canum* de Locis Th. 2. 14. ubi sic ait: *Aut Veterem Interpretem, Spiritûs S. peculiari dono, sacras literas convertisse, aut saltem habuisse Spiritum quendam prophetico vicinum.* Et *Gretzerus* defens. Bellarm. l. 2. cap. 10. ait: Interpretem fuisse directum ut *nusquam* è mente Spiritûs S. aberraret.

Secundò. Alii ajunt, quòd Concilium judicarit hanc Versionem esse authenticam tantummodo quoad dogmata fidei & morum; adeo ut putarint in Versione Vulgatâ nulla esse vitia, quæ fidei & bonis moribus contraria sunt, etiamsi quædam leviora vitia inveniantur: putant enim Concilium tantùm respexisse ad graviora vitia, fidei & bonis moribus contraria. Hanc sententiam defendunt *Bellarminus*, *Bannes*, aliique multi. Plurimæ sententiæ, explicantes mentem illorum decretorum, possent, nisi brevitati studeremus, adhuc adferri; sed qui eas desiderat, adeat *Thes. Phil. Hottingeri loc. cit.* Explicatio illorum decretorum inter cæteros vexavit multos Hispanos Theologos, benè de sede Pontificiorum aliàs meritos, ut nonnulli ex eis propter diversam interpretationem sint in carcerem conjecti, unde etiam sententiam suam debuerunt defendere.

Ut ut sit, decreta illa sunt irrita, absurda & falsa. Rationes sunt hæ sequentes.

1. Versio Vulgata non est authentica, quia nec Propheta, nec Apostolus, nec ullus alius, infallibili Spiritu ductus, eam composuit. Atqui hoc requiritur ad authenticam Editionem: nam quod à fallibilibus auctoribus conscriptum est, hoc authenticum & infallibile esse nequit.

2. Quia Concilium Versionem Vulg. Anno 1546. canonizavit, quæ demum longo tempore pòst emendatissima (delegatis 7. viris, qui emendationi præessent, quod tamen nunquam factum est) prodiret. Canonizavit Versionem infinitis ferè scatentem vitiis, quæ demum Anno 1590. post 44 annos à condito decreto emendatior in lucem emissa est à Sixto V. Sed illa adhuc infinitis ferè scatebat vitiis. Sixtus V. in sua Vulgatæ Versionis Editione multa omisit. Ex. gr. *Prov.* 25: 24. omissa sunt: *Melius est sedere in angulo domûs, quàm cum muliere litigiosâ & in domo communi.* Sic *Levit.* 10: 9. *Patri matrique maledixit.* Similiter *Matth.* 27: 35. *Judic.* 17: 2, 3. 1 *Sam.* 4: 21. 1 *Reg.* 12: 10. & 2. *Chron.* 2: 10. &c. nonnulla in illis versibus sunt omissa, quæ in Textu Hebræo habentur. Si quis plura exempla

Digitized by Google

pla desiderat, adeat *Antibarb. Biblicum Amamæ* lib. I. cap. 10. Clemens VIII. biennio pòst, scil. Anno 1592. multa quidem vitia in Sixti V. Bibliis correxit; quamplurima tamen reliquit, & è contrà quædam, in Sixti Bibliis emendata, depravavit, uti suprà demonstravimus. Thomas James, Anglus, edidit Londini 1606. Libellum, in quo contulit Editionem Sixti V. & Clementis VIII. & ubique ostendit differentiam inter utramque Editionem; annotatque ubi Clemens addiderit, detraxerit, &c. Ipse *Bellarm.* fatetur in epist. datâ Capuæ 6. Decemb. 1603. ad Fr. Lucam Brugensem, Biblia Vulgata non benè esse correcta, cùm ait: *Scias velim, Biblia Vulgata non esse à nobis accuratissimè castigata; multa enim de industriâ justis de causis præterivimus, quæ correctione indigere videbantur.* Sed quid opus est auctoritatibus stare, cùm ipsa Versio Vulgata satis ostendat disconvenientiam à Textu Hebræo. Suprà quædam vitia attulimus, jam præterea addemus hæc pauca sequentia: *Genes.* 3: 15. in Textu Hebræo est הוא, quod debet transferri per *ipsum* scil. semen mulieris, vel per *ipse* scil. Christus; non vero per *ipsa*. Illud הוא est mascul. gen. quia respicit ad זֶרַע *semen*. Deinde verbum יְשׁוּפְךָ etiam est mascul. generis, ut & Affixum in תְּשׁוּפֶנּוּ: ergò הוא non debet explicari per *ipsa*. Præterea *Genes.* 9: 6. in Textu Hebr. habetur, *Qui effundit sanguinem hominis, per hominem sanguis illius effunditor.* In Versione Vulgatâ omissæ sunt voces *per hominem*. Adhuc *Deut.* 33: 10. Textus Hebræus habet *docent judicia tua ò Jacob*: Versio Vulgata omisit verbum *docent*. Vide plura exempla in Syntagm. *Polani lib.* I. *cap.* 43. Ex his concludimus, illam Versionem quæ tot scatet vitiis, quæque ab infallibili auctore non est composita, non posse esse authenticam & infallibilem fidei & morum regulam.

IV. *Quartò quæritur.* Ob quas causas Concilium Tridentinum Versionem Vulgatam pro authenticâ canonizavit.

Resp. Causæ illius decreti variæ possunt assignari; sed duas præcipuas tantùm in medium proferemus. Harum *prior* fuit *barbaries* & *ignorantia* linguæ Hebrææ & Græcæ, quæ in initio Reformationis maxima fuit. Reformati nonnunquam in dubium vocabant Versionem Vulgatam, & Pontificios ad ipsos fontes provocabant: sed quia illi ignorantiam suam in illis linguis satis cognoscebant, & ut non opus esset Reformatis hàc in parte satisfacere; ideo canonizàrunt Versionem Vulgatam, & statuerunt eam Textui Hebræo & Græco longè esse præferendam. Hanc supinam ignorantiam linguarum Originalium in ipsis Monachis ipsi Pontificii debuerunt fateri. Vide Hottingeri *Thes. Phil.* pag. 145. Ita scribit Secretarius Pontificis Julii IV, actione primâ oper. Verg. t. I. pag. 12. *Itaque si hi*

(scil.

Digitized by Google

(scil. Reformati) *congrediantur cum nostratibus, multa certè imminebunt pericula. Scis enim tuos Episcopos esse ferè literarum rudes, voluptati autem ac deliciis deditos.* Et qui eas linguas callebat, ferè suspectus erat hæreseos; sic conqueritur eâ de re Episcopus *Claudius Espensæus* in Comm. in 1. ad *Tim.* cap. 3. cùm ait circa Reformationis initia talem linguarum originalium ignorantiam grassatam fuisse, *ut in Latinis auctoribus Græcè nosse suspectum fuerit, Hebraicè propè hæreticum. Canus* Loc. C. p. 59. Auctores Scholasticos laudat, quòd trecentis annis multùm profecerint in hæresibus refellendis per solam Editionem Latinam, & addit, *quippe lingua Græca & Hebraica non habuerunt peritiam. Bellarm.* ingenuè fatetur de V. D. lib. 2. 10. *In conciliis generalibus aut paucissimos aut interdum nullos fuisse lingua Hebrææ peritos.* Egregia sanè laus! Sed quid dico de linguis originalibus? Nec ipsa quidem Biblia Latina, etiam doctissimi inter ipsos, nisi rarissimè, tractabant, *Stephanus* præf. ad Censuram Theol. Paris. 1532. ait: *Ante paucos annos quidam ex Sorbonâ sic loquebatur: miror quid isti juvenes nobis semper allegent Novum T. perdiem, ego plus habebam quàm quinquaginta annos, quod nesciebam quid esset Novum Testamentum.* Carolostadius, postea factus unus ex Reformatoribus, teste Luthero apud *Serar. in Proleg. pag.* 137. non cœpit Biblia legere nisi octavo post impetratum supremum in Theologiâ gradum. *Albertus* Archi-Episcopus Moguntinus, cum Anno 1530. in Comitiis Augustanis Biblia, quæ in mensâ collocata reperiebat, obitèr aperuisset, foliaque eorum quædam perlustrasset, hæc tandem dixisse fertur; *Equidem nescio quid hoc libri sit. Illud video, omnia quæ eo continentur, nobis adversa esse.* Vide de his plura in *Antibarb. Bibl. Amamæ lib.* 1. *cap.* 7.

Posterior causâ hujus decreti hæc fuit. Versio Vulgata multis in locis confirmat fidem Pontificiorum, cùm in Textibus Originalibus ipsorum fides refutetur, & Reformatorum stabiliatur. Hoc apparet, ex. gr. in his sequentibus.

1. Incertitudinem gratiæ probant ex *Eccles.* 9: 1. quia Versio Vulgata habet: *Nescit homo utrum amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta:* Verum hæc in Textu Hebræo non habentur, sed ita dicitur: *Etiam amorem, etiam odium non scit homo*, scil. ex rebus externis.

2. Limbum probant ex *Genes.* 37: 25. *Descendam ad filium meum lugens in infernum:* sed vox Hebræa שאלה in Textu occurrens, debet explicari per *sepulchrum versus.*

3. Statuunt Mosis faciem fuisse cornutam, quia *Exod.* 34: 35. in Versione Vulgatâ dicitur; *Videbam faciem egredientis Mosis esse cornutam*, quum verbum Hebraicum significet *radiare*, sive radios splendoris instar cornuum emittere.

4. Pro-

Digitized by Google

4. Probant ex eadem Versione invocationem Sanctorum, quia dicitur *Genes.* 48: 16. *Et invocetur super eos nomen*, cùm in Textu Hebræo habeatur *nominetur.*

5. Missam ex *Gen.* 14: 18. *Offerens panem & vinum*, quum habeatur in Textu Hebræo & in multis Versionibus Vulgatis *proferens.*

6. Meritum congrui & condigni ex *Gen.* 4: 13. *Major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear.* In Textu Hebræo habetur, *Major est pœna mea quàm ut sustinere possim.* Similiter ex Epist. ad *Hebr.* 13: 16. idem conantur probare: *Talibus hostiis promeretur Deus*; quum Græcè habeatur, *Talibus victimis delectatur Deus.* Vide plura exempla in *Antibarbaro Bibl. Amama* l. 1. c. 7. Ex his videmus, quæ rationes Concilium illud moverint ad canonizandam Versionem Vulgatam.

V. *Quintò quæritur.* Unde tot vitia, etiam nonnulla Grammaticalia, in Versionem Vulgatam irrepserunt?

Resp. Causæ eorum vitiorum multæ possunt assignari, sed præcipuas tantùm enarrabimus. i. e. Quia Vulgata Versio magnâ ex parte translata est ex Græcis quibusdam, etiam malè translatis & corruptis Bibliis; ideo tot vitia in Versionem Vulgatam irrepserunt. Non enim mirum est Versionem illam esse vitiosam, quæ secundùm exemplar corruptum & malè translatum est composita.

2. Biblia Vulgata ita fuerunt corrupta, quia inter Patres, aliosque maxima Linguarum Originalium fuit ignorantia. Duo tantum Patres, Hieronymus scil. & Origenes Hebraicam calluerunt Linguam, cæteri non potuerunt Versionem Latinam secundùm Textum Hebræum corrigere: & propterea vitia, quæ semel ex oscitantiâ, vel data opera in Versionem irrepserant, manserunt; & subsequentibus Seculis plura vitia ex oscitantiâ Scribarum sunt nata. Hæc omnia vitia simul collecta talem absurdam & corruptam Versionem pepererunt.

3. In Versione Vulgata etiam sunt multi solœcismi; quia inter Monachos & Pontificios superioribus Seculis Lingua Latina nullo modo fuit exculta. Barbarè, & contra regulas Grammaticæ & Syntaxeos Latinæ scribebant & loquebantur. Hinc est quòd Thomas à Kempis dixerit in libello de Imitatione Christi: *Nisi totam Bibliam tenerem extra*, &c. Et quia tales indocti Scribæ sæpe Versionem Latinam exscribebant, & pro libitu suo ei vel aliquid addebant, vel nonnunquam inde aliquid abjiciebant; ideò tales absurdæ loquutiones in eam Versionem sunt introductæ: exempla duo suprà ex *Psal.* 67. & ex *Matth.* 6. attulimus. Postea Erasmus Roterodamus Linguam Latinam in pristinum statum restituit, & Mona-

Digitized by Google

chos meliorem latinitatem docuit. Hinc puduit eos deinceps talis Latini ſermonis quali Verſio Vulgata conſcripta fuit.

4. His vitiis adhuc annumerari poſſet oſcitantia Monachorum in exſcribenda Verſione, & negligentia totius Scripturæ. Monachi rarò S. Scripturam legebant, ſed contenti erant lectione Breviarii. In Templis, ubi Miſſam celebrant, inveniuntur Opera Bernardi, aliorumve auctorum, qui laudes Mariæ deſcripſerunt; ſed Biblia ſunt in Bibliothecis, imo vix in omnibus Bibliothecis, niſi in capſa quadam peculiari, in angulo Bibliothecæ erecta, in qua libri prohibiti recondi ſolent. Nam Biblia à Pontificiis, etiamſi Chriſtus dixerit apud Joh. cap. 5. verſ. 39. *Scrutamini Scripturas*, inter libros prohibitos numerantur. Non mirum ergo, quod parùm curârint Biblia & rectam ejus ſcriptionem vel editionem. Si quis plura de hac Vulgata Verſione deſiderat, adeat *Theſ. Philol. Hottingeri* loco cit. & *Antibarb. Bibl. Amamæ* lib. 1. In hoc poſteriori etiam invenitur Bulla Papæ Sixti V. compoſita Anno 1589. pro Vulgatâ Verſione, quæ parumper ab ipſo emendata fuit. In eodem libro etiam extat Præfatio, quam Clemens VIII. Editioni ſuæ biennio pòſt præpoſuit; in quâ dat rationem, quare multa in Verſione Sixti V. correxerit.

Meus filius Rodolphus, degens Pariſiis ad ſcientiam Anatomicam magis perficiendam, inde mihi ſcripſit, ſe vidiſſe in Bibliotheca Regia, Biblia Vulgata, cum Præfatione Sixti V. tribus Tomis diſtincta, magnis literis nitidiſſimè impreſſa, cum hoc titulo:

BIBLIA SACRA *Vulgatæ Editionis ad Concilii Tridentini Præſcriptum emendata, & à* SIXTO V.P.M. *recognita & approbata.*

ROMÆ.

Ex Typographia Apoſtolica Vaticana.
M. D. XC.

DISSER-

DISSERTATIO SECUNDA

Quæ est pars prima

DE

VERSIONE GRÆCA

Vulgò LXX. Interpretum vocatâ.

I. *Meritò numerus* LXX. *vel* LXXII. *Interpretum in dubium vocatur: nam Judæi in hoc numero quærunt mysteria. Origo hujus fabulæ assignatur.*
II. *Tempus adornatæ Versionis exprimitur.*
III. *Ut & Auctores impulsivi, qui tres allegantur.*
IV. *Hæc versio est translata ut Bibliotheca Ptolomæi augeretur.*
V. *Auctores Græcæ Versionis recensentur.*
VI. *Videntur conjuncti & non separati Versionem adornâsse.*
VII. *Tempus* LXXII. *dierum in dubium vocatur.*
VIII. *Consensus Interpretum exsibilatur.*

SECTIO I.

AGgredimur materiam, multis fabularum involucris involutam, scil. de famosâ, & à multis nimiùm laudatâ Versione Græcâ, quæ vulgò Lxx. Interpretum vocari solet. Hæc Versio vocatur Lxx. Interpretum, sumpto numero rotundo pro non rotundo: nam plerique, qui dicunt fuisse Lxx. Interpretes, intelligunt Lxxii. sed brevitatis & facilitatis causâ nominant tantum Lxx. De hâc Græcâ Versione has sequentes quæstiones movebimus.

I. §. 1. *Primò quæritur.* An unquam fuerunt in mundo tales Lxx. vel Lxxii. Interpretes, qui Textum Hebræum Veteris Test. in Linguam Græcam transtulerunt?

Resp. Meritò numerus Interpretum, à Judæis effictus, in dubium vocatur. Prioribus quindecim quidem Seculis vix ullus fuit, qui de hoc Interpretum numero dubitavit: sed postquam nonnulli rationibus magis quàm auctoritatibus totum hoc negotium de numero Interpretum pensitare inceperunt, deprehenderunt hunc Interpretum numerum esse incertum, & auctores de eo non idem statuere; sed verosimile esse hunc nume-

rum à nugacibus Judæis esse effictum. Itaque nos moti quibusdam rationibus, putamus nunquam LXX. vel LXXII. tales Interpretes in mundo fuisse, qui aut simul conjuncti, aut separati talem Versionem adornârunt. Præcipuæ rationes sunt hæ duæ sequentes.

Ratio 1. Numerus hic septuagenarius est excogitatus, vel potiùs effictus à Judæis; sed Judæis loquentibus de hoc numero, non facilè est adhibenda fides. Ratio hæc est: quia Judæi ex hoc numero semper varia, imo plura mysteria elicuerunt, quàm ex ullo alio numero. Et quando numerus auctorum vel rerum est incertus & dubius, tum solent utplurimùm statuere fuisse septuaginta auctores aut res. Quare? Quia Moses jussu Dei 70. Viros, ad סנהדרין *Synedrium maximum* constituendum, convocavit. Ex sequentibus exemplis res fiet clarior. 1. Judæi statuunt Linguam Hebræam tempore ædificationis Turris Babylonicæ fuisse divisam in 70. linguas. 2. Etiam affirmant Gentem illam Hebræam, ita antea conjunctam, in 70. Nationes sive Gentes fuisse divisam. 3. Superstitio in causa est, quare statuant singulos Seniores, in magno Sanhedrin congregatos, calluisse 70. linguas; ne aliquem ex ore Interpretis audire opus haberent: nam 70. Nationum causæ gravissimæ ab illo Sanhedrin judicabantur. Si ergo singuli Seniores non calluissent 70. linguas, cum singulæ Nationes diversimodè loquerentur, per Interpretem debuissent litigantes audire, quod Judæis videtur vergere contra gravitatem illorum Seniorum. Hinc est quod statuant singulos illos viros 70. linguas novisse. 4. Judæi etiam arbitrantur illis 70. Nationibus, à confusione ortis, 70. Angelos fuisse præpositos, qui eas gubernabant, &c. 5. Etiam 70. Angeli dicuntur confusionem 70. linguarum induxisse. *R. Elieser* in suis Capitulis *cap.* 24. ait: קרה הק״בה לשבעים מלאכים הסובבים כסא כבודו ואמר להם באו ונבלבל את לשונם *Vocavit Deus Benedictus LXX. Angelos circumdantes Thronum Gloriæ ejus, dixitque eis: venite, confundamus linguam eorum.* 6. Statuunt Turris Babylonicæ Architectos & Consiliarios fuisse LXX. 7. Denique cùm Deus confusionem linguarum efficeret, affirmant Turrim Babylonicam versùs orientem, & versùs occidentem 70. gradûs fuisse altam. Ex his videmus Judæos semper varia mysteria ex hoc numero septuagenario elicuisse. Quidni idem potuisset factum esse in hoc numero Interpretum assignando?

Ratio 2. Ipsi Judæi in numero horum Interpretum non conveniunt: nam quidam ajunt fuisse 70. alii 72. alii verò tantùm quinque fuisse pro indubitato habent. Etiamsi prima sententia cum secundâ facilè conciliari possit; non video tamen quomodo ultima cum alterutrâ ex præcedentibus

Digitized by Google

bus possit conciliari, nisi dicamus Versionem illam LXX. aut LXXII. Seniorum auctoritate à quinque Interpretibus esse compositam. Josephus *lib.* 12. *cap.* 2. aliquoties ait fuisse 70. Interpretes, qui Legem Ptolomæo transtulerunt; nihilominùs tamen dicit, quòd idem Ptolomæus petierit ab Eleazaro, Judæorum Pontifice, ut idem ex qualibet tribu senos Seniores mitteret ad hoc negotium peragendum: atqui sexies duodecim sunt 72. Hinc apparet, quod prima & secunda sententia ab iisdem auctoribus defendatur; sed tertia sententia non tam facilè cum alterutrâ ex præcedentibus duabus conciliari potest. In Tractatu Talmudico סופרים *de Scribis* dicitur *cap.* 1. *sect.* 8. מעשה בתלמי המלך שכנס שבעים ושנים זקנים והושיבם בשבעים בתים ולא גלה להם על מה כנסם נכנס לכל אחד ואחד מהם אמר להם כתבו לי תורת משה רבכם וכו׳ h. e. *Exemplum in Ptolomæo Rege, qui convocavit* LXXII. *senes, & collocavit eos in totidem ædiculis, cùmque nondum aperuisset eis, quare eos congregâsset, ingressus est ad singulos, dixit eis, scribite mihi Legem Mosis Magistri vestri &c.* Contrarium huic sententiæ habetur in eodem Tractatu, *cap. eod. sect.* 7. ubi Translatio Græca, Ptolomæo facta, vocatur *Opus quinque Seniorum*: מעשה בחמשה זקנים שכתבו לתלמי המלך את התורה יונית והיה היום קשה לישראל כיום שנעשה העגל וכו׳ h. e. *Opus quinque Seniorum, qui scripserunt Ptolomæo Regi Legem Græcè: & fuit dies ille gravis Israëli, sicut dies quo factus est vitulus &c.* Hinc videmus contradicentes Judæorum de numero Interpretum esse sententias, quæ ita conciliari possent, si dicamus Eleazarum Pontificem misisse Regi Ptolomæo ex magno Sanhedrin quinque Seniores, qui hanc Versionem Græcam adornârunt.

§. 2. Sed quare à plerisque dicuntur fuisse LXX. vel LXXII. Interpretes? *Resp.* Quia illi LXX. Viri ex se, sive ex magno illo Concilio deputârunt quinque illos Viros, qui opus actualiter effecerunt. Hæc Versio ergo adscribitur LXX. Senioribus, quia ipsorum auctoritate & jussu adornata est, cùm tamen illi quinque ipsam Versionem effectivè composuerint.

§. 3. *Objiciet* fortasse nonnemo mirum esse, quòd hic Interpretum numerus in dubium vocetur, quum tota Antiquitas, etiam Josephus, Historiographus fide dignissimus, aliique multi affirment fuisse septuaginta Interpretes.

Resp. 1. Tota Antiquitas hoc non affirmat; attulimus suprà locum contrarium ex Talmude, ubi tantum quinque Seniores opus hoc effecisse dicuntur.

2. Judæis, loquentibus de numero septuagenario, non facilè est adhibenda

benda fides; quia, uti ex exemplis suprà allatis apparet, semper multa mysteria ex hoc numero expiscati sunt. Josephus, fide dignus Judæus, hunc Interpretum numerum pro indubitato quidem habet; sed ille deceptus fuit à suis antecessoribus, quemadmodum deceptus fuit in tempore, quo hi Interpretes Versionem hanc adornâssent, scil. spatio 72. dierum. Hoc fabulosum esse postea probabimus. Quidni hoc idem de numero Interpretum ipsi accidere potuisset, quum ferè quadringentis annis post adornatam Versionem vixerit? Præterea nemo ignorat quàm nimis credula fuerit tota Antiquitas. Quomodo unus Papias de Evangelio Matthæi, quasi Hebraicè scripto, totam Antiquitatem fallere potuit? Quid unus Philosophus de pisce Remorâ, ac si magnæ navi remoram injicere posset, non persuasit? Deinde tota hæc fabula de numero Interpretum unius Aristeæ fide & auctoritate nititur. Prætereo multas alias fabulas, quas aliquando unus vel alter toti Antiquitati facillimè imponere potuit; & sic præconcepta aliqua vel recepta aliquandiu opinio fuit instar fabulæ anilis, quæ ex animis hominum, rationum ponderibus, vix eximi potuit.

3. Ex recentioribus quamplurimi sunt, qui Interpretum numerum in dubium vocant: *Zuinglius* Præfat. Comm. in Genes. vocat Versionem Græcam *sive septuaginta*, *sive septem millium Interpretum.* Scaliger numerum Interpretum septuagenarium in *Epist.* 14. explodit, & à Judæis effictum asserit. Hos sequitur *Heinsius* in Aristarcho sacro *cap.* x. Spanhemius *parte* 1. *dub. Evang.* XXIII. *pag.* 166. & multi alii.

§. 4. *Quæret* aliquis: Unde ergo origo hujus fabulæ de numero LXX. Interpretum desumpta est? *Resp.* Heinsius in loco citato originem hujus fabulæ elicit ex *cap.* 24. *Exodi*, *versu* 1, 9. ubi dicitur Moses μετὰ ἑβδομήκοντα πρεσβυτέρων Ἰσραὴλ πρὸς Θεὸν ἀναβεβηκέναι. Et versu 11. sequitur: καὶ τῶν ἐπιλέκτων τοῦ Ἰσραὴλ οὐ διεφώνησεν οὐδὲ εἷς, *Et electorum Israël non dissonuit neque unus.* Ex illis ergo septuaginta Senioribus, septuaginta Interpretes originem habent. Et quia dicitur de illis, καὶ διεφώνησεν οὐδὲ εἷς, *dissensisse ex illis neminem*, hinc historia de Ptolomæo, hinc famosæ illæ scenæ de omnium Interpretum summo consensu, &c. ortæ sunt. Et quia vox אצילים, *versu* 11. occurrens, etiam aliquando idem denotat quod κεχωρισμένοι *separati*, hinc historia de separatione, quod seorsim nempe ac separatim in 70. cellulis Legem transtulerint. Vide plura in Hottingeri *Thes. Philol. lib.* 1. *cap.* 3. *sect.* 3. *quæst.* 3. Postea adhuc multas alias fabulas de hac Versione, à Judæis effictas, in medium proferemus.

§. 5. *Quæret* adhuc aliquis: Quare quidam finxerunt fuisse 70. alii verò 72. Interpretes? *Resp.* Multi ajunt fuisse 70. Interpretes, quia *Exod.* 24. fit mentio

Digitized by Google

mentio 70. Seniorum : nam inde tota hæc fabula de numero Interpretum est desumpta. Alii statuunt fuisse 72. Interpretes; quia Josephus, aliique quamplurimi affirmant ex singulis tribubus Israëlitarum, quæ fuerunt duodecim, fuisse senos Seniores ad Ptolomæum missos: atqui sexies duodecim sunt LXXII. Hæc dicta sufficiant de numero Interpretum. Nos in sequentibus hanc Versionem Græcam, quia consuetudo ita obtinet, Lxx. Interpretum Versionem vocabimus.

II. *Secundò quæritur.* Quando hæc Versio Græca est adornata?

Resp. Versio illa Græca, satis famosa, est etiam valde antiqua: nam composita est Anno à creatione Mundi 3699. hoc est, circiter 300. annis ante nativitatem Christi.

III. *Tertio quæritur.* Quis fuit causa impulsiva hujus Versionis?

Resp. Tres sunt de hâc quæstione sententiæ. *Prima* statuit Judæos Alexandrinos, utpote linguæ Hebrææ imperitos, petiisse à quibusdam aliis Judæis, in lingua Hebræa & Græca peritis, ut Textum Hebræum in Linguam Græcam transferrent; ut sic ipsimet etiam Sacrum Textum legere, & secundùm eundem vitam suam instituere possent.

Secunda sententia defendit Ptolomæum Lagum, Regem Ægypti, petiisse ab Eleazaro Pontifice, ut quosdam viros doctos Alexandriam mitteret, qui Legem Hebraicam in Linguam Græcam transferrent. Alstedius in *Thesauro Chronologiæ pag.* 106. statuit Judæos Anno à creat. Mundi 3630. sub regimine Ptolomæi Lagi Biblia in Linguam Græcam vertisse: sed illa Versio non fuit illa famosa, quæ vulgò Lxx. Interpretum vocatur.

Ultima sententia, quæ pro verissima à plerisque Auctoribus habetur, defendit Ptolomæum Philadelphum, superioris Regis filium, scripsisse Eleazaro, ab eoque petiisse ut quosdam Interpretes mitteret. Hoc affirmat Josephus *lib.* 12. *cap.* 2. & plerique Auctores, qui de Versione hac scripserunt. Sunt nonnulli, qui has duas posteriores sententias ita conciliant, quòd Ptolomæus filius, in consortium regni à Patre, Versionem Græcam suadente, assumptus, propterea solus Versionem illam procurâsse fertur, *vel* quòd ipsius prudentiæ cura totius operis fuerit commissa, *vel* quòd illa Versio demum post Patris mortem fuerit absoluta. Vide *Hottingeri Thes. Phil. lib.* 1. *sect.* 3. Ubi idem admonet omnes Reges Ægypti posteriores vocatos fuisse Ptolomæos, quemadmodum priores fuerunt vocati Pharaones: & sic nomen Ptolomæi fuit nomen generale, omnibus Regibus Ægypti deinceps conveniens; eodem modo sicuti jam Reges Galliæ nomine Ludovici, & Reges Hispaniæ nomine Philippi ferè vocari solent.

IV. *Quartò*

Digitized by Google

IV. *Quartò quæritur.* Quid Ptolomæum Philadelphum movit ad convocandum quosdam Judæos, qui Versionem Græcam adornarent?

Resp. Causam hanc impulsivam allegat Josephus loco suprà citato. Ptolomæus Philadelphus, egregiam Bibliothecam erigere volens, dedit in mandatis Demetrio Phalereo, Regiarum Bibliothecarum Præfecto, ut totius orbis libros colligeret, coëmens quotquot ubicunque audivisset cognitu dignos, aut Regi gratos. Hic Demetrius rogatus aliquando à Rege, quàm multa millia jam comparâsset, ajebat se modò comparâsse circiter ducenta millia, sed se brevi habiturum quingenta millia. *Ammianus Marcellinus lib.* 22. ait in illâ Bibliothecâ fuisse septingenta millia librorum. Demetrius, volens Bibliothecam Regiam adhuc magis augere, dixit adhuc desiderari in eâ Libros Sacros Judæorum Græcè translatos. Itaque Rex Ptolomæus petiit ab Eleazaro Pontifice, ut mitteret quosdam Judæos, qui Sacrum Codicem in Linguam Græcam transferrent; ut sic Regia Bibliotheca hoc præstantissimo libro non careret. Voluntas ergo augmentandi Bibliothecam Alexandrinam causa fuit Ptolomæo, quare illos Interpretes Hierosolymâ convocârit. Fortasse Demetrius Bibliothecarius hanc translationem non tam desideravit propter Bibliothecam, quàm quidem propter Judæos Alexandrinos & alios quamplurimos, per Ægyptum & Asiam dispersos, Hebrææ Linguæ imperitos, ut illi etiam S. Scripturam legere possent.

V. *Quintò quæritur.* Quinam & quales fuerunt illi Interpretes Græci?

Resp. Unâ fabulâ admissâ facillimè etiam aliæ inde pullulârunt. Qui defendunt quòd fuerint præcisè 72. Interpretes, ajunt illos 72. Interpretes fuisse electos ex duodecim tribubus, & fuisse Assessores illius Magni Sanhedrin, quod Hierosolymis erat congregatum. Rationem hanc dant, quia vocantur Seniores: atqui Collegæ illius Sanhedrin communiter vocari solent Seniores. Præterea singulorum Interpretum nomina, & tribum, ex quâ oriundi fuerunt, enumerant. Ex tribu Juda dicuntur fuisse hi: *Josephus*, *Ezechias*, *Zacharias*, *Johannes*, *Ezechias*, *Elisæus*. Ex tribu Ruben: *Judas*, *Simon*, *Samuel*, *Adæus*, *Mathias*, *Eschemias*. Ex tribu Gad. *Nehemias*, *Josephus*, *Theodosius*, *Baseas*, *Ornias*, *Datis*. Ex tribu Aser: *Jonathas*, *Auxeas*, *Elisæus*, *Ananias*, *Chabrias*, *Sachus*. Ex tribu Nephtalim: *Jasachus*, *Jacobus*, *Jesus*, *Gabateus*, *Simon*, *Levi*. Ex tribu Menasse: *Judas*, *Josephus*, *Simon*, *Zacharias*, *Somelus*, *Selemias*. Ex tribu Simeon: *Sabatheus*, *Jason*, *Jesus*, *Theodorus*, *Johannes*, *Jonathas*. Ex tribu Levi: *Theodosius*, *Jason*, *Jesus*, *Theodorus*, *Jonas*, *Jonathan*. Ex tribu Isaschar: *Theophilus*, *Abraham*, *Arsamus*, *Jason*, *Endemias*, *Daniel*. Ex tribu Zabulon: *Jeremias*,

Digitized by Google

remias, Eleazarus, Zacharias, Baneas, Eliseus, Datheus. Ex tribu Ephraim: *Samuel, Josephus, Judas, Joathes, Gabel, Dositheus.* Ex tribu Benjamin: *Isaelus, Johannes, Theodosius, Arsamenes, Abiethas, Ezecelus.* Hæc omnia ab unico Aristæa inventa sunt, & ex eo multi alii nimis creduli hauserunt: sed omnia illa ficta esse hinc probamus.

§. 1. Non fuerunt Assessores illius Sanhedrin, etiamsi Seniores vocentur: nam Senior non semper est nomen dignitatis, sed sæpe est tantummodo nomen ætatis.

§. 2. Post Captivitatem Babylonicam, & tempore illo, quo Versio hæc Græca fuit composita, hoc Sanhedrin non constabat ex duodecim tribubus, sed tantùm ex sola tribu Juda. Ergo illi Interpretes vel non fuerunt ex duodecim tribubus, vel non fuerunt Assessores illius Sanhedrin.

§. 3. Nullo modo est verosimile illos Assessores, penes quos erat summum regimen, deseruisse illud regimen, & Hierosolymâ profectos Alexandriam propter Versionem aliquam Græcam in commodum Regis Ægypti efficiendam. Tale negotium non videtur auctoritati & majestati illorum Assessorum satis convenisse aut respondisse.

VI. *Sextò quæritur.* Quo in loco illi Interpretes Versionem suam adornârunt? An fuerunt conjuncti in una domo; an verò singuli separati in diversis cellulis?

Resp. Talmudistæ, uti suprà *ad* 1. *quæst.* demonstravimus, ajunt Ptolomæum convocâsse 72. Seniores, eosque in 72. cellulis collocâsse, nec illis antea dixisse, ob quam causam eos convocaverat. Hanc sententiam confirmat *Justinus Martyr* in Parænetico ad Græcos *pag.* XI. ubi sic ait: *Ptolomæum non in ipsâ urbe Alexandriâ locum assignâsse Interpretibus, in quo opus susceptum absolverent, sed septem ab eâ stadiis in Pharo Insulâ illic instrui jussisse ædiculas pari cum Interpretibus numero, ut sigillatim interpretationem adornarent.* Postea addit: *Neque hæc vobis ut fabulam aut confictam narramus historiam, sed qui ipsi Alexandriæ fuimus, & vestigia ædicularum reliqua in Pharo vidimus, & ab incolis, qui res patrias à majoribus acceperunt, audivimus, hæc annuntiamus.* Sed hæc omnia à Judæis efficta esse propter has rationes putamus.

1. Quia nec *Aristæas*, qui universi hujus negotii director fuit, nec *Philo*, nec *Josephus*, qui historiam ejus enarrat, ullam illarum ædicularum faciunt mentionem. Hanc sententiam de 72. cellulis Hieronymus, qui quarto seculo post Christum vixit, exsibilat, & ait in Prologo in Pentat. *Nescio quis primus auctor* LXX. *cellulas mendacio suo exstruxit.* Hieronymum sequuntur multi alii, qui omnes LXXII. cellulas derident.

Digitized by Google

βεῖν τὴν ἀναγραφὴν ἀλλ᾽ αὐτὰ μόνα τὰ τῦ νόμυ παρέδωσαν οἱ πεμφθέντες, &c. *Ptolomæus secundus Rex Ægypti* —— *magnopere contendit Legem nostram* in Græcum eloquium transferri —— *Neque vero totam Scripturam accipere illi contigit; sed Legem solam tradiderunt ei missi* Interpretes. Sic idem *lib.* 12. *cap.* 2. in princ. ait *τόν τε νόμον ἡρμήνευσε*. Talmudistæ in Tractatu Sopherim *cap.* 1. *sect.* 8. eandem sententiam confirmant, cum ajunt, Ptolomæum dixisse illis Interpretibus כתבו לי תורת משה רבכם *Scribite mihi Legem Mosis Magistri vestri.* & sect. præc. 7. idem asseritur. Etiam Hieronymus in *cap.* 2. Michæ in hanc videtur inclinare sententiam, eamque sequuti sunt Schikardus & Salmasius. Hanc sententiam inde confirmant, quia Judæi per תורה *Legem* intelligunt Pentateuchum contradistinctè ad Prophetas & Hagiographa. Præterea putant impossible esse, quum spatio 72. dierum Versionem singuli absolvisse dicantur, quòd tantillo temporis spatio totum Vetus Test. transferre potuerint.

Respondeo. 1. Josephus in Historiâ de Græcâ Versione nonnunquam hallucinatus est, uti suprà ostendimus; & propterea cum grano salis ejus verba, præcipuè de hac Versione sunt recipienda: nam fabellæ illæ de 72. dierum spatio, & totidem cellulis confictæ, facilè hæc de Lege tantùm translatâ potuit inoculari. Rabbinis enim sollemne est, cum eorum unus magnæ auctoritatis aliquantulum deliravit, alios delirium mox amplecti, & mordicùs tueri. Etiam non mirum est Josephum in hac historia fuisse hallucinatum, cùm aliquot Sæcula intercesserint inter Versionem adornatam & tempora Flavii Josephi.

2. Josephus *cap* 17. Operis sui, quod Constantinopoli ante annos 170. impressum est, apertè scribit (citante Morino *Excercit.* 8. *cap.* 2.) viginti quatuor libros sacros à 70 Interpretibus esse translatos: ויבארו הכהנים את ספר התורה ואת שאר ספרי ספרי המקרא כ״ד ספרים ומליצום מלשון הקודש ללשון יונית ויביאום לפני המלך *Et explicârunt Sacerdotes* (h.e. 70. Interpretes) *Librum Legis, & reliquos libros Scripturæ, viginti quatuor libros, & transtulerunt eos de Linguâ Sanctâ in Linguam Græcam, & obtulerunt eos Regi.*

3. Nomen תורה *Legis* non semper strictè sumitur pro Pentateucho; sed sæpissime denotat tam in scriptis Rabbinorum, quam in scriptis Talmudistarum, & alibi, totum Vetus Test. R. Azarias ad finem cap. 7. libri אמרי בניה *Sermonum intelligentiæ* ait: ובפרט כאשר נחשוב כי הסבה שהניעה את תלמי לבקש פתרון תורת משה מן הדין הניעתהו גם כן לבקש פתרון כל הנביאים והכתובים לרומם ולהשלים בהם את בית מדרשו שלא יחסר בו כל ספר: והלא גם לחז״ל נמצא בהרבה מקומות שם

שם תורה כולל הנביאים וכתובים עמה: *Et in particulari cùm consideramus causam. quæ movit Ptolomæum, ut quæreret Interpretationem Legis Mosis, pariter etiam movit eum, ut quæreret Interpretationem omnium Prophetarum, & Hagiographorum, ut extolleret & perficeret cum iis Bibliothecam suam ne ullus liber in ea deesset. Nonne apud Sapientes nostros B. M. multa loca reperiuntur, in quibus nomen Legis complectitur etiam Prophetas & Hagiographa?* Talmudistæ in Tractatu Sanhedrin *cap.* 11. sive חלק probantes resurrectionem mortuorum ex *Esai* 55: 8. *& Psal.* 84: 5. inferunt tandem כאן לתחית המתים מן התורה *Hinc resurrectio mortuorum ex Lege probata est.* Idem etiam confirmat Johannes Evangelista *cap.* 15: 25. ubi allegans textum ex *Psal.* 35: 19. ait *in Lege ipsorum hoc esse scriptum.* Similiter *cap.* 10: 34. ex *Psal.* 82: 6. Vide etiam ad *Rom.* 3: 19. & 1. *Cor.* 14: 21. ubi Legis nomine totum V. T. intelligitur.

4. Quòd nonnulli putent totum Vetus T. non esse translatum ab illis Interpretibus; quia parvo 72. dierum spatio eam Versionem dicuntur absolvisse, dicimus vel esse fabulam à Judæis effictam, uti supra *quæst.* 7. probavimus, vel eam Versionem ab omnibus Interpretibus divisis operis, simul esse compositam; & sic facillimè tanto dierum spatio transferri potuit.

Secunda sententia est aliorum, qui statuunt totum Vetus T. ab illis Interpretibus esse translatum. Hanc sententiam multis confirmant Morinus, aliique auctores, ut Clemens Alexandrinus, Irenæus Lugdunensis Episcopus, Eusebius & Epiphanius, quorum posterior, Versionis hujus narraturus historiam, omnes Scripturæ locos sigillatim recenset, & qua ratione singuli translati sint, enarrat. Vide Hottingerum *l.* 1. *c.* 3. *sect.* 3. *quæst.* 6. Rationes nonnullæ probabiles hanc sententiam videntur confirmare. 1. Quia eadem ratio, quæ movit Ptolomæum ad augendam Bibliothecam suam libris Mosis, videtur etiam eum movisse ad augendam cæteris libris Veteris Test. nam Ptolomæus erat studiosissimus Antiquitatis cognoscendæ; & propterea videtur verosimile eum à Judæis Versionem Græcam totius Veteris Test petiisse. 2. Ptolomæus non videtur tantos sumptus erogâsse, & Judæos tot muneribus solicitâsse propter Translationem solius Pentateuchi. Cæteras rationes jam transilimus. *Vide eas apud Hotting. l. cit.*

Tertiam sententiam defendit R. Gedalias in catena Kabbalæ *fol.* 24. (citante Morino *Exercit.* 8. *c.* 2.) h. e. neutram sententiam elegit, sed judicium suum suspendit: verba ejus ita sonant: היה ראוי לבקש אם זאת ההעתקה היתה של חמשה חומשי תורה לבד או כל המקרא וגם בזה לא ידעתי

Digitized by Google

ידעתי הכרע כי לא מצאתי דבר מפורש בזה כי יש פנים לכאן ולכאן כי נמצא להז״ל כמה פעמים תורה שרומז לכל המקרא ולפעמים רומז אל החומש לבד : *Inquirere nunc convenit an Translatio ista fuerit tantùm quinque librorum Legis, an totius Script.? Circa hoc etiam nescio, in quam partem sit propendendum: non enim invenio rem dilucidè explicatam, eo quòd sint rationes in utramque partem. Sæpe enim deprehenditur apud Sapientes nostros felicis memoriæ Legem significare universam Scripturam, sæpe etiam significare solum Pentateuchum.* Ex his tribus sententiis secunda nobis maximè probatur, quæ statuit Interpretes Græcos Ptolomæo totam Scripturam transtulisse. Fortasse illi Interpretes primùm transtulerunt Pentateuchum, & postea cæteros libros Veteris T.

X. *Decimò quæritur.* An iidem Interpretes Græci etiam libros Apocryphos in Linguam Græcam transtulerunt?

Resp. Quali lingua omnes & singuli libri Apocryphi sint conscripti, non adeo certum est; multi ex illis olim Hebraicè fuerunt lecti, & adhuc hodie tali lingua exarati inveniuntur. Omnes enim libri Apocryphi ea lingua, qua hodie leguntur, non fuerunt conscripti. Hieronymus ait Historiam Tobiæ & Judithæ primitùs Chaldaicè fuisse exaratam, etiam idem testatur se primum Macchabæorum librum Hebraicè vidisse. An hi præcedentes libri Hebraico vel Chaldaico sermone sint exarati; an vero tantummodo in talem sermonem sint translati non adeo certum est. Sed de Syracide res est certissima: ille enim liber Hebraicè fuit conscriptus, prout apparet ex præfatione secunda *vers.* 3, 6, 7. *Avus meus Jesus &c. Date nobis veniam si facultate vocum quarundam destitui videbimur quibusdam in locis, in quibus interpretandis studiosè laboravimus: non enim æquè valent eadem per se, quum dicuntur Hebraicè, & quum in linguam alteram transferuntur.* Hic expressè dicitur quòd nepos transtulerit hunc librum, antea ab avo suo Hebraicè conscriptum. Etiam Talmudici, aliique Hebræi hunc librum Hebraicum nonnunquam citant. Ut ut sit, etiamsi pauci libri Apocryphi Hebraicè vel Chaldaicè primitus sint conscripti, cæteros tamen Græcè ab ipsis auctoribus conscriptos esse putamus; & per consequens respondemus cum Cl. Alting. Theol. Problem. loco 2. probl. 11. ubi ait, *LXX. Interpretes nullum librum Apocryphum vertisse, sed Theodotionem.*

XI. *Undecimò quæritur.* An Versio LXX. Interpretum sit authentica? Et an unquam ab Ecclesia Christiana pro authentica sit habita?

Resp. ad *primum.* Versio illa Græca non est authentica & infallibilis. 1. Quia non est composita ab infallibilibus auctoribus. 2. Quia in multis dissentit à Textu Hebræo, solo authentico; & per consequens vel Textus

Hebræus

Digitized by Google

Hebræus non est infallibilis, vel hæc Græca Versio: atqui Textus Hebræus est infallibilis: ergo Versio Græca est fallibilis.

Ad *secundum respondeo.* Multi Patres antiqui & Pontificii asseruerunt Versionem Græcam esse authenticam. Hi moti fuerunt fabulis illis, quæ vulgò de illa Versione circumferebantur, scil. quòd singuli à se invicem separati in singulis cellulis sederint; & nihilominus in minimis convenerint; quòd spatio 72. dierum hanc Versionem adornârint; quòd *Spiritus, qui in Prophetis fuit, etiam idem ille fuerit in LXX. cum ista transferrent*, uti loqui amat Augustinus. Bellarminus *peculiarem Spiritûs S. assistentiam, ne quâ in re errarent*, illis adscribit, *ut non tam Interpretes quàm Vates fuisse videantur.* Etiam multi alii auctores tam antiqui quàm recentiores ipsis Spiritum Prophetieum concedunt. Sed his, aliisque fabulis rejectis, ruit statim illa Versionis authentia alto à culmine. Multi Patres tanti fecerunt hanc Versionem Græcam, tum quia his fabulis fidem adhibuerunt; tum etiam quia ipsos fontes nec consulere, nec hanc Versionem cum ipsis fontibus conferre potuerunt. Attamen multi alii Patres & Pontificii negant Versionem Græcam esse authenticam: nam 1. Patres antiquissimi sæpe aliis Græcis verbis in scriptis suis usi fuerunt, quàm quæ in hac famosa Versione habentur; quòd si judicassent illam Versionem fuisse authenticam, procul dubio verba ex illa Versione tantùm citâssent. 2. Sæpissime judicârunt Aquilam, Symmachum, aut Theodotionem meliùs transtulisse quàm LXX. Interpretes. *Vide exempla in Panstr. Chamier. pag.* 460. b. & 467. 3. Aliquando vim & emphasin multorum vocabulorum ex aliis Versionibus, vel ex ipso Textu Hebræo hauserunt. 4. Nonnunquam alias Versiones præter hanc famosam, in obeundis sacris publicis & privatis receperunt. *Hieronymus testatur in Præf. in Danielem*, Versionem Theodotionis in Danielem Ecclesias Christianas in frequentiorem usum admisisse. *Vide Hottingerum pag.* 350. Ex his omnibus apparet omnes Patres, aliosque hanc Versionem pro authentica non semper recepisse; & etiamsi eam pro tali recepissent, in eo egregiè hallucinati fuissent propter rationes suprà allatas.

XII. *Duodecimò quæritur.* Quanti hæc Versio Græca fuit æstimata à Gentilibus, Judæis, aliisque?

Resp. Versio Græca ab illis magni fuit æstimata. 1. Ptolomæus Rex Ægypti, Gentilis, magnis sumptibus eam Versionem transferri curavit, & translatam in Bibliothecam, tanquam præstantissimum κειμήλιον, reposuit. *Philo* ait Græcos & Ægyptios in memoriam adornatæ Versionis anniversarium festum in Insula Pharo celebrâsse. 2. Judæi Hellenistæ, Græ-

ca

ca utentes lingua, à multis Sæculis olim publicè in Synagogis hanc Versionem Græcam populo prælegerunt. Circa annum Christi 552. lis oborta est inter Judæos; quia quidam Textum Hebræum; alii verò hanc Versionem Græcam prælegendam esse contendebant. Etiam Ecclesiæ Græcæ quamplurimis annis hac Versione Græca usæ fuerunt. Ecclesiæ Latinæ diu usæ fuerunt Versione Latina, translata ex Versione Græca. Arabes etiam Psalterium suum in Linguam Arabicam ex Græca Versione transtulerunt. 3. Nonnunquam Versionem Græcam in Conciliis adhibuerunt, & in disputationibus privatis & publicis adversus hæreses, ad dogmata sua confirmanda, in subsidium vocàrunt. *Vide plura apud Hottingerum pag.* 335. & *seqq.*

XIII. *Decimo tertiò quæritur.* Si Versio Græca tanti semper sit æstimata à Christianis, Judæis, aliisque; Quomodo Judæi statuunt jejunium propter adornatam Versionem esse indictum, & terram tribus diebus tenebris fuisse obductam?

Resp. In Tractatu *Sopherim sect.* 7. dicitur: והיה היום קשה לישראל כיום שנעשה העגל *Et fuit dies ille* (scil. quando Versio Græca fuit composita) *gravis Israëli, sicut dies, quo factus est Vitulus.* Judæi Hebraistæ Versionem Græcam parvi æstimàrunt, & ægrè tulerunt arcana Legis profanâ linguâ fuisse conscripta. Hinc fabulantur tales tenebras fuisse illo tempore exortas, & jejunium fuisse indictum. Calendàrium Judæorum hoc jejunium in octavum diem mensis Tebeth sive Decembris rejicit. Etiam hujus jejunii & tenebrarum fit mentio in fine libri, qui vocatur מגלת תענית *de jejuniis:* ח׳בטבת שבו נכתבה התורה יונית· בימי תלמי המלך והחושך בא לעולם ג׳ימים *Octavâ Tebeth* jejunium est, *eo quòd in ea Lex scripta est Græcè in diebus Ptolomæi Regis: tenebræque venerunt super terram tribus diebus.* Multi alii auctores etiam hujus jejunii faciunt mentionem, prout videre est apud Morinum. Tripliciter vulgò à Judæis hoc jejunium & tenebræ illæ explicantur.

1. Dicunt nonnulli quòd Interpretes, delecti ad profectionem, indixerint jejunium universæ congregationi, & quòd tenebræ tunc operuerint faciem Judæorum; quia timebant ne pudore confunderentur propter factam Versionem. Talem explicationem adfert *Azarias ad fin. cap.* 8. *Imre bina.*

2. Idem *Azarias* etiam aliter explicat, scil. quod jejunaverint & tristes fuerint ne Judæis malè succederet hoc Ptolomæi studium; vel ut Deus hoc Ptolomæi, Sapientumque Judæorum consilium prosperaret.

3. Alii putant Judæos propterea jejunàsse & tristes fuisse; quia putàrunt Ptolomæum per illam Translationem quæsivisse occasionem irridendæ

& tra-

Digitized by Google

& traducendæ legis. Sed fabula est, quæ de jejunio, & tenebris, sive tristitiâ illâ dicuntur. Judæi recentiores illam fabulam excogitârunt, fortasse propterea: quia vulgò dicitur quòd illi Interpretes tredecim loca immutârint, ne regium animum offenderent: ex. gr. pro *faciamus homines* scripsissent *faciam homines*, &c. Sed fabulosa sunt, quæ de hoc jejunio & tenebris narrantur: nam quòd nullam habuerint rationem jejunium & tristitiam indicendi, apparet satis ex Historia Josephi, Philonis Judæi, aliorumque. In illis enim auctoribus luculenter narratur, quòd Interpretes illi amicè & honorificè à Ptolomæo sint excepti.

XIV. *Decimoquartò quæritur.* An Interpretes Græci tredecim Veteris Test. loca in versione sua aliter transtulerunt, quàm Hebraica veritas postulabat?

Resp. Vulgò Talmudistæ ajunt 70. Interpretes tredecim sequentia loca, ne Ptolomæum offenderent, datâ operâ & certo consilio immutâsse. Illa omnia in Tract. *Megillah. cap.* 1. *fol.* 9. *a. b.* ordine enumerantur. 1. Ordinem verborum mutâssent *Gen.* 1:1. & transtulissent, ac si ita Hebraicè fuisset scriptum, אלהים ברא בראשית *Deus creavit in principio.* 2. אעשה ארם בצלם ובדמות vers. 26. *Faciam hominem ad imaginem & similitudinem*, pro *faciamus.* 3. ויכל ביום הששי וישבות ביום השביעי Gen. 2:2. *Et perfecit die sextâ, requievit autem die septimâ.* 4. זכר ונקבה בראו ולא כתבו בראם Genes. 5:2. *Masculum & fœminam creavit eum, non scripserunt, creavit eos.* 5. הבה ארדה ואבלה שם שפתם Gen. 11:7. *Agè, descendam & confundam ibi labium eorum.* 6. ותצחק שרה בקרוביה Gen. 18:12. *Arrisit Sara propinquis sibi.* 7. כי באפם הרגו שור וברצונם עקרו אבום Gen. 49:1. *Quoniam in irâ suâ occiderunt bovem, & in voluntate sua diruerunt præsepe.* 8. ויקח משה את אשתו ואת בניו וירכיבם על נושא בני ארם Exod. 4:10. *Et accepit Moses uxorem suam, & filios suos; & equitare fecit eos super id, quod gestat filios hominum.* 9. ומושב בני ישראל אשר ישבו במצרים ובשאר ארצות ד׳ מאות שנה Exod. 12:40. *Et habitatio filiorum Israël, qua habitaverunt in Ægypto, & in reliquis terris, annorum fuit quadringentorum.* 10. וישלח את זאטוטי בני ישראל ואל זאטוטי בני ישראל לא שלח ידו Exod. 24:11. *Et misit minimos filiorum Israël, & ad minimos filiorum Israël non misit manum suam.* 11. לא חמד אחד מהם נשאתי Num. 16:15. *Nihil desiderabile ab iis accepi.* 12. אשר חלק ה׳ אלהיך אתם להאיר לכל העמים וילך ויעבור אלהי אחרים אשר לא צויתי לעובדם Deut. 4:19. *Quæ dedit Dominus Deus tuus, ut lucerem omnibus populis; & ivit, & servivit Diis alienis, quibus non præceperam servire.* 13. Pro ארנבת *lepore* scripsissent צעירת הרגלים *parva pedibus*, ne Ptolomæum offenderent: quia ejus uxor, vel, ut alii volunt, ejus mater *Arnebta* vocata fuit.

Hæc sunt tredecim illa loca, quæ vulgò ab illis Interpretibus propter certas rationes mutata esse dicuntur. Verum enimverò hæc omnia loca jam tali modo in Versione Græcâ non inveniuntur, sicuti 70. Interpretes ex sententia Talmudistarum ea correxisse, vel potius corrupisse dicuntur. Duo priora loca conveniunt in Versione Græcâ cum Textu Hebræo; sed tertius differt: in Textu Hebræo habetur ויכל אלהים ביום השביעי *& perfecit Deus in die septimo:* sed in Versione Græcâ habetur ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἕκτῃ, *in die sexto.* Quartus, quintus, sextus, & octavus locus jam in Versione Græcâ conveniunt cum Textu Hebræo. Nonus non plane convenit. Quantùm locum undecimum attinet, in Textu Hebræo habetur חמור *asinus*; in Versione verò Græca ἐπιθύμημα *desiderium:* ubi videmus magnam esse differentiam inter Textum Hebræum & Græcum. Ex his apparet paucissima ex tredecim antedictis locis adhuc in Versione Græca inveniri, quemadmodum 70. Interpretes ea mutâsse dicuntur.

Ut ut sit, si 70. Interpretes illa loca mutâssent, quod tamen judico esse falsum, non puto eos ea loca mutâsse propterea, ne offenderent Ptolomæum: nam illi tum magis eum offendissent, si audivisset eos non fideliter Textum transtulisse. Deinde non est verosimile eos pios Viros datâ operâ ita Textûs illos corrupisse, & sacrilegas suas manûs in Textum injecisse. Ergo non videtur verosimile eos Interpretes tredecim illa loca ita correxisse.

Atqui *objiciet* nonnemo, Talmudistæ expressè hoc dicunt.

Resp. In eodem hoc loco etiam ajunt fuisse 72. cellulas; an propterea fuerunt?

2. Talmudistæ hæc de 70. Interpretibus scripserunt octingentis ferè annis post compositam Versionem: ergo non mirum est quòd errare potuerint.

3. Auctores non conveniunt in omnibus locis, quæ mutata dicuntur ab illis Interpretibus: nam nonnulli locum nonum ita legunt, *& habitârunt in Ægypto, & aliis terris &c.* Alii verò legunt, *in Ægypto & in terrâ Canaan*, prout in hodierna Versione scribitur.

4. Facilè crediderim in quibusdam corruptis Græcis exemplaribus hæc loca ita fuisse lecta: sed nego eadem illa loca ita datâ operâ esse corrupta ab ipsis Interpretibus.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO QUARTA

Quæ est pars tertia & ultima

DE

VERSIONE GRÆCA

Vulgò LXX. Interpretum vocatâ.

XV. *Versio Græca non est translata ex Textu Chaldæo, vel Samaritano, sed ex ipso Textu Hebræo.*

XVI. *Stylus Versionis Græcæ non est purè Græcus, sed Hebraizans.*

XVII. *Differentia Versionis Græcæ à Textu Hebræo tres causæ falsæ & plures veræ enumerantur.*

XVIII. *Hodierna Versio Græca non est eadem quam olim famosi Interpretes Græci composuerunt.*

XIX. *Christus & Scriptores Novi T. sequuti sunt aliquando Textum Hebræum, sæpe Versionem Græcam; nonnunquam prætèrito utroque Textu liberè allegârunt.*

XX. *Quatuor præcipuè Editiones Versionis Lxx. eduntur, scil. Complutensis, Veneta, Alexandrina & Romana.*

XXI. *Interpretes Græci non fuerunt infallibiliter acti à Spiritu Sancto.*

SECTIO XV.

SEquitur nunc de Versione Lxx. Interpretum quæstio *decima quinta*, quâ quæritur. Quonam exemplari usi fuerunt Interpretes Græci, ex quo Versionem suam adornârunt?

Resp. Non est eadem omnium Rabbinorum & Christianorum de hac quæstione opinio. Tres sunt in genere sententiæ, quarum prima defendit Versionem Græcam esse translatam ex Textu Chaldaico. Hanc sententiam elegit olim Philo Judæus; sed ei vix ulla fides hac in re adhibenda est: nam Linguæ Hebraicæ planè fuit ignarus, ut unicuique ex nominum Hebraicorum interpretatione, circa quam mirum in modum philosophatur, facilè constare potest. Hinc est, quòd Linguam Hebraicam cum Chaldaica, quæ ejus ferè dialectus tantùm est, facilè confuderit, cùm utramque ignoraret. Hujus vestigia premit R. Azarias *cap.* 8. & 9. *partis pr.* libri *Imre binach*, qui sententiam suam his rationibus confirmat.

1. Quia Josephus ait omnes Judæos fuisse convocatos, & legis Versio-

nem approbâsse: nam videbant eam cum Textu Originali convenire. Hinc concludit: ergo Versionem ex Textu Chaldaico adornârunt. Ratio hæc est: quia plebs Linguam Hebraicam tunc temporis non intelligebat: Lingua enim Chaldaica plebi tum erat vernacula.

Resp. Quando Josephus ait Judæos omnes convocatos fuisse, & legis Versionem approbâsse, plebem indoctam non intelligit; sed Judæorum proceres & Legis peritos. Non enim verosimile est, Regem, sartores, textores, similesque de Versione illa judicaturos convocâsse.

2. Adhuc suam sententiam confirmare conatur; quia dicitur quòd liber Hierosolymis ad Ptolomæum missus, unde Versio composita est, fuerit exaratus literis aureis, qualibus libri Hebraici nunquam secundùm consuetudinem Judæorum scribi solent: ergo non ex Hebraico, sed Chaldaico exemplari Versionem transtulerunt.

Resp. Novitii Talmudici posterioribus temporibus in Tractatu Sopherim interdixerunt Legem literis aureis exarare; sed inde non sequitur quòd ante octingentos annos, vel plures, talis mos fuerit observatus.

3. Quia Paraphrasis Jonathæ & Targum Hierosolymitanum *Genes.* 4: 8. addunt *transeamus in campum*, quæ verba etiam habet Versio Græca: sed illa non inveniuntur in Textu Hebræo.

Resp. Etiam Textus Samaritanus hæc verba habet: ergo posset aliquis eodem modo concludere Interpretes Versionem suam transtulisse ex Textu Samaritano. 2. Illæ paraphrases diu post Versionem Græcam sunt compositæ: prior paraphrasis demum ante nonaginta circiter annos edita est; & quando utraque composita est, ignoratur: saltem ante tempora Christi neutra conscripta est. 3. Textus Græcus magis convenit cum Textu Hebraico, quàm cum his paraphrasibus: ergo verosimilius est Versionem hanc esse translatam ex Textu Hebraico, quàm ex Chaldaico.

Altera sententia statuit Versionem Græcam, saltem quoad Pentateuchum, esse translatam ex Textu Samaritano: quia est maxima convenientia, imo in multis major cum Textu Samaritano, quàm cum Hebræo. Exempla multa collegit Hottingerus ex ipso Pentateucho Samaritano, quæ contulit cum Versione quadam Græca, quæ Lxx. Interpretum vocatur: ex. gr. *Genes. cap.* 23. *versu* 13. voci וידבר subjicit Textus Samarit. אל לבו, Lxx. Interpretum Versio habet, *λαλῦντα ἐν τῇ διανοίᾳ ἀυτῦ.* Et *Cap.* 29: 8. יאספו כל־העדרים *congregati sunt omnes greges*, Samarit. habet רעים, Lxx. *ποιμένες pastores.*

Exod. cap. 7: 8. Textus Hebræus habet וידעו מצרים, Samarit. verò וידעו כל

כל מצרים, sic etiam habet Versio Græca *καὶ γνώσονται πάντες οἱ Αἰγύπτιοι.* Et *Cap.* 10: 11. ויגרש *& expulit*, Samarit. habet in plur. ויגרשו *& expulerunt*, sic etiam Versio Græca ἐξέβαλον.

Levit. cap. 17: 8. Textus Hebræus hacet יעלה, Samarit. יעשה, sic etiam Textus Græcus ὃς ἂν ποιήσῃ. Et *Cap.* 20: 27. Textus Hebræus habet באבן ירגמו, Samarit habet באבנים ירגמו in plur. sic etiam Textus Græcus λίθοις λιθοβολήσετε.

Numer. Cap. 30: 6. Textus Hebr. ait לא יקום, Samarit. לא יקומו, sic etiam habet Versio Græca οὐ στήσονται. Et *Cap.* 35: 5. dicitur יהיה להם Samarit. Textus ait יהיה לכם & Versio Græca habet ἔσται ὑμῖν.

Deut. cap. 4: 13. Textus Hebræus habet צוה, Samarit. צונו, & Versio Græca ἐνετείλατο ἡμῖν. Et *Cap.* 27: 17. in Textu Hebræo habetur ואמר, in Samarit. ואמרו, hunc Textum Samaritanum Versio Græca imitatur, quæ habet καὶ ἐροῦσι. Qui plura exempla desiderat, adeat Hottingerum. Ex his omnibus convenientiis cum Textu Samaritano concludunt Versionem Græcam, saltem quoad Pentateuchum, esse factam ex Textu Samaritano. Sed hæc sententia nobis videtur falsa.

1. Quia nullo modo videtur verisimile eos Interpretes, cùm Judæi fuerint, usos fuisse Textu Samaritano: nam Judæi non Textum Samaritanum, sed Hebræum pro authentico agnoverunt, & in Synagogis publicè prælegerunt.

2. Nondum probatum est hodiernam Versionem Græcam quoad omnia esse eam, quam illi Interpretes composuerunt: nam hodierna Versio multa cum tempore contraxit vitia, uti statim probabimus: ergo illæ convenientiæ cum Textu Samaritano facilè à quibusdam potuerunt addi & interponi.

3. Nonnulli putant quòd duplex Versio Græca, quarum altera translata fuit ex Textu Hebræo, altera verò ex Textu Samaritano, coaluerit, saltem quoad Pentateuchum, in unam Versionem.

Tertia sententia, quæ etiam à nobis approbatur, statuit Versionem Lxx. Interpretum esse translatam ex Textu Hebræo. Hanc sententiam defendunt Talmudistæ, qui aliquoties dicunt Versionem Græcam esse factam ex Textu Hebræo, & Interpretes illos tredecim loca in Textu Hebræo mutâsse, &c. Etiam cæteri Judæi, excepto R. Azaria, & Patres communibus suffragiis hanc sententiam approbant. Etiam ex circumstantiis, quas Josephus narrat, hæc sententia confirmari potest: scil. quòd Summus Sacerdos miserit exemplar elegantissimè & magnificentissimè descriptum: petit enim à Rege, *Tuæ autem pietatis erit ac justitiæ, ut tran-*

Digitized by Google

ſcriptâ lege ad nos eam tutò remittas unà cum ejus deportationibus. Hinc manifeſtum eſt illud exemplar maximæ fuiſſe apud Judæos auctoritatis, & fortaſſe unum ex illis, quod in archivis fuit conſervatum. Ergo illud exemplar fuit Hebraicè conſcriptum: nam ſi aliâ linguâ fuiſſet conſcriptum, Judæi illud tanti non feciſſent. Morinus *Exerc.* 8. *cap.* 5. multis aliis rationibus & conjecturis probat eos Interpretes Verſionem Græcam ex Textu Hebræo vertiſſe; quam ſententiam nos etiam defendendam ſuſcipimus.

XVI. *Decimoſextò quæritur.* An ſtylus, quo Verſio Græca à LXX. Interpretibus eſt translata, ſit purè Græcus?

Reſp. Stylus Verſionis Græcæ non eſt purè Græcus: nam multi ſunt Hebraiſmi, & multa ſunt immixta, quæ in aliis prophanis auctoribus Græcis non inveniuntur; ideoque auctores novo quodam nomine eam Verſionem denominârunt. Scaliger phraſin Verſionis Græcæ primus *Hellenisticam* vocandam eſſe judicavit. Sixtinus Amama eam *Hebræo-Græcam* vocare maluit; alii *Hebraizantem* appellârunt: quia quamplurimis Hebraiſmis & phraſibus Hebraicis repleta eſt. Etiam Patres Græci & Latini ſtylum Veteris Teſt. vocârunt ἑλληνικόν. Verſio Græca in multis nimiùm eſt aſtricta Textui Hebraico: adeo ut nonnunquam voces Hebraicas, quas Græcè ſatis convenienter exprimere non potuerunt, mutata quodammodo terminatione, Græcas fecerint. Exempla poſſent multa adferri, ſed hæc pauca ſufficiant: γειώρες, γειῶραι, ſunt *advenæ*, *proſelyti*, & formantur à voce Hebraicè גר; ſic κεφαλὴς à כפל, τόκος à חוק &c. Phraſis igitur Verſionis Græcæ poteſt vocari *Hellenistica*, vel *Hebræo-Græca*, vel *Hebraizans*, prout unicuique placuerit. Præterea nemini mirum videri debet, quòd illi Interpretes tali phraſi uſi fuerint: nam fuerunt Hebræi, quibus Lingua Hebraica valdè familiaris fuit: & propterea facilè phraſes Hebraicas immiſcere potuerunt.

XVII. *Decimoſeptimò quæritur.* Ob quas cauſas tanta in Verſionem Græcam irrepſit à Textu Hebræo diſcrepantia?

Reſp. Cauſæ illæ ab omnibus eædem non enumerantur. Hottingerus prolixè ad hanc quæſtionem reſpondet. Nos breviter præcipuas cauſas illarum diſcrepantiarum in medium proferemus. Rabbi Gedalias in Catenâ Kabbalæ *fol.* 24. tres rationes illarum differentiarum enumerat; quarum *primam* ex Auguſtini *lib.* 15. *de Civit. Dei cap.* 11. & 13. &c. elicit, ſcil. Ægyptios Judæorum odio legem illam tranſcripſiſſe, & tranſcribendo falſaſſe. *Alteram* cauſam differentiarum derivat in incendium Bibliothecæ Alexandrinæ tempore belli civilis Pompeji cum Cæſare, quo LXX. Interpretum originalis translatio exarſit. *Tertiam* cauſam differentiarum hanc

Digitized by Google

hanc dat: quia quorundam sententia est Versionem Græcam esse translatam ex textu Chaldaico.

Sed nulla ex his tribus rationibus vera est. *Prima* nullam habet speciem veritatis, nec Augustinus illas differentias in odium Alexandrinorum refert. *Secunda* ratio etiam non est sufficiens: nam si propterea Versio Græca ita esset corrupta, quia exemplar originale combustum est; etiam eodem modo inde aliquis concludere posset: ergo Textus Hebraicus etiam est corruptus; quia ipsum autographum Auctorum sacrorum etiam periit. *Tertia* ratio suprà *quæst.* 15. refutata est. His igitur rationibus omissis, veras harum discrepantiarum causas investigabimus. Hottingerus quamplurimas causas enumerat, & variis exemplis eas confirmat.

§. 1. Prima causa est, quia Interpretes Græci usi fuerunt exemplari corrupto quoad vocales, quoad consonantes, vel quoad consonantes & vocales simul; vel quia cum falsis vocalibus vel consonantibus Textum Sacrum legerunt. Singulorum dabo quædam exempla. Voces cum *falsis vocalibus* legerunt: ex. gr. pro Kametz pronuntiàrunt Tzere, ut *Psal.* 40: 5. pro שָׂם *posuit* legerunt שֵׁם *nomen*; verterunt enim per τὸ ὄνομα. Pro Tzere legerunt Patach, ut *Psal.* 7: 12. וְאֵל *& Deus*, verterunt per καὶ μὴ *& non*, quia legerunt ac si scriptum fuisset וְאַל. Pro Patach legerunt Chirek: *Psal.* 7: 7. pro אֵלַי *ad me* legerunt אֵלִי *Deus meus*; verterunt enim per ὁ Θεός μου. Pro Sægol legerunt Patach, ut *Psal.* 91: 3. pro מִדֶּבֶר *à peste* legerunt מִדָּבָר *à verbo*; transtulerunt enim per ἀπὸ λόγου. Aliquando uni voci plures falsas vocales affinxerunt: ut *Genes.* 4: 26. pro הוּחַל לִקְרֹא *inceptum est invocari*, legerunt הוֹחִל לִקְרֹא *speravit invocari*: quia verterunt per ἤλπισεν ἐπικαλεῖσθαι. Nonnunquam plures diversas voces post invicem falsis vocalibus legerunt: ex. gr. *Jes.* 17: 11. in Textu Hebræo habetur כְּאֵב אָנוּשׁ *dolor lethalis*: Græci voces punctatas pronunciàrunt per כְּאָב אֱנוֹשׁ *sicut pater hominum*; nam verterunt per ὡς πατὴρ ἀνθρώπων.

§. 2. Interpretes etiam circa *consonantes* mirum in modum hallucinati sunt. Hottingerus ferè in singulis Alphabethi literis ostendit, quomodo voces alienis consonantibus legerint: ex. gr. Pro ב legerunt ז, sic *Jes.* 60: 15. habetur וְאֵין עוֹבֵר: Græci verterunt per καὶ οὐκ ἦν ὁ βοηθῶν *& non est opem ferens*, ac si scriptum fuisset עוזר per Zain. Pro Resch legerunt Daleth, sic *Genes.* 47: 21. pro העביר legerunt העביד: nam verterunt per κατεδουλώσατο. Aliquando per Prothesin literam legendo addiderunt, sic *Prov.* 28: 28. habetur בקום רשעים *cùm surgant improbi*: illi legerunt במקום, ac si in principio addita esset litera Mem; verterunt enim per ἐν τόποις ἀσεβῶν. Non raro voces, quasi literæ per Metathesin transpositæ essent, legerunt:

ut

ut 1. *Reg.* 10: 15. pro מלכי הערב legerunt מלכי עבר: quia transtulerunt per *βασιλέων τοῦ πέραν.* Nonnunquam per Aphæresin literarum voces considerârunt; sic *Hoze* 14: 2. habetur פרים *vituli:* Græci legerunt פרי *fructus*: quia verterunt per *καρπός.*

§. 3. Circa *vocales & consonantes* simul in iisdem vocibus sæpe errârunt: *Psal.* 4: 3. habetur עַד מֶה כְבוֹדִי לִכְלִמָּה *usque quo* erit *gloria mea in ignominiam*: Græci sic legerunt עַד מֶה כִּבְדֵי לֵב לָמָּה: nam verterunt per *ἕως πότε βαρυκάρδιοι ἵνα τί. Exod.* 12: 17. habetur ושמרתם את המצות & *servabitis infermentata*: Græci legerunt המצוה *præceptum*: nam verterunt per *τὴν ἐντολήν.* Ex his omnibus apparet quàm absurdum sensum Græci Interpretes sæpe Sacræ Scripturæ affinxerint: & propterea dicendum est illos Interpretes Versionem suam vel ex corruptis codicibus adornâsse; vel malè vocales & consonantes legisse; vel nonnunquam voluisse allegoricum aliquem sensum ex Textu elicere, quem putabant ex antecedentibus etiam elici posse.

§. 4. Secundam causam harum differentiarum rejiciunt multi, ut *Scaliger* in *Epistolis p.* 91. *Melanth. præf. in edit. Basil.* in ipsos Interpretes, quasi illi *Linguam Hebraicam*, ejusque *Grammaticam* non benè calluissent. Hoc probat Hottingerus variis exemplis. 1. Quia nomina *Appellativa* explicârunt per *Propria*, & vice versa *Propria* per *Appellativa* : ex. gr. *Nehem.* 7: 70. habetur כתנות כהנים *tunicæ sacerdotum*: Græci Interpretes verterunt per *χιτωνὸθ τῶν ἱερέων.* E contrà *Levit.* 18: 21. להעביר לַמֹּלֶךְ *ad traducendum Molocho*, verterunt per *λατρεύειν ἄρχοντι*, quasi למולך esset Participium verbi מלך. 2. *Nomina* verterunt per *Verba*, ut *Psal.* 80: 16. וְכַנָּה *& stirps* verterunt illam vocem per *καὶ κατάρτισαι*, quasi esset Infinitivus verbi כון. Et è contrà *Verba* verterunt per *Nomina*. 3. Confuderunt significationem quarundam vocum, quæ in pronunciatione quodammodo conveniunt: *Jes.* 25: 11. confuderunt verbum שחח cum שחת &c.

§. 5. Tertiam causam discrepantiarum rejiciunt in ipsum *tempus*: quia tum temporis, cùm Versio Græca fuit adornata, Lingua Hebraica non amplius Judæis fuit vernacula; sed Lingua Chaldaica, vel Syriaca: & propterea Interpretes Græci sæpe sensum, depromptum ex Lingua Chaldaica vel Syriaca, vocibus purè Hebraicis, affinxerunt. Ex exemplis hæc fient manifesta: *Jes.* 53: 10. habetur דַּכְּאוֹ *contrivit ipsum*; sed quia hoc verbum, quando est Chaldaicum, significat *purgare* (nam דְּכֵי Chaldaicè denotat *mundare*, *purificare*) ideo Interpretes, confundentes significationem Chaldaicam cum Hebraicâ, verterunt per *καθαρίσαι αὐτόν.* Ex Syriasmo etiam aliquando significationem vocum Hebraicarum deprompserunt:

Genes.

Digitized by Google

Genes. 9 : 3. habetur ומוראכם *& timor vestri*, Græci significationem sumpserunt ex Lingua Syriaca: nam verterunt per καὶ κατακυριεύσατε, quasi nomen מורא *timor* communem significationem haberet cum voce Syr. מרא *dominus*. Etiam nonnunquam ex Lingua Arabica significationem quarundam vocum Hebraicarum sumpserunt: ex Arabismo verterunt verbum יזיד *superbierunt*, per ἐπέθεντο, quasi descenderet à verbo Arab. זאד *addidit.* Plura exempla vide apud auctorem suprà citatum.

§. 6. Quarta causa varietatum rejicienda est in *oscitantiam Scribarum*, qui Græcam Versionem oscitanter & corruptissimè sæpenumero exscripserunt: quapropter etiam multæ discrepantiæ in Versionem Græcam irrepserunt. Nam non est verosimile illos Interpretes semper tàm absurdo & insulso modo Textum Hebræum transtulisse. *Genes.* 11: 2. pro πεδίον *campus* in quodam exemplari habetur παιδίον *infans*. *Genes.* 24: 30. pro ἐπὶ τῆς πηγῆς legitur in quodam exemplari MS. ἐπὶ τῆς γῆς. *Deut.* 32: 42. pro ἅμα quædam exemplaria habent αἷμα. Plura similia exempla possent in medium proferri.

§. 7. Quintam & sextam varietatum causam rejicit *Nicol. Fullerus Miscell. Sac. pag.* 354. partim in *varia Versionum Græcarum exemplaria*, ex quibus quædam in Versionem Lxx. Interpretum irrepserunt; adeo ut quasi confusio quædam ex tot exemplaribus nata sit: partim etiam putat Lectores quædam in *margine suorum Græcorum exemplarium* annotâsse, quas notas Scriptores librarii posterioribus temporibus magnâ audaciâ in ipsam Versionem Græcam intruserunt. Exempla vide in loco suprà citato.

§. 8. Sexta causa diversitatis potest hæc esse. Interpretes Græci sæpenumero magis *sensum* quam verba respexerunt. Fuerunt quidem Interpretes, sed sæpe etiam Paraphrastæ. Eodem modo fuerunt Targumistæ, qui in plerisque magis Paraphrasin, quàm Versionem videntur conscripsisse: & hinc etiam est, quòd in Græca Versione sæpe non sit tam accurata cum Textu Hebræo convenientia, quàm quidem requireretur. Hæ sunt præcipuæ causæ, ob quas tanta varietas in Textum Græcum V. T. irrepsit. Hinc jam ultro sequitur Textum Hebræum ex Versione Græca non esse corrigendum, nec ex Versionis Græcæ à Textu Hebræo disconvenientia probari Vetus T. olim non fuisse punctatum.

XVIII. *Decimo octavò quæritur.* An hodierna Versio Græca est eadem illa quam famosi illi Interpretes olim ad petitionem Ptolomæi composuerunt?

Resp. Nullo modo. Illa antiqua vel periit in totum, vel ex parte, vel

E multis

multis in locis corrupta est; adeo ut hodierna pro illa antiqua haberi non possit. Audi hac de re Pagninum in Isagogæ suæ capite 9. *Nos summo studio, cura, & diligentia, Lxx. Interpretationem cum Hebræo contulimus: & tot invenimus addita, dempta, depravata, immutata, & ab Hebraico prorsus aliena, ut mihi persuadere nequeam illam esse Lxx. Interpretum.* Similia ferè dicit Bellarm. lib. 2. de V. D. c. 6. *Licet non ignorem nonnullos in ea sententia esse, ut existiment Interpretationem Lxx. Seniorum penitus interiisse: multò probabiliùs censeo, illam adhuc superesse; sed adeo corruptam & vitiatam, ut omnino alia esse videatur.*

XIX. *Decimo nonò quæritur.* An Christus, Evangelistæ & Apostoli in allegandis textibus ex Veteri T. in Novo T. semper usi fuerint illa famosa Versione Græca?

Resp. Non. Sæpissime in N. T. sequuti fuerunt ipsum Textum Hebræum. Conf. *Matth.* 2: 15. cum *Hozea* 11: 1. *Matth.* 8: 17. cum *Jes.* 53: 4. & *Johan.* 19: 37. cum *Zach.* 12: 10. ut & *Rom.* 9: 17. cum *Exod.* 9: 16. An non Christus & Apostoli sæpiusculè sequuti fuerunt Versionem Græcam? Imo. Exempla sunt ubivis obvia. Quare hoc fecerunt? 1. Ut se accommodarent auditoribus, quibus illa Versio eo tempore erat notissima; imo multis erat notior ipso Textu Hebraico. 2. Ne offendiculo essent Hellenistis inter Judæos. An non Scriptores N. T. aliquando prætererito utroque Textu, Hebraico & Græco, liberè Textûs Veteris T. allegârunt? Imo. Confer. *Matth.* 2: 6. cum *Micha* 5: 1. & *Rom.* 11: 1. cum *Jes.* 29: 10. *Vide plura de hac quæstione in Philologo Græco* differt. 9.

XX. *Vigesimò quæritur.* Quot sunt præcipuæ Editiones Versionis Græcæ.

Resp. 1. Omnes Editiones Versionis Græcæ, quæ vulgò sub titulo Versionis Lxx. Interpretum in lucem emittuntur, non in omnibus inter se conveniunt. Omnes tamen Editores gloriantur se genuinam τῶν Lxx. Versionem edere.

2. In universum sunt quatuor Editiones Græcæ Lxx. Interpretum. Prima est *Complutensis*, quæ operâ Theologorum Complutensium Anno 1515. sumptibus Cardinalis Ximenii, Archiepiscopi Toletani, unà cum Textu Hebraico, Paraphrasi Chaldaica Pentateuchi, & Vulgata Lat. per columnas prodiit. Hanc Arias Anno 1571. Bibliis Regiis, & Michael de Jay Bibliis Parisianis Heptaglottis Anno 1645. inseruerunt. Hæc, licet inter omnes editiones ad Textum Hebræum proximè accedat, tamen mixta & interpolata est, ac à genuina Lxx. Versione, apud Veteres celebrata, maximè distat.

3. Secun-

Digitized by Google

3. Secunda Editio LXX. Interpretum est *Veneta*, quam Aldus Manutius Anno 1518. operâ Andreæ Asulani, ex multis vetustissimis exemplaribus excudit. Hæc Complutensi Editione purior est, & proximè ad Editionem Romanam accedit. Ab hac Manutii Editione fluxerunt omnes Germanicæ: 1. Basileensis per Andræam Cratandrum Anno 1520. 2. Argentoratensis apud Wolphium Cephalæum, operâ Loniceri in 8. Anno 1527. 3. Basileensis secunda typis Hervagianis in fol. 4. Basileensis tertia Græco-Lat. per Nicolaum Brylingerum in octavo Anno 1550. 5. Francofurtensis apud Wechelianos in fol. Anno 1596. Vide cæteras editiones secundùm hanc Venetam editas in Præfat, Bibl. Polygl.

4. Tertia est *Alexandrina*, quam Angli in Bibliis Polyglottis exhibuerunt. Hæc editio vocatur Alexandrina: quia inde primò allata est per Cyrillum Lucarem, nuper Sedis Alexandrinæ Patriarcham; qui, cùm ad Constantinopolitanam translatus esset, hunc librum tanquam magnum Thesaurum secum attulit, quem Regi Angliæ per D. Theo. Roe, ejus apud Turcarum Imperatorem Legatum, donavit. Exaratus est hic Codex Alexandrinus in pergameno literis majoribus antiquis, sine ulla capitum, versiculorum vel verborum distinctione, & sine accentuum vel spirituum notis, per Theclam, fœminam nobilem, ante mille & trecentos circitèr annos.

5. Quarta Editio est *Romana*, quæ ex Codice MS. Vaticano antiquissimo, operâ Anton. Caraffæ Cardinalis, aliorumque virorum doctorum, qui novem annos in hac Editione sudârunt, auspiciis & jussu Sixti V. prodiit. Hæc Editio primò Græcè tantùm edita est Romæ Anno 1587. cum Scholiis Græcis; postea Latinè cum notis per Flaminium Nobilium etiam Romæ Anno 1588. Tandem Johannes Morinus Græcam Editionem cum Latina conjunxit, eamque excudi curavit Parisiis Anno 1628. Hæc Editio etiam edita est Londini in octavo & quarto Anno 1653. & in parvo duodecimo sed crasso Cantabrigiæ Anno 1665. Hæc Editio Amstelædami per præstantissimos Typographos Henricum Boom & Johannem Someren egregiis literis & typis in portatili forma Anno 1683. impressa est; etiam secundùm Editionem Londinensem & Cantabrigiensem.

6. Complutenses aliique Textum Græcum secundùm normam Textûs Hebraici correxerunt: sed hoc non est Textum Græcum purum, prout apud Veteres fuit lectus, edere. Nam aliud est Græcam Versionem secundùm Textûs Hebraici normam conficere; aliud est Versionem illam Græcam τῶν LXX. uti apud Veteres extabat, repræsentare. Ex. gr. in Editionibus Græcis *Gen.* 1: 9. adduntur multa, quæ tamen in Textu Hebræo non ex-

extant: *καὶ συνήχθη τὸ ὕδωρ τὸ ὑποκάτω τοῦ οὐρανοῦ εἰς τὰς συναγωγὰς αὐτῶν, καὶ ὤφθη ἡ ξηρά: Et congregata est aqua quæ sub cælo in congregationes suas: & apparuit arida.* Hæc tamen in antiquis MSS. exemplaribus extant: & propterea in editionibus Græcis debent retineri.

XXI. Posset adhuc quæri. An Interpretes illi fuerint acti à Spiritu Sancto; adeo ut non potuerint errare? Sed ex antecedentibus satis liquet ad hanc quæstionem negativè esse respondendum.

DISSERTATIO QUINTA,

Quæ est pars prima

DE

PARAPHRASIBUS CHALDAICIS.

I. *Paraphrases Chaldaicæ vocantur unica voce Targum.*

II. *Vetus T. est translatum in Linguam Chaldaicam: quia populus in Chaldæa, oblitus Linguæ Hebrææ, didicerat Chaldaicam.*

III. *Paraphrases conscriptæ vel tempore Captivitatis Babylonicæ, vel paulò post, perierunt.*

IV. *Tempus scriptarum Paraphrasium est ignotum.*

V. *In omnes libros Veteris T. sunt Paraphrases compositæ & editæ, exceptis Daniele, Ezra & Nehemia.*

VI. *Paraphrases magni fiunt à Judæis tum propter originem, tum etiam propter miracula.*

VII. *Cognitio Paraphrasium Christianis est utilis & necessaria.*

VIII. *Judæi datâ operâ Paraphrases non corruperunt.*

SECTIO I.

JAM considerabimus Paraphrases Chaldaicas, quæ magnæ, si non authenticæ, apud Judæos sunt auctoritatis, de quibus multa dici possent; sed nos præcipua & maximè necessaria breviter per quæstiones proponemus. *Primò* igitur quæritur. Quomodo Paraphrases Chaldaicæ vulgò vocentur?

Resp. Paraphrasis sive Versio Chaldaica vulgò uno nomine vocatur תַּרְגּוּם à תִּרְגֵּם *interpretatus est, explicuit.* In genere Targum significat quamlibet S. Scripturæ in aliam linguam translationem: sed quia olim in Populo Dei post liberationem à Captivitate Babylonica non alia extabat Versio, quàm Chaldaica; ideo illa per excellentiam & in specie vocata fuit Targum, quod nomen

men usque in hoc tempus retinuit. Quando ergo in Scriptis Rabbinorum fit mentio τῦ Targum, intelligitur Translatio sive Paraphrasis Chaldaica.

II. *Secundò quæritur.* Quare primitus Vetus Test. in Linguam Chaldaicam est translatum?

Resp. Occasionem Translationi Chaldaicæ dedit populi ignorantia. Judæi enim usque ad Captivitatem Babylonicam utebantur Lingua Hebraica tanquam vernacula; sed iidem in Babylonia, quum inter Chaldæos Chaldaicè loquentes habitarent, ex parte oblivioni tradiderunt Linguam Hebraicam. Et quia cum tempore magis magisque Lingua Sancta fuerit obliterata, & Judæi nihilominus secundùm præceptum Dei S. Scripturam debuerint legere; ideo quidam fuerunt, qui Vetus Test. in Linguam Chaldaicam, populo post solutam Captivitatem Babylonicam, vernaculam, transtulerunt; ut tali medio etiam indocta plebs S. Scripturam legere, & secundùm eam vitam suam instituere posset. Cùm Israëlitæ tempore Mosis in Ægypto habitarent, non mutârunt linguam suam, sed eandem retinuerunt, & in Terram Cananæam intulerunt: & propterea dicunt, quòd quodammodo propter meritum quarundam rerum, scil. quia vestes, nomina, & linguam suam non mutârunt, sint ex Ægypto liberati. Verùm in Babylonia, ubi tamdiu non habitârunt, tam facilè linguam suam mutârunt: fortasse hoc propter nimiam convenientiam inter Linguam Hebraicam & Chaldaicam accidit: sed in Ægypto hæc mutatio tam facilè fieri non potuit; procul dubio propter nimiam disconvenientiam inter Linguam Hebraicam & Ægyptiacam. Non quidem doctissimi Judæi, in Babylonia habitantes, obliviscebantur linguæ suæ: nam post solutam Captivitatem Babyl. nonnulli Prophetæ Antecessorum suorum stylo, Hebraico scil. quasdam Prophetias emendatè scripserunt. Verùm indocta plebs, quotidie Linguam Chaldaicam audiendo, linguæ suæ oblita est: & propterea, quia multitudinis & rudis popelli Judaici etiam habenda erat ratio, Vetus T. in Linguam Chaldaicam debuit transferri.

III. *Tertiò quæritur.* An hodiernæ Paraphrases Chaldaicæ sunt eædem illæ, quæ immediatè post Captivitatem Babylonicam sunt compositæ?

Resp. Negando. Illæ enim antiquæ Paraphrases Chaldaicæ diu perierunt. Ratio hæc est: quia auctores, qui Paraphrases, jam nobis notas, composuerunt, ad summum circitèr circa tempora Christi vixerunt, uti postea ex enumeratione singularum Paraphrasium apparebit: sed Judæi aliquot sæculis antea Linguæ Hebraicæ, ut vernaculæ, obliti erant; & propter illam oblivionem Paraphrases sunt compositæ: consequenter hodiernæ Paraphrases non sunt illæ antiquæ, quæ in usum indoctæ plebis Judaicæ fuerunt compositæ.

Digitized by Google

IV. *Quartò quæritur.* Quando hodiernæ Paraphrases Chaldaicæ sunt compositæ?

Resp. Hodiernæ Paraphrases Chaldaicæ sunt valdè antiquæ; sed quando præcisè singulæ sint compositæ non tam certò determinari potest. Quædam citiùs, quædam ex illis seriùs compositæ sunt. Communis sententia est Paraphrasin Onkelosi in Pentateuchum, & Jonathanis in omnes Prophetas circitèr circa tempora Christi esse compositam. Altera Paraphrasis in Pentateuchum, quæ etiam vulgò, sed falsò Jonathæ adscribitur, aliquot sæculis pòst est composita, & demum ante 100. circiter annos edita. Quando cæteræ sint compositæ non adeo certò potest determinari. In sequentibus præcipuarum Paraphrasium, quantum poterimus, tempus & auctores indicabimus. Ut ut sit, saltem Paraphrases quædam temporibus Christi & Apostolorum extiterunt; sed an quædam ex hodiernis sint illæ antiquæ, quæ temporibus Christi & Apostolorum extiterunt, non potest demonstrativè probari; verosimile tamen nobis videtur. Ratio hæc est: quia Christus *Matth.* 27:46. recitans verba ex *Psal.* 22:2. אלי אלי למה עזבתני *Deus mi, Deus mi, quare me dereliquisti?* pro ultima voce ait שבקתני σαβαχθανί, quæ vox eodem modo habetur in hodierna Paraphrasi Chaldaica Jonathæ.

Objiciet fortasse nonnemo, quòd temporibus Patrum, scil. Hieronymi & Originis, nondum fuerint ullæ Paraphrases Chaldaicæ, multò minus temporibus Christi & Apostolorum: nam nulli Patres ullam faciunt mentionem Paraphrasium Chaldaicarum; imo ne quidem nominis Targumi, quum procul dubio eas, si extitissent, præcipuè Hieronymus, cui tot lites de Versione sua motæ fuerunt, pro se attulisset.

Resp. 1. Argumentum negativum non valet: nam Patres multorum aliorum, ut Keri & Cetib, etiam non meminerunt: An propterea illæ notæ marginales, Keri & Cetib vocatæ, illis temporibus non extiterunt?

2. Ante inventam Typographiam exemplaria Paraphrasium Chaldaicarum fuerunt admodum rara. Fortasse Hieronymus & Origenes tale exemplar propter raritatem nunquam viderunt, vel possederunt. Fuerunt aliquando tempora, ut mihi relatum est, quibus in tota Germania tantùm unicum Græcum Testamentum fuit inventum. Quidni hæ Paraphrases etiam potuerint fuisse raræ? Nam Linguarum Orientalium cognitio, & præcipuè Linguæ Chaldaicæ propter defectum Grammaticæ & Lexici fuit temporibus Patrum rarissima.

3. Hieronymus, cæterique Patres fortasse Paraphrases pro se non attulerunt propter Versionem Græcam, quæ temporibus Patrum magni fuit æsti-

Digitized by Google

æstimata; imo nonnulli eam Textui Hebræo præferebant, testante August. *Epist.* 10. In quem ergo finem Patres Paraphrases attulissent? Nam Versio Græca authoritate sua Paraphrases rejecisset.

4. Videntur Paraphrases temporibus Christi extitisse: quia Luc. 4: 17, 18. Christus dicitur legisse ex Jesaiæ *cap.* 61. *vers.* 1, 2. Verùm illa verba, quæ ibi citantur, nec cum Textu Hebræo, nec cum Versione Græca conveniunt: ergo verosimile est Christum tum temporis ea legisse ex Paraphrasi aliqua tum extante. Nam Judæi Hebraistæ propterea non videntur alia Versione nisi Chaldaica usi in Synagogis suis; quia omnes Linguam Chaldaicam intelligebant; sed Lingua Græca, imo etiam Hebraica, multis ignota fuit. Quod omnes hodiernæ Paraphrases eodem tempore, & ab iisdem auctoribus non sint compositæ, videtur probari posse tum ex differentia styli; tum etiam ex angustia & prolixitate Paraphrasium: magna enim est differentia styli. Deinde una Paraphrasis ferè verbotenus transfert; quum alia pro duabus vocibus aliquando decem vel plures voces reponat. Hæc omnia postea, de singulis Paraphrasibus in particulari agentes, clariùs demonstrabimus.

V. *Quintò quæritur.* An Paraphrases Chaldaicæ inveniantur compositæ in omnes libros Veteris T. an verò tantummodo in quosdam libros?

Resp. In omnes libros sunt compositæ Paraphrases, præterquam in libros Danielis, Ezræ & Nehemiæ, quorum duo priores semi-Chaldaici sunt. Sed è contrà in nonnullos libros Paraphrasis est duplex, imo quædam est triplex. Datur duplex Paraphrasis in librum Estheræ, & triplex in Pentateuchum, scil. Onkelosi, Jonathanis, vulgò ita vocata, & Paraphrasis Hierosolymitana. Sed ubinam hæc Targumim, sive hæ Paraphrases inveniuntur? Paraphrases pleræque habentur in Bibliis Buxtorfii in folio; ibi è regione Textus Hebraici semper in altera columnâ est Paraphrasis Chaldaica: sed Paraphrasis Hierosolymitana in Pentateuchum habetur in fine Bibliorum post Libros Chronicorum. Cæteræ duæ, scil. Jonathanis in Pentateuchum, & altera in Estheram inveniuntur in libro *Hanoviæ* edito, in quo, præter Textum Hebræum & commentaria Schelomonis Jarchi, tres Paraphrases in Pentateuchum uno intuitu conspiciuntur, & circa finem duæ Paraphrases in Estheram etiam eodem modo impressæ inveniuntur. Talis Editio Amstelodami ante paucos annos etiam edita est. An datur etiam Paraphrasis Chaldaica in Nehemiam? Non putamus eam ullibi inveniri. An etiam in Chronica? In Anglia latitare ajunt, unde diu ejus Editionem sed frustra hactenus exspectavimus. Anno hujus sæculi 1680. edita est Paraphrasis Chaldaica prioris libri Chro-

Digitized by Google

Chronicorum, & Anno 1683. posterioris libri, utraque Augustæ Vindel. apud *Theoph. Goebelium.* Hactenus fuerat inedita & multùm desiderata; sed nuper è Codice MS. antiquo membranaceo Bibliothecæ Rever. Ministerii Erfordiensis A. C. fuit exscripta, & juris publici primùm facta curâ atque operâ plurimùm Reverendi & Doctissimi Viri D. *Matthiæ. Friderici Beckii*, Consi. & Ecclesiæ Augustanæ Ministri, qui per columnas Versionem Latinam addidit, doctissimisque notis eam Paraphrasin illustravit, addito triplici Locorum S. Scripturæ, Auctorum atque Rerum Indice. Orbis Literatus hujus Doctissimi & Reverendissimi Viri Labores laudat & miratur; ac simul gratias ingentes agit tum pro Editione Prioris & postea etiam Posterioris Paraphraseos Chaldaicæ in Libros Chronicorum, tum etiam pro editis ibidem Anno 1695. *Ephemeridibus Persarum* per totum annum juxta Epochas celebriores Orientis, &c. qui liber est inexhaustæ eruditionis. Deus dominationis ipsius Laboribus cœlitus benedicat. Ut ut sit, Paraphrases Chaldaicæ hactenus typis non sunt impressæ in Nehemiam, in Danielem & in Esram: nam magna ex parte Daniel & Esras Lingua Chaldaica constant. In Daniele occurrunt Versus Chaldaici ducenti, & in Esra sexaginta septem; quos omnes unà cum versu undecimo capitis decimi Jeremiæ, de verbo ad verbum in Linguam Hebraicam transtuli, & in fine Philologi Hebræo-Græci Edit. 2. in publicum emisi.

VI. *Sextò quæritur.* Quanti Paraphrases Chaldaicæ sunt æstimandæ?

Resp. Judæi Paraphrases præcipuè Onkelosi & Jonathanis magni faciunt, imo pro Authenticis habent: & propterea nobis licitum est ex iis contra Judæos argumentari. Judæi eas tanti faciunt tum propter originem, tum propter miracula, quæ temporibus illis, quibus Paraphrastæ intenti erant operi, acciderunt.

Origo Paraphrasium refertur ad ipsos Prophetas. Jonathan dicitur expositionem suam Paraphrasticam accepisse ab Haggæo, Zacharia, & Malachia Prophetis; Onkelosus vero à R. Eliesero & à R. Jehoschua. Sic enim dicitur in Talmude tractatu *Megilla cap.* 1. *pag.* 3. *facie a lin.* 6.
תרגום של תורה אונקלוס הגר אמרו מפי רבי אליעזר ורבי יהושע.
תרגום של נביאים יונתן בן עוזיאל אמרו מפי חגי זכריה ומלאכי
Targum quod est Legis, Onkelos proselytus dixit illud ex ore R. Elieseris, & R. Jehoschuæ. Targum quod est Prophetarum, Jonathan filius Uzielis dixit illud ex ore Haggæi, Zachariæ & Malachiæ.

Deinde Paraphrases tanti fiunt à Judæis propter miracula, quæ, componentibus Targumistis, contigerunt: ex. gr. 1. Terra Israël per quadringentas

gentas leucas dicitur terræmotu tum temporis concussa. 2. Vox è cœlis dicitur audita, quæ ajebat, *Quis est ille, qui arcana mea filiis hominum revelavit?* Hæc in dicto loco Talmudico immediatè sequuntur: ונזדעזעה ארץ ישראל ארבע מאות פרסה על ארבע מאות פרסה יצתה בת קול ואמרה מי הוא זה שגילה סתריו לבני אדם עמד יונתן בן עוזיאל על רגליו ואמר אני הוא שגיליתי סתריך לבני אדם גלוי וידוע לפניך שלא לכבודי עשיתי ולא לכבוד אבא אלא לכבודך עשיתי שלא ירבו מחלוקת בישראל *Et commota est Terra Israël quadringentis leucis, & ex intervallo quadringentarum leucarum exivit filia vocis, & dixit: quis est ille, qui revelavit arcana mea filiis hominum? Astitit Jonathan filius Uzielis super pedes suos & dixit: ego sum ille, qui manifestavi secreta tua filiis hominum. Apertum & notum est coram te, quòd non ad honorem meum fecerim, nec in honorem Patris, sed ad honorem tuum feci, ut non multiplicarentur disceptationes in Israël.* 3. Ne Jonathan in hoc opere ullo modo impediretur, omnia impedimenta dicuntur fuisse remota. Si forte musca, aliudve volatile corpori vel chartæ hujus Jonathæ insideret, illico absque ulla læsione corporis vel chartæ volatile illud dicitur fuisse combustum. Hoc affirmat textus Talmudicus tractatu *baba bathra cap.* 8. *pag.* 134. facie *a circa finem:* אמרו עליו על יונתן בן עוזיאל בשעה שיושב ועוסק בתורה כל עוף שפורח עליו נשרף: *Dicunt de illo Jonatha filio Uzielis, quòd hora qua sederit & studuerit in lege, omnis avis, qua volârit super eum, combusta fuerit.* 4. Ajunt Angelos è Cœlis descendisse ad audiendum, quando Jonathan Paraphrasi formandæ intentus esset. 5. Denique quum hic Jonathan in animum induxisset etiam Hagiographa transferre, divinitus fuit prohibitus, ne omnia arcana manifestaret. Hoc dictus textus Talmudicus immediatè addit: ועוד ביקש לגלות תרגום של כתובים, יצתה בת קול ואמרה לו דייך מאי טעמא משום דאית ביה קץ משיח *Et adhuc quæsivit revelare Targum Hagiographorum. Exivit filia vocis & dixit ei: sufficit tibi. Qua ratione? Idcirco quòd in eo est finis Messiæ.* Hoc procul dubio de excidio Messiæ in Daniele prædicto accipiendum est. *Vide plura apud Schickardum in Bechinath happeruschim.* Hæc sunt ficta à nugacibus Judæis: inde tamen nobis constat quanti Paraphrases ab iis fiant: & propterea nobis licitum est ex iis fidem eorum debellare.

VII. *Septimò quæritur.* An cognitio Paraphrasium Chaldaicarum Christianis est utilis, & quodammodo necessaria?

Resp. Cognitio Paraphrasium est Christianis, volentibus cum Judæis in arenam descendere, perquam utilis, imo necessaria. Ratio hæc est; quia Paraphrases sunt principia Judæorum, ex quibus refutari possunt: Judæorum enim fides ex tribus fontibus potest infringi. Ex Textu Hebræo

 Veteris

Veteris Test. ex Talmude, & ex Paraphrasibus Chaldaicis. Si quis ergo Paraphrases illas, ut & cætera quodammodo non calluerit, non poterit is legitimè, & satis fortiter Judæos convincere. Nam Judæorum fides, & absurdæ exceptiones sæpe fortiùs ex Paraphrasibus debellantur, quàm ex ipso Textu Hebraico. Exemplum unum erit hoc tempore instar multorum. *Genes.* 49: 10. dicit Jacob: לא יסור שבט מיהודה ומחקק מבין רגליו עד כי יבא שילה *Non recedet Sceptrum à Juda & Legislator è medio pedum ejus donec venerit Silo*, sive filius ejus. Nos ex hoc Textu probamus Messiam in Veteri T. promissum, jam diu venisse: quia Sceptrum jam diu remotum fuit à Juda. Verùm multi Judæi, volentes infringere hoc argumentum, ajunt per שבט *Sceptrum* hoc in loco intelligi virgam sive plagam. Nam שבט etiam sæpe significat virgam sive plagam: & propterea putant Messiam nondum venisse: quia virga adhuc est supra Judæos; quoniam hactenus in exilio sub jugo aliorum habitârunt. Sed possunt refutari ex tribus Paraphrasibus in hunc Textum, quæ ita, quemadmodum nos, Textum Hebræum explicant. Jonathan explicat hæc verba per לא פסקין מלכין ושליטין *Non cessabunt Reges & Dominatores*. Onkelos verò exponit לא יעדי עביד שולטן מדבית יהודה *Non auferetur habens Principatum à domo Juda*. Et Paraphrasis Hierosolymitana habet לא פסקין מלכין *Non cessabunt Reges*. Præterea in eodem Textu habetur שילה *Silo*, quam vocem nos interpretamur de Messia. Iudæi iterum negant: sed rursus refutantur ex tribus iisdem Paraphrasibus, quarum prima vocem שילה explicat per משיחא *Messiam*, & duæ posteriores per מלכא משיחא *Regem Messiam*. Ex hoc exemplo videmus, quòd Judæi aliquando fortiùs & clariùs ex Paraphrasibus convincantur, quàm ex ipso Textu Hebræo. E contrà Judæi has Paraphrases contra nos proferre non possunt: quia à nobis pro scripto humano habentur, cui infallibilis fides adhiberi nequit. Qui ergo cum Judæis de articulis fidei disputare tenetur, qualis occasio nonnunquam Pastoribus, & Studiosis inter Judæos habitantibus, offerri solet, oportet aliquo modo tenere Paraphrases. Verùm enim verò deplorandum est tam paucos Christianos quid moliri contra Judæos ad convertendum eos, quum tamen ex sententia plurimorum Theologorum Judæi ante finem Mundi sint convertendi, & ad Christum reducendi. Sed multi Christiani proh dolor! se mutuo perstringunt, atque cane pejus & angue ad magnam Ecclesiæ perniciem & scandalum, persequuntur, vix cogitantes de conversione Judæorum. Pontificii in procuranda conversione Judæorum hac in re laudabilem præstant operam. Romæ enim, ut mihi pro certo relatum est, coguntur per vices quidam ex Judæis singulis hebdomadibus convenire in unum locum, ubi Monachus aliquis,

Digitized by Google

aliquis, Linguarum Orientalium peritus, coram ipsis ex Scriptis Veteris T. ex Talmude, ex Paraphrasibus Chaldaicis, aliisque Scriptis Rabbinorum fidem Christianorum confirmat, & Judæorum refutat. Laudabile sanè medium & instrumentum ad Judæos convincendos. Utinam idem medium à Christianis Magistratibus in illis locis, in quibus quamplurimi Judæi sunt, etiam adhiberetur! Non dubito quin Deus per tale medium aliquando eos in corde esset puncturus.

Objiciet nonnemo, quòd Judæi, & inter eos etiam doctissimi rejiciant nonnunquam Paraphrases Chaldaicas. Maimon *More Nevochim part.* 1. *cap.* 66. expressè ait: *Onkelos hic à vera & genuina expositione recedit:* ergo nihil ex Paraphrasibus contra Judæos probari potest.

Respondeo. Verum est: nonnunquam Judæi, etsi rarissimè, recedunt à Paraphrasibus Chaldaicis: sed hoc inde fit, quia putant Paraphrases propter injuriam temporis in illis locis esse corruptas. Sic enim expressè dicit Maimon *part.* 1. *cap.* 28. *pag.* 72. ubi de Onkelosi Paraphrasi loquitur: *Corrupta & depravata est in exemplaribus nostris hæc expositio sine controversia &c.* Ergo solummodo sub prætextu erroris à Paraphrasibus in quibusdam locis recedunt.

VIII. *Octavò quæritur.* An Judæi unquam datâ operâ Paraphrases Chaldaicas in quibusdam locis corruperunt?

Resp. Hoc mihi nullo modo videtur verosimile: nam 1. Obstat Judæorum Religio vel potiùs superstitio, qua affecti sunt erga S. Scripturam. Potiùs centies mortem obirent, quàm ut tantillùm in S. Codice mutarent: & quia etiam Paraphrases pro Verbo Divino agnoscunt; ideo nullo modo videtur, eos unquam ausos fuisse vel minimum in Targumim mutare.

2. Si Paraphrases unquam corrumpere voluissent, procul dubio eam corruptionem instituissent in illis locis, quæ fidem Judaicam infringunt, & Christianam confirmant. Exemplum suprà dedimus in *quæst.* 5. ex *Genes.* 49: 10. Si quicquam mutare voluissent sanè illum locum debuissent depravasse: quia ex illis tribus Paraphrasibus clarè demonstratur tempus Adventûs Messiæ jam diu præteriisse. Dantur adhuc plura alia similia loca, quæ, etiamsi fidei Judaicæ sint contraria, nihilominus in Paraphrasibus illibata & incorrupta manserunt.

Digitized by Google

DISSERTATIO SEXTA,

Quæ est pars secunda

DE

PARAPHRASIBUS CHALDAICIS.

IX. *Paraphrases injuriâ temporis sunt corruptæ; quod quatuor rationibus probatur.*
X. *Paraphrases primitus fuerunt conscriptæ sine Vocalibus & Accentibus.*
XI. *Paraphrastæ sæpe magis sensum expresserunt quàm verba; & nonnunquam Textum optimè explicârunt.*
XII. *Paraphrases sunt numero sex.*
XIII. *Qualis fuerit Onkelos ille inquiritur.*
XIV. *Paraphrasis Onkelosi jam ornata est non tantùm Vocalibus, sed etiam Accentibus. Est præstantissima, facillima & usitatissima.*
XV. *Targum Hierosolymitani dialectus, auctor, tempus & modus describuntur.*

SECTIO IX.

NActenus octo quæstiones de Paraphrasibus Chaldaicis absolvimus, sequitur nunc *nona*, quâ quæritur. An hodiernæ Paraphrases Chaldaicæ injuriâ temporis sint revera in quibusdam locis corruptæ?

Resp. Paraphrases injuriâ temporis in multis locis jam corruptas esse videtur his sequentibus rationibus probari posse.

1. Quia nulli librorum unquam, præter Textum Sacrum, hæc felicitas contigit, ut post tot Sæculorum decursus, post tot Imperiorum ruinas, post tot Bibliothecarum combustiones, & post tot Scribarum transcriptiones integer & purus, qualis ab ipso Auctore exaratus est, permanserit. Hinc verosimile est hoc idem etiam Paraphrasibus Chaldaicis accidisse; præcipuè quum Judæi toties sint ex patria expulsi: qui propterea tam incorruptè scripta sua conservare non potuerunt. Biblia Hebraica sunt quidem incorruptè conservata; sed hoc non mirum, quum Masorâ, quæ est *sepes Legis*, à multis Sæculis fuerint circumsepta. Verùm Paraphrases nunquam fuerunt circumcinctæ Masorâ: & propterea faciliùs corruptioni fuerunt obnoxiæ.

2. Hanc sententiam etiam confirmat Galatinus *lib.* 2. *cap.* 1. ubi ait se in antiqua Paraphrasi in *cap.* 6. *Jesaiæ* invenisse hæc verba: קדיש אבא קדיש ברא

ברא קדיש רוחא לריטא *Sanctus Pater, Sanctus Filius, Sanctus Spiritus Sanctus.* Atqui hæc verba jam in Paraphrasi Jonathanis non inveniuntur. Verum quidem est, quòd Galatinus sæpe Dogmata sua mendaciis confirmet, & nonnunquam libros citet, qui nunquam in rerum natura fuisse putantur. Hoc quidem non fecit malo fine, sed infelici successu. Nam etiamsi ignorantibus facilè aliquid imponere potuerit, non tamen similiter doctis, qui & ipsi loca inquirere potuerunt. An verò idem fecerit in hoc loco, ignoramus.

3. Hanc Paraphrasium corruptionem etiam videtur probare creberrima lectionis varietas, quæ inter diversas Editiones, etiam ejusdem Targumi, intercedit. Quoties enim Regium exemplar differt à Veneto? Quoties Basiliense ab utroque, prout ex innumeris locis, cuilibet varias Paraphrasium Editiones conferenti, manifestum fiet. Hæ lectionis varietas est ex defectu Masoræ, uti statim diximus. Hoc etiam confirmat Elias in Masor. ubi ait: לולי באו כבר נעשית התורה כשתי תורות ולא היו שני ספרים מסכימי יחד כאשר קרה לשאר ספרי המחברי' ולתרגום אונקלוס: *Nisi venissent* (Masorethæ) *dudum facta esset Lex quasi duæ Leges, nec essent bina exemplaria, quæ congruerent invicem; sicut accidit cæteris libris Auctorum, & ipsi etiam Targum Onkelos.* Hinc videmus, etiam fatente Eliâ, Targumim quibusdam in locis corruptionem quandam contraxisse. Si verò Paraphrasis Onkelosi fuerit obnoxia corruptioni, multò magis etiam aliæ Paraphrases: quia cæteræ ita non fuerunt lectæ & relectæ, quàm quidem Paraphrasis Onkelosi.

4. Etiam corruptio Paraphrasium videtur probari posse ex creberrimis citationibus locorum ex Paraphrasibus, quæ jam in iis non inveniuntur: ex. gr. Elias in Thisbi Rad. פזם ait olim *Amosi* 6: 5. verbum הפורטים *modulantes* fuisse translatum in Paraphrasi per דמקרבצין, quum tamen hoc verbum jam non inveniatur in dicto loco, sed habetur דמנגן. Hinc sequitur vel hodiernam Paraphrasin in illo loco esse corruptam, vel hoc verbum דמקרבצין olim fuisse lectum in alio Targum, quod jam periit: sed posterius non est verosimile: quia non videtur hisce ultimis temporibus Targum aliquod esse deperditum. Nonnullæ quidem Paraphrases sunt deperditæ ante Christum, & subsequentibus aliquot Sæculis; sed ultimis Sæculis propter inventam Typographiam non tam facilè potuerunt perire.

X. *Decimò* quæritur. An Paraphrases Chaldaicæ primitus ab ipsis Auctoribus fuerunt conscriptæ cum Vocalibus & Accentibus; an verò sine iisdem?

Resp. Omnes Paraphrases primitus absque Vocalibus & Accentibus fue-

runt conſcriptæ. Hoc apparet ex tribus literis אוי, quæ vulgò Matres lectionis vocantur. Hæ literæ paſſim in Paraphraſibus Chaldaicis inveniuntur deſcriptæ. Si verò Paraphraſes primitus fuiſſent conſcriptæ cum Vocalibus, tum illæ Matres lectionis non eſſent additæ: nam hæ literæ denotant abſentes Vocales. Ergo ubi hæ tres Literæ Textibus Hebraicis inveniuntur additæ, ibi ipſi Auctores non addiderunt Vocales. Hoc etiam confirmat Elias in præf. Methurg. בלי ספק המתרגמים כתבו תרגומים בלי ניקוד *Procul dubio Interpretes ſcripſerunt Paraphraſes ſuas absque Vocalibus.* Poſterioribus temporibus quidam Paraphraſes punctis ornârunt; ſed non ſecundùm genuinam punctationem in Daniele & Ezrâ uſitatam. Præterea retinuerunt omnes Matres lectionis, quæ, additis Vocalibus, ſunt ſuperfluæ. Verùm Buxtorfius ex ſuâ Editione Baſileenſi pleraſque Matres lectionis rejecit, & Paraphraſes punctavit ſecundùm modum punctandi, qui in Daniele & Ezrâ obſervari ſolet. Omnes quidem Paraphraſes, ſive benè ſive malè, jam Vocalibus ſunt ornatæ, ſed non ſimiliter Accentibus; niſi ſola Paraphraſis Onkeloſi, in qua ubique Accentus conſpiciuntur. Fortaſſe propterea in hac Paraphraſi Accentus ſunt additi, ut lectionem hujus Paraphraſeos, ex quâ Judæi ſingulis hebdomadibus tenentur Sectionem aliquam legalem legere, ſuaviorem & jucundiorem redderent: nam Accentus addunt lectioni ſuavitatem & melodiam aliquam.

XI. *Undecimò quæritur.* An Paraphraſtæ in Tranſlationibus ſuis magis reſpexerunt ſenſum Textûs Hebraici, an verò verba? Et an nonnunquam Textum Hebræum benè explicârunt?

Reſpondeo. Omnes Paraphraſtæ non eodem modo Paraphraſes ſuas compoſuerunt. Paraphraſtæ antiquiores magis κατὰ πόδα Textûs Hebræi verba ſequuti ſunt, quàm recentiores. Hi enim aliquando magis juſtum Commentarium compoſuiſſe videntur quàm Verſionem aliquam. Nonnunquam tres quatuorve voces Hebraicas triginta vel pluribus vocibus Chaldaicis explicârunt; haud rarò etiam Fabulis Talmudicis nimiùm indulſerunt. Hebræi dicunt de Targumiſtis, quòd ſæpiſſime רודפין הענין לא המלות *ſequantur ſenſum non voces.* Et etiamſi ſæpe ſenſum magis reſpexerint quàm verba, non tamen Paraphraſes ſunt contemnendæ. Ubi enim Hebræi circa Textum Hebræum benè aliquid dixerunt, ibi nemo meliùs; ſed ubi malè, ibi etiam nemo pejùs. Paraphraſtæ ſæpiſſime res abſtruſiſſimas optimè & Chriſtianè, præcipuè Jonathan in Prophetis, explicârunt, & ita rem acu tetigerunt, ut non ſine cauſâ Talmudici aliquot in locis in hæc erumpere verba debuerint, uti in *Megilla pag.* 3. *a* videri poteſt: אלמלא תרגומא דהאי קרא לא ידענא מאי קאמר: *Niſi Targum illius Textûs eſſet,* non

Digitized by Google

non sciremus quidnam diceret Textus, vel sensum verborum illorum non intelligeremus. Hinc, quia Paraphrastæ Textum Hebræum sæpenumero optimè explicârunt, ideo Paraphrases illæ à Christianis in locis difficilioribus nonnunquam sunt consulendæ. Hoc fecit Buxtorfius in Lexico Hebraico: in eo enim voces Hebraicas difficiles ex Targum explicavit & illustravit. Hoc etiam sæpe fecerunt Hebræi Commentatores Bibliorum, qui explicationes suas, allegando ipsissima Paraphrasium verba, ex iisdem sententiam suam confirmârunt; prout passim in Commentariis R. Davidis Kimchi, aliorumque Commentariorum videri potest. Hæc de Paraphrasibus Chaldaicis in genere dicta sufficiant.

XII. Absolutâ generali Paraphrasium Chaldaicarum tractatione, sequitur ut de iisdem in specie agamus. In universum sunt sex Paraphrases, quarum nulla tamen in totum V. T. composita est. *Prima* est Onkelosi in Pentateuchum. *Secunda* vocatur Targum Jeruschalmi, similiter in Pentateuchum. *Tertia* etiam est in Pentateuchum, quæ vulgò Jonathani adscribitur. *Quarta* est Jonathanis in Prophetas Anteriores & Posteriores. *Quinta* est in quinque Libellos, scil. in Cantica Canticorum, in librum Ruthæ, Threnorum, Ecclesiast. & Estheræ. *Sexta* denique est in Psalterium, Proverbia & Jobum. De singulis ordine, quantum necesse videbitur, agemus.

I. *Targum Onkelosi.*

XIII. De *hoc Targum quæritur*. Qualis fuit Auctor ille, qui hanc Paraphrasin composuit?

Resp. De hoc Auctore sunt quatuor sententiæ; quarum *prima* est eorum, qui putant ob soni nominalis affinitatem eum fuisse unum ex Patribus, cui nomen fuit Aquilas Ponticus. Sed hæc sententia rejicitur ob has sequentes rationes. 1. Magna est differentia inter אונקלוס (hæc enim Paraphrasis vocatur תרגום אונקלוס) & inter Aquilam. 2. Aquilas ille quondam fuit celebris propter factam Versionem Græcam; verùm hic celebratur propter Paraphrasin Chaldaicam in Legem. 3. Aquilas fuit nominatus Christianus, sed hic Onkelos illo titulo fuit antiquior: nam vixit etiam ante tempora Christi, quando nomen Christiani adhuc fuit ignotum. 4. *Onkelos* olim Hierosolymis vixit, etiam ante Christum sub Hillele; Aquilas verò vixit sub Hadriano & Antonino Pio Imperatoribus.

Secunda sententia est eorum, qui hunc Onkelosum confundunt cum עקילס *Akilas*. Verum quidem est: hic Akilas etiam fuit Proselytus, & scripsit

scripsit etiam Targum aliquod, quod in Bereschit Rabba passim citatur; sed hactenus injuriâ temporum periit. Attamen hic Akilas non est confundendus cum Onkeloso. 1. Quia אונקלוס & עקילס nomine differunt tam ratione scriptionis quàm pronunciationis. 2. In scriptis Rabbinorum utriusque fit distincta mentio. 3. Akilas Prophetas & Hagiographa vertit, ut ex allegatis locis *Esa.* 3. & *Prov.* 12. apparet; Onkelos verò Pentateuchum transtulit.

Tertia sententia, quæ etiam est communis Judæorum, statuit hunc Onkelosum fuisse Titi Vespasiani sororium, qui post excidium Hierosolymæ, ejurato Gentilismo, factus est Judæorum Proselytus. Hanc sententiam elegit olim Elias Levita in præfat. sui Methurgeman, ubi ait: אונקלוס היה בן אחותו של טיטוס שחרב הבית *Onkelos erat filius sororis Titi, qui demoliebatur domum* (Sanctuarii). Verùm nec hæc sententia placet propter temporis nimiam diversitatem: nam noster Onkelos annis circitèr 40. ante Christum natum sub Hircano factus est Proselytus, quum ille Titi sororius, qui fortasse eodem nomine fuit præditus, vixerit post Urbis excidium: nam tum demum factus est Proselytus. Et nullo modo videtur verosimile nostrum Onkelosum, etiamsi maximè longævus fuisse statuatur, usque ad Urbis & Templi vastationem supervixisse. Hic ergo noster Onkelos nullus est ex tribus præcedentibus.

Quarta sententia est *Schickardi*, qui *in Bechinath Happ. pag.* 25. putat nostrum Onkelosum ante Christum natum fuisse, eique fuisse coætaneum, & Rabbano Gamalieli Seni (ad cujus pedes Apostolus Paulus Pharisaismum didicit) octodecim annis ante Urbis incendium defuncto, Justa fecisse, 70. thuris libras in ipsius Busta honoris ergò insumendo, & pro more gentis super ejus cadaver comburendo. Noster Onkelos fuit etiam Proselytus: nam passim in Talmude vocatur Onkelos הגר *Proselytus*. De hujus Auctoris Paraphrasi hæc sequentia sunt observanda.

XIV. §. 1. Hic Onkelos videtur tantùm scripsisse Paraphrasin in Pentateuchum, & nulla etiam alia ejus nomine hodie circumfertur. *Galat. lib.* 1. *cap.* 3. ait: *Hic Ankelos* [*pro* Onkelos] *totam Bibliam* [*pro* tota Biblia] *in Chaldæum vertit atque exposuit.* Sed Galatino, homini sæpe nimis credulo, & absque ullo testimonio sæpe multa proferenti, non facilè est adhibenda fides.

§. 2. Hæc Paraphrasis sola ex omnibus Paraphrasibus est ornata *Accentibus*, & ferè ubique eisdem, quibus Textus Hebraicus: adeo ut sub iisdem Hebræorum Accentibus, instar ipsius authenticæ Legis decantari possit; nisi ubi interdum plura liberioris Paraphraseos verba, vinculis

Maccaph

Digitized by Google

Maccaph unita, longioris melodiæ ambitu sonanda sunt, & eâdem quasi chordâ aliquandiu oberrandum, uti loqui amat *Schickardus in Bech. Happ.*

§. 3. Hæc Paraphrasis est una ex *antiquissimis* Paraphrasibus, quæ hodie inveniuntur: nam est composita ab Auctore, qui ante vel circa tempora Christi vixit.

§. 4. Est una ex *præstantissimis* Paraphrasibus, quæ extant: nam contextum κατὰ πόδα sequitur, & vix plura verba, nisi *Genes.* 49. & in paucis aliis locis, continet, quàm Textus Hebræus; prout videri potest in Bibliis Venetis, Basileensibus, Hanovianis, & novis Anglicanis, in quibus hæc Paraphrasis juxta Textum Hebræum collocatur: verùm in Bibliis Regiis eadem Textui Sacro subjicitur. Etiam propterea hæc Paraphrasis Onkelosi est præstantissima: quia Onkelos admodum cautus fuit in explicandis ἀνθρωποπαθείαις, quæ passim in S. Scriptura occurrentes, facilè ansam errandi præbere possent.

§. 5. Est etiam *facillima*, & propterea captui plebis accommodatissima: quia de verbo ad verbum Textum Sacrum sequitur. Sed quandoquidem sunt variæ hujus Paraphraseos Editiones, quæ multùm ab invicem differunt; ideo ea Editio à nobis judicatur esse facillima, quæ à Buxtorfio juxta punctationem, in Daniele & Ezra usitatam, punctata est.

§. 6. Fuit etiam *usitatissima* inter Judæos, tum quia sæpiùs exscribebatur, & typis excudebatur; tum etiam quia Judæi olim tenebantur & adhuc hodie tenentur quâvis hebdomadâ Sectionem aliquam ex hâc Paraphrasi legere. Hoc affirmat Elias Levita *præfat. in Methurg.* cum ait: קודם שנמצארת מלאכרת הדפוס לא היו נמצאים תרגום נביאים וכתובים כי אם אחד במדינת ושנים באיקלים לכן לא היה מי שהשגיח בהם אבל תרגום אונקלוס תמיד נמצא לרוב: וזה מפני שחייבים אנחנו לקרא בכל שבוע הפרשה שנים מקרא ואחד תרגום *Antequam inveniretur Ars Typographica, non extabant Targum Prophetarum & Hagiographorum, nisi vel unum in Provincia, vel ad summum duo in universo Climate. Proptèrea nec quisquam erat, qui ea curaret. At Targum Onkelosi semper repertum est affatim. Et hoc ideo, quia nos obligati sumus, ut legamus quâvis septimanâ Parascham bis, semel in Textu, & semel in Targum.* Hæc de Paraphrasi Onkelosi.

II. Targum *Hierosolymitanum.*

XV. De hoc Targum hæc sequentia observa.

§. 1. Hoc Targum vocatur תרגום ירושלמי *Targum Hierosolymitanum.* Sed quare? Vel ab Urbe, in qua translatum est; vel à Linguâ sive Dialecto,

Digitized by Google

cto, quâ conscriptum est. Datur etiam Talmud Hierosol. quod eâdem dialecto exaratum est. Dialectum quod attinet, etiamsi omnes Paraphrastæ Linguâ Chaldaicâ scripserint, variis tamen dialectis pro Sæculorum & Regionum varietate, in quibus vixerunt, usi fuerunt.

Chaldaicæ Linguæ triplex olim fuit dialectus. *Prima* fuit *Babylonica*, quæ in florente Regno Babylon purissima fuit. Hâc usi sunt in Sacris Literis Daniel, Ezras & Jeremias in versu illo Chaldaico *cap.* 10. *vers.* 11. Et postea eâdem dialecto, licet impuriore, usi fuerunt Onkelos, Jonathan, & Auctor, sive Auctores Talmudis Babylonici.

Secunda dialectus est *Hierosolymitana*, quæ Judæis Hierosolymis, & in circumjacentibus Regionibus habitantibus, familiaris fuit. Hâc dialecto usi sunt Auctores Targumi, vulgò adscripti Jonathani Uzielidi, & Jeruschalemi in Legem, & illius in Hagiographa. Etiam hanc dialectum suam agnoscunt Talmud Hierosolymitanum, Liber Zohar, & quædam Medraschim.

Tertia dialectus est *Syra Comagena* sive *Antiochena* dicta, quæ ex Antiocheno tractu in reliquas Syriæ partes propagata fuit. Eâ dialecto Novum Testam. Syriacum descriptum est. Targum igitur Hierosolymitanum ad secundam dialectum referri debet. *Vide Diatribam de compend. & facili Linguam Hebr. & Chald. condiscendi ratione, & Præfat. Francisci Tayleri Versioni Targumi Hieros. præmissam.*

§. 2. Auctor hujus Targum planè est ignotus, etiam ipsis Judæis: sic testatur Elias præf. Methurg. המתרגם ירושלמי שתרגם התורה לא נודע לנו מי הוא: *Interpres Jerosolymitanus qui vertit Legem, ignotus est nobis quisnam fuerit.* Nonnulli putant illud Targum ab uno Auctore esse compositum. Schickardus existimat Auctores ejus, numero plures fuisse, sed Collectorem unum.

§. 3. Quando sit compositum, ignoratur. Saltem aliquot Sæculis post Onkelosum & Jonathanem scriptum esse conjicitur *primò* ex stylo impurissimo, quo constat: nam ei multæ voces extraneæ, Græcæ, Romanæ, imo Persicæ sunt immixtæ, testante Eliâ in præfat. Methurg. תרגום ירושלמי יש הפרש גדול בינו ובין תרגום הבבלי וזה לפי שהוא מורכב מן הרבה לשונות בבלי· ויוני· ורומי· ופרסי· *Ingens est differentia inter Targum Jerosolymitanum & Babylonicum. Illud enim abundat pluribus Vocalibus Babylonicis, Græcis, Romanis, atque Persicis.* Et quo stylus est impurior, eo etiam est recentior. Lingua enim Chaldaica, quâ utebantur Judæi post solutam Capt. Babyl. erat purior secundùm puriorem Dialectum Chaldaicam; sed temporibus sequentibus, quando Judæi versabantur inter Romanos,

Digitized by Google

manos, aliosque Gentiles, multæ voces barbaræ, illis Nationibus propriæ, propter nimiam cum illis familiaritatem, Linguæ Chaldaicæ fuerunt immixtæ. Et quo major erat temporis & loci distantia ab illâ Captivitate & à Chaldæâ, eo major etiam fuit alienatio Linguæ Chaldaicæ à primævâ suâ puritate. Ex his concludimus hoc Targum esse multo recentius præcedentibus Targumim. Hæc novitia quodammodo antiquitas hujus Targum *secundò* etiam probatur ex rebus, quæ post Christum gesta sunt. Ex. gr. *Levit.* 26:29. hoc Targum facit mentionem famis Hierosolymitanæ, cum Judæi comederent carnem filiorum suorum, & filiarum suarum. Atqui illa obsidio, in qua dicuntur mortui fame immani, aut cæsi undecies centena millia, facta est circa annum Christi 64. Elias in *præfat. Methurg.* putat hoc Targum vel paulò ante, vel paulò post Talmud esse conscriptum.

§. 4. Hoc Targum non est continua serie, ut cætera omnia, sed interruptâ serie compositum. Aliquando multos versus Hebraicos sine ullâ translatione transilit & omittit, nonnunquam diutius in quibusdam locis immoratur. Hinc nonnulli putant hoc Targum non totum superesse, sed tantummodo ejus partem, quæ quasi rudera & fragmenta veluti tabulas post naufragium continet Alii putant esse collectanea, composita quidem à diversis Targumistis, sed collecta & congregata ab uno Auctore. Ut ut sit, jam saltem interrupta est, & quidem miro modo: nam aliquando in medio versu & semi-completo sensu incipit, vel desinit. Hujus Targumi Translatio Latina Anno 1649. Londini in lucem edita est.

DISSERTATIO SEPTIMA,

Quæ est pars tertia & ultima

DE

PARAPHRASIB. CHALDAICIS.

XVI. *Paraphraseos tertiæ non est Auctor Jonathan Uzielides, qui Prophetas transtulit; quod probatur ex stylo, ex fabulis admixtis, & ex rebus gestis.*

XVII. *Hæc Paraphrasis est utilis, sed olim fuit ignota. Jam aliquoties est impressa.*

XVIII. *Jonathan Uzielides, vir maximæ auctoritatis, conscripsit optimas Paraphrases in Prophetas anteriores & posteriores.*

XIX. *Paraphraseos in quinque libellos, conscriptæ dialecto Hierosolymitana,*

tana, *Auctor est ignotus. In Estheram est duplex Versio, quæ Latinè est translata.*

XX. *Auctor Versionis in Psalmos, Proverbia & Jobum vocatur Rab Jose: sed est ignotus. Non convenit cum aliis Paraphrastibus quoad stylum.*

XXI. *Methodus legendi & discendi Paraphrases Chaldaicas.*

III. Targum *tertium in Pentateuchum.*

HActenus egimus de Paraphrastibus Chaldaicis in genere, & de duabus in specie, scil. de Paraphrasi Onkelosi & Hierosolymitanâ; jam sequitur ut de reliquis quatuor in specie agamus.

XVI. *Quæritur.* Quis est Auctor hujus tertiæ Paraphraseos Chaldaicæ in Pentateuchum.

Resp. Vulgò hæc Paraphrasis adscribitur Jonathæ filio Uzielis, qui Paraphrases in Prophetas composuit. Hinc hæc Paraphrasis à Judæis vocatur תרגום יונתן בן עוזיאל *Targum Jonathanis Uzielidis:* sed falluntur summoperè Judæi, prout ex rationibus statim afferendis manifestum fiet. Verum quidem est, & vix ulli dubitamus, quin Jonathan filius Uzielis etiam composuerit Paraphrasin in Pentateuchum: nam expressè hoc videtur indicari à Talmudistis in loco Talmudico suprà allegato *Tractatu Bava batra p.* 134. אמרו עליו על יונתן בן עוזיאל בשעה שיושב ועוסק בתורה כל עוף שפורח עליו נשרף: *Dixerunt de illo Jonatha filio Uzielis, quòd horâ quâ sederit & studuerit in Lege* (h. e. Pentateucho) *omnis avis, quæ volârit super eum, combusta fuerit.* Deinde in loco suprà alleg. *ex Megilla pag.* 3. dicitur, quòd cum voluerit pergere in transferendis Hagiographis, audiverit vocem, quæ ajebat דייך *sufficit tibi.* Videtur admodum probabile eum jam antea transtulisse Pentateuchum: quia libri Pentateuchi majoris fiunt à Judæis quàm Hagiographa. Deinde quia Judæi singulis hebdomadibus Sectionem aliquam ex Pentateucho debuerunt legere. Verumenimvero inde non sequitur, illam Paraphrasin, quæ hodie hoc specioso nomine circumfertur, esse eandem illam, quam Jonathan ille olim composuit. Hanc hodiernam Paraphrasin in Pentateuchum, quæ hoc specioso Jonathanis nomine jam circumfertur, non esse eandem illam antiquam, vel non esse Jonathæ adscribendam, probamus his sequentibus rationibus.

Ratio 1. Quia est magna differentia inter stylum, in Prophetis observari solitum (quæ Paraphrasis sine contradictione Jonathani adscribitur) & inter stylum, qui in hâc Paraphrasi observatur. Targum in Prophetas est arctum, & verbis sollicitè adstrictum; hoc verò est prolixum, & instar justi Commentarii latissimè diffusum. Judæi

Digitized by Google

Judæi fortasse excipient, non mirum esse quòd in Paraphrasi Legis plura sint addita, quàm in Prophetarum Paraphrasi: quia Pentateuchus continet historias: & leges, quibus facilè aliquid addi potuit; sed Prophetis, quia futura prædicunt, tam facilè propter incertitudinem rei futuræ quædam addi non potuerunt.

Resp. Prophetæ anteriores, scil. libri Josuæ, Judicum, Samuelis & Regum etiam sunt libri merè Historici. Quare stylus Paraphraseos ibi æquè latè diffusus non est, quàm in Paraphrasi Legis? Deinde *Gen. cap.* 49. occurrit Prophetia de filiis Jacobi, & tamen ibi in illâ Paraphrasi multa sunt addita. Quare Jonathan magis in illâ Prophetiâ stylum suum dilatasset, quàm in Paraphrasi in Prophetas posteriores?

Ratio 2. Paraphrasis hæc non videtur esse Jonathæ: quia quamplurimas habet fabulas, redolentes superstitiones Judaicas; quæ sanè nugæ non videntur conscriptæ à tam sapienti viro, ita apud Judæos semper celebrato. Ex. gr. *Genes.* 1:16. occurrit fabula de duobus Luminaribus, scil. Sole & Luna, quæ viginti & unum annos dicuntur fuisse æqualia; sed Luna dicitur fuisse imminuta, quia dicebat impossibile esse duos Reges ejusdem dignitatis posse simul regnare. Sic enim ait Paraphrasis: ועבד יהוה ית תרין נהוריא רברביא והוון שוין באיקרהון עשרין וחד שנין --- ומן בתר כן אשתעית סיהרא זכו' *Et fecit* JEHOVA *duo Luminaria magna, & fuerunt æqualia in præstantiâ suâ viginti & unum annos: —— sed postea Luna fuit imminuta &c.* Vide hanc fabulam pleniùs descriptam apud Buxtorfium *in Synagoga cap.* 17. Hinc concludimus nullo modo esse verosimile illum Jonathanem etiam hanc Paraphrasin composuisse, quum in Paraphrasi Prophetarum tales fabulas non immiscuerit.

Ratio 3. Quia illa Paraphrasis quarundam rerum facit mentionem, quæ diu post tempora Jonathanis acciderunt: ex. gr. *Exod.* 26:9. facit mentionem sex partium, in quas Misna divisa est, quum certum sit Misnam demum à Rabbi Jehudâ esse collectam circa annum Christi 150. & Jonathan Paraphrastes vixit ante, vel ad minimum circà tempora Christi. Verba illius Paraphraseos ita sese habent: וית שית יריען לחוד כל קבל שית סדרי מתניתא *Et sex Aulaa seorsim, juxta sex ordines Misnæ.* Et *Num.* 24:19. hæc eadem Paraphrasis meminit Constantinopoleos, cum ait: ויקום שליט מדבית יעקב ויוביד וישיצי שיזבותא דמשתייר מן קושטנטיני קרתא חיבתא ויצרי ויחרוב כרכא מרודא וקיסרין תקיף קרוי עממיא *Et surget Imperator è Domo Jacob, perdet atque exterminabit reliquias, quæ supersunt de Constantinopoli; Urbe renovatâ, & vastabit atque diruet Arcem rebellem, & Cæsaream fortem, Urbes populorum.* Hæc diu videntur gesta post tempora

Digitized by Google

pora Jonathanis Uzielidis. Quod Schickardus ad primum excipit, nihil esse videtur, scil. Traditiones Talmudicas Jonathane illo esse vetustiores, ac à Salvatore nostro aliquoties reprehensas; ac propterea non esse mirandum, si Jonathan faciat mentionem Traditionum Talmudicarum. Verùm non Traditionum, quæ in Misnâ sive Gemarâ continentur, hic Paraphrastes facit mentionem; sed partium Talmudicarum, in quas liber ille, qui dicitur Misna, Anno 150. post Christum divisus est. *Vide plura apud Schickardum Disput.* 2. De hâc secundâ in Legem Paraphrasi hæc sequentia observa.

XVII. 1. Hæc Paraphrasis tertia utilem operam præstat contra Judaicos Commentatores, quibus sæpenumero expressissimè contradicit: nam Vaticinia quædam, quæ Judæi ad Davidem, Salomonem, vel alios mortales pravè detorquent, de Messiâ rectè & Christianè exponit. Exemplum suprà ex *Genes.* 49: 10. attulimus.

2. Hæc Paraphrasis fuit semper rarissima, & antiquis ferè ignota. Judæo Eliæ Levitæ, antiquitatis curiosissimo indagatori, planè ignota fuit, nisi quòd alicubi ejus mentionem factam viderat. Apud Fagium & Mercerum ejus Paraphraseos est altum silentium; nisi quòd posterior ad *Genes.* 3: 31. ex R. Menahem Recanathensi hujus Paraphraseos mentionem faciat; sed ita, ut eam apud nos non extare asserat. *Galatinus lib.* 1. *cap.* 3. ejus mentionem faciens, atque initium ejus מן אולא וכו׳ recitans, ait rarissimam esse, seque semel eam tantùm vidisse. Et Galatinus demum superiori Sæculo vixit.

3. Quando & à quo hæc Paraphrasis sit composita, ignoramus. Ex exemplis suprà allatis probavimus eam non esse compositam à Jonathane Uzielide, nec esse ultimæ antiquitatis. Etiam styli cruditas hoc videtur satis evincere. Vide tale exemplum ex *Genes.* 35: 8. apud Hottingerum *lib.* 1. *c.* 3. §. 1. Ut ut sit, etiamsi hæc Paraphrasis ante aliquot Sæcula fuerit conscripta, non tamen est typis in lucem edita, nisi ante centum præter propter annos Venetiis è quodam MS. Codice; deinde Basileæ; denique Hanoviæ Anno 374. secundùm supputationem Judaicam minorem, h. e. Anno Christi 1614. Anno 1682. imprimitur Amstelodami unà cum Paraphrasi Onkelosi, Hierosolymitana & cum Commentariis R. Sel. Jarchi.

IV. Targum *quartum Jonathanis Uzielidis in Prophetas anteriores & posteriores.*

XVIII. 1. Auctor Targumi in Prophetas vocatur יונתן בן עוזיאל *Jonathan filius Uzielis.* Hujus sæpe fit mentio in Talmude, uti ex antecedentibus manifestum est. Fuit unus ex discipulis magni & celebris illius Hillelis, prout dicitur in Talmude Tractatu *bava batra cap.* 8. *pag.* 134. *facie a circa med.* תנו רבנן

Digitized by Google

רבנן שמונים תלמידים היו לו להלל הזקן שלשים מהן ראוים שתשרה עליהן שכינה כמשה רבינו שלשים מהם ראוים שתעמוד להן חמה כיהושע בן נון עשרים בינוניים גדול שבכולן יונתן בן עוזיאל: קטון שבכולן רבן יוחנן בן זכאי: *Tradunt Magistri nostri quòd octoginta discipuli fuerint ipsi Hilleli seni. Triginta ex illis digni, ut habitaret supra eos Spiritus S. sicut supra Mosen praeceptorem nostrum, supra quem est pax. Et triginta ex illis digni, ut stet ipsis Sol, sicut Josuae filio Nun. Viginti intermedii. Maximus, qui in omnibus illis, erat Jonathan filius Uzielis. Parvus, qui inter omnes illos, erat Rabban Jochanan filius Zaccai.* Hinc apparet quanti Judæi hunc Jonathanem Uzielidem faciant. Ajunt eum esse discipulum, quod etiam creditur, illius magni & celebris Hillelis, qui 80. celeberrimos habuit discipulos, inter quos hic dicitur fuisse præstantissimus. Præterea cum Zaccaide, viro profundissimè docto, eum comparant; & dicunt illum fuisse minimum, hunc verò nostrum è contrà maximum. Quòd hic Jonathan transtulerit Prophetas, unanimiter creditur & defenditur à Judæis. Hoc etiam approbat calculo suo Elias Levita in præfat. Methurg. quando ait: יונתן בן עוזיאל תרגם להם שמונה נביאים הוא היה מתלמידי הלל שהיה כמו מאה שנה קודם חרבן הבית *Jonathan filius Uzielis interpretatus est eis octo Prophetas — Ille erat è Discipulis Hillelis, qui claruit centum annis ante vastationem Domûs.* Hîc videmus qualis fuerit ille Jonathan, quid fecerit, & quando vixerit. Claruit ergo ante Christum, & ejus prodromum Johannem Baptistam. Falluntur igitur, qui eum cum Theodotione, Versionis Græcæ quondam Interprete, propter solius nominis affinitatem (quia Theodotion & Jonathan idem significant, scil. *Dei Donum*, vel *Deus dedit*) confundunt.

2. Hæc Paraphrasis est revera una ex præstantissimis: nam quamplurima loca, de Messiâ obscuriùs loquentia, prorsus Christianè & dilucidè explicat. Etiam Judæi hanc Paraphrasin pro præstantissimâ agnoscunt. 1. Quia persona, quæ eam scripsit, fuit tam excellens. 2. Quia credunt hunc Jonathanem doctrinam suam ab Haggæo, Zachariâ & Malachiâ Prophetis accepisse, uti suprà dictum est. 3. Propter miracula, quæ dicuntur illo tempore, occasione illius Paraphraseos, evenisse. Eadem suprà ex Talmude enumeravimus.

V. Targum *quintum quinque libellorum, scil. Cantici Canticorum, Rutha, Threnor. Eccles. & Esthera.*

XIX. 1. Hæc Paraphrasis quinque libellorum, cujus Auctor planè ignotus est, in multis ferè est justus commentarius: aliquando loco trium aut quatuor

quatuor Vocum Hebraicarum viginti vel triginta Voces Chaldaicas substituit.

2. Est conscripta Dialecto Hierosolymitana, secundâ scil. Dialecto, quâ Judæi Hierosolymis, & in Judæa fuerunt usi.

3. In hâc Paraphrasi quædam Fabulæ Talmudicæ inveniuntur: ex. gr. *Estheræ cap.* 2. *versu* 9. dicitur, quòd Estheræ fuerint datæ septem puellæ, quæ ipsi ministrarent. Hinc prima Paraphrasis in ejus librum fingit Estheram, cum inter Gentiles habitaret, qui Sabbathum secundùm morem Judæorum non colebant, & propterea difficile esset dies septimanæ & Sabbathum distinguere, habuisse septem virgines, quas certis nominibus tanquam memorialibus insignivisset. Harum singulæ singulis diebus, prout ei nomen diei erat impositum, Estheræ inserviebant, ut sic, nominato nomine ancillæ, statim diem hebdomadarum cognosceret: ex. gr. prima ancilla vocata fuit חוֹלְתָא *Profana*, quia primo die septimanæ (sex enim dies vocantur חולין *profani*) ipsi inserviebat. Secunda ancilla vocabatur רוֹקְעִיתָא à רָקִיע *exspanso*, quia expansum secundo die creationis est creatum. Vide hanc fabulam pleniùs descriptam in ipsâ Paraphrasi, & in Lexico Chal. & Syr. Buxtorf. *Rad* חלל.

4. Inventur adhuc aliud Targum in Estheram, ita incipiens והוה ביומי אחשורוש הוא אחשורוש חד מן עסר מלכין די מלכו ועתירן בעלמא ואילין אינון עסר מלכין מלכותא קדמייתא דמלך מלכיא יי׳ צבאורת דבעגלא תתגדל מלכותיה עלן וכו׳ *Et fuit in diebus Ahasveri. Ille Ahasverus fuit unus è decem Regibus qui regnabant, & divites erant in Mundo. Et hi sunt illi decem Reges. Regnum primum est Regis Regum Domini Exercituum, cujus Regnum cito magnificabitur*, &c. Hæc posterior Paraphrasis est ferè duplo major priori, & ad minimum triplo major Textu Hebraico; adeo ut magis justus Commentarius esse videatur, quàm Versio aliqua. A quo, & quando hæc Paraphrasis sit composita ignoratur. Franciscus Taylor Anglus Anno 1665. utriusque in Estheram Paraphraseos Latinam Translationem Londini in lucem emisit.

VI. Targum *sextum in Psalmos, Proverbia & Jobum.*

XX. Hoc Targum vulgò vocatur תרגום רב יוסי *Targum Rab Jose*. Auctor hujus Paraphraseos vulgò constituitur Rab Jose, qui dicitur cæcus, vel, ut alii volunt, luscus fuisse. Sunt qui hanc Paraphrasin Jonathani adscribunt, sed contra Talmudistarum sententiam, qui ajunt, uti suprà diximus, ipsum voluisse quidem Hagiographa transferre, sed per *filiam vocis*

Digitized by Google

cis cohibitum fuisse. Sunt nonnulli qui putant Auctorem hujus Paraphraseos esse ignotum: sic ait R. Azarias *in Meor. En. pag.* 148. *a* תרגום כתובים הנמצא הוא מאיש לא ידענוהו *Targum Hagiographorum præsens auctorem habet nobis ignotum.* Ut ut sit de Auctore, hoc certum est, hanc Paraphrasin non esse similem cæteris Paraphrasibus. Est enim scripta stylo inæquabili, cui multæ voces Syriacæ, Græcæ & Latinæ immixtæ sunt. Hinc est, quod hæc Paraphrasis ita difficilis sit, ut ne quidem ab ipsis Judæis, etiam doctissimis, qui cognitione harum linguarum destituuntur, rectè intelligi possit. Sic conqueritur Elias Levita quod nonnullas voces, quæ Syriacæ erant, non intellexerit. Sed non mirum, cum Linguam Syriacam non calluerit. *Vide Lex. Talmud. Buxt. pag.* 2344. Hæc Paraphrasis tanti non sit quanti Paraphrases Jonathanis & Onkelosi. Vide plura de Paraphrasibus Chaldaicis apud Schickardum in Bechinat Happeruschim, & Hottingerum in Thesauro Philologico.

ANNEXUM

continens methodum legendi & discendi Paraphras. Chald.

XXI. Quandoquidem videmus Paraphrases Chaldaicas esse utiles, tum ad verum S. Scripturæ sensum in multis locis dubiis percipiendum, tum etiam ad Judæos in nonnullis fidei articulis convincendos, operæ pretium erit ut breviter methodum indicemus; quam in Paraphrasibus Chaldaicis legendis & evolvendis observandam esse judicamus. Hæc igitur observanda veniunt.

§. 1. In principio hæc regula hîc præmittenda est, οὐδεὶς ἀνεβραῖος εἰσίτω, *nemo Hebraicæ Linguæ imperitus ingrediatur*, sive Paraphrases aggrediatur: nam Lingua Hebraica est mater Linguæ Chaldaicæ. Deinde nemo Linguam Chaldæam benè intelliget, nisi priùs præceptis Linguæ Hebraicæ fuerit imbutus. Deinde qui Grammaticas Chaldaicas conscribunt, præsupponunt Lectorem præcepta Hebraica novisse; & propterea iis omissis utplurimùm tantùm præcepta Chaldaica tractare solent. Idem etiam in Linguâ Græcâ est observandum: nam quemadmodum non consultum est discere aliquam dialectum, sive Doricam, Æolicam, Boëticam, aut similem aliquam non præmissa cognitione communis dialecti Linguæ Græcæ; ita etiam non consultum est discere Linguam Chaldaicam sine præviâ cognitione Linguæ Hebraicæ. Nam quum Linguâ Chaldaicâ & Syriacâ sint magis dialecti Linguæ Hebraicæ, quàm novæ linguæ; ideo ipsam Linguam priùs discendam esse judicamus. Mediocriter igitur Lector Linguæ He-

Digitized by Google

braicæ peritus esse debet, antequam Linguam Chaldaicam, vel Paraphrases Chaldaicas aggrediatur.

§. 2. Lector imbutus mediocri cognitione Linguæ Hebraicæ, aggrediatur ante omnia Textum Chaldaicum Danielis & Ezræ: quia in illis purissima dialectus Chaldaica comprehenditur, quâ olim Chaldæi, florente regno, usi fuerunt. Et ut Philo-Chaldæus hos Textus Danielis & Ezræ ediscere posset, utatur Lexico Hebraico & Chaldaico Buxtorfii, in quo omnes Radices Chaldaicæ unà cum derivatis, Radicibus Hebraicis immixtæ, inveniuntur; vel utatur meâ tabellâ aut Manuali meo Chaldaico, in quo omnes Veteris T. Radices Chaldaicæ, & earundem derivata ordine alphabethico disponuntur. Deinde ut Lector Textus illos Grammaticè resolvere possit, utatur Grammaticâ Chaldaicâ Buxtorfii; vel si brevitati studeat, utatur meis paucissimis præceptis Chaldaïcis, quæ in secundâ Editione Scholæ Syriacæ habentur; quibus mediantibus Lector facilè hos Textus Chaldaicos Danielis & Ezræ enucleare poterit.

§. 3. His Textibus Danielis & Ezræ quodammodo perlectis, aggrediatur ipsas Paraphrases. Et quandoquidem omnes non sint æquè intellectu faciles, vel difficiles; ideo sciendum est à quali initium sit sumendum. *Primò* igitur aggrediatur Philo-Chaldæus Paraphrasin Onkelosi in Pentateuchum. Illa enim est una ex facillimis, & ferè de verbo ad verbum Textum Hebræum transfert; etiam ornata est accentibus, sententias sæpe distinguentibus, cum omnes cæteræ Paraphrases accentibus careant. *Secundò* pergat in Paraphrasi Jonathæ in Prophetas anteriores, & uno vel pluribus libris perlectis progrediatur ad Prophetas posteriores; & illis ex parte lectis progrediatur ad cæteras, quascunque velit. Verùm quandoquidem in his Paraphrasibus multæ occurrant voces Chaldaicæ, quæ in Veteri T. non habentur; & consequenter etiam non in Lexico Hebraico-Chaldaico Buxtorfii; ideo utatur Philo-Chaldæus Lexico ejusdem Auctoris Chaldaico & Syriaco in quarto: in eo enim omnes voces Chaldaicæ, in Paraphrasibus occurrentes, dilucidè explicantur. In Paraphrasibus Hagiographorum etiam occurrunt voces Græcæ, Latinæ, aliarumque linguarum, quæ à Judæis, egregiè etiam doctis, sed cæterarum linguarum imperitis, non benè intelliguntur; ideo ut Philo-Chaldæus huic malo succurre posset, utatur libro *Davidis Cohen de Lara*, vocato עיר דויד *urbs Davidis*. Hic liber, editus in 4. Amstelodami Anno 1638. explicat omnes peregrinas voces, & simul ostendit convenientiam vocabulorum Rabbinicorum cum Græcis, aliisque linguis Europæis. Nulli dubitamus, quin studiosi, aliique Philo-Hebræi & Philo-Chaldæi satis felices in Paraphrasibus

Digitized by Google

phrasibus Chaldaicis sint facturi progressus, si hâc præscriptâ methodo utantur.

DISSERTATIO OCTAVA.

DE

PENTATEUCHO SAMARITANO.

I. *Samaritanorum origo & progressus describuntur.*

II. *Rationes dantur, quare Samaritani tantùm Pentateuchum Mosis pro Verbo Dei receperint.*

III. *Pentateuchus Samaritanus est duplex. Litera & versus Samaritani exhibentur. Natura Linguæ Samaritanæ describitur.*

IV. *Pentateuchus Samaritanus non est authenticus, nec Hebræo præferendus, quod sex rationibus confirmatur.*

SECTIO I.

ANtequam de Pentateucho Samaritano agamus, priùs quædam de Samaritanis præmittenda sunt.

Primò quæritur. Quales fuerunt Samaritani?

Resp. Samaritani vel Samaritæ Hebræis vocantur שׁוֹמְרוֹנִים *Schomronim* ab urbe שׁוֹמְרוֹן *Schomron* vel *Samaria.* Decem Tribus (quæ vocabantur בית ישראל *Domus Israël,* propter Rehabeami in regnando tyrannidem segregatæ à Judæis, qui nominabantur בית יהודה *Domus Jehudæ*) inhabitârunt Samariam, quæ erat Metropolis & Regum sedes. Hæ decem Tribus idola coluerunt, & vitulos aureos veneratæ sunt ad Ægyptiorum imitationem. Quapropter, quum tali idololatriâ & aliis sceleribus se contra Deum obstrinxissent, abductæ fuerunt in Assyriam captivæ à Salmanassare Assyriorum Rege. Mox, ne loca illa incolis destituerentur, Rex Assyriæ varias colonias in vacuas Israëlitarum sedes ex aliis regnis & regionibus, scil. ex Babele, Cutha, Awa, Hamath, Sepharvaim &c. traduxit: uti videre est 1. *Reg.* 17: 24. *Deinde adduxit Rex Assyriæ è Babele, & è Cutha, & è Hava, & è Chamata, & Sepharvaimis* colonos, *quos collocaverat in civitatibus Schomronis loco Israëlitarum: & hereditario jure possidentes Schomronem habitabant in civitatibus ejus* Hi novi coloni, transportati jussu Regis Assyriæ, Samariam & vicina loca inhabitârunt; sed à loco præcipuo inhabitationis, scil. Samariâ, vocati sunt Samaritani. Et quia plerique horum

rum colonorum באו מכותה *venerunt ex Cuthâ*, fluvio, ideo etiam vocati sunt כותיים *Cuthæi*. Samaritani ergo non erant vera Israelitarum propago, sed incondita colonorum multitudo, quam Rex Assyriæ ex Cuthæorum, Babyloniensiumque, & Chamathæorum, ac Sepharvaimitarum, Chavæorumque sedibus collectam in Samariam transvexerat, postquam Israëlitæ, qui antea secessionem à Judæis fecerant, abducti in exilia, & dispersi per Colchos, Parthos & Æthiopes.

Hi novi & varii coloni idololatræ, gentilia sua sacra non relinquentes, Deum verum non coluerunt: nam Chamatæi Aschimam, Cuthæi Nergalem, Babylonienses Succot Benot, Havæi Nibchanem & Tartakum, Sepharvaimitæ Adramelechum atque Hanamelechum adorârunt. Rex Assyriorum homines variarum religionum transvexit, ne unitas religionis occasionem præberet secessioni & rebellioni: nam inter incolas ejusdem religionis solet esse major animorum convenientia, quàm inter incolas diversæ religionis; quique propterea tam facilè non possunt contra Regem suum rebellare.

Propter hanc Samaritanorum idololatriam Deus immisit immanes leones, 2. *Reg.* 17: 25. *Fuit autem quum principio habitantes ibi non reverentur Jehovam: ut immitteret Jehova in illos leones, qui interficiebant eos.* Josephus *lib.* IX. *cap.* 14. ait Deum immisisse in eos sævam pestilentiam. Auctor Chronici Samaritici sterilitatem & frugum corruptionem immissam ait. Ut ut sit, cum viderent Samaritani se quotidie ita consumi, miserunt legatos ad Regem Assyriorum, & dixerunt: Domine Rex, Terra in quam nos misisti, non recipit nos: pauci enim ex quamplurimis sumus superstites. Rex, convocatis ad se Senioribus Israëlis, dixit eis, toto illo tempore, quo vos in terrâ vestrâ habitâstis, non orbavit vos bestia agri. Hi responderunt: Terram illam non ferre gentes, quæ Legi operam non dant, quæque non sunt circumcisæ: propterea Rex misit eò unum ex Sacerdotibus captivis, vel uti alii volunt, duos, scil. R. Dositheum, & R. Zachariam, qui eos circumcidebant, & librum Legis docebant. Hinc gentes illæ & in statutis Legis Mosaicæ ambulârunt, & falsos suos Deos coluerunt, 2. *Reg.* 17: 41. *Quamvis gentes istæ reveritæ sint Jehovam, & cum idolis suis coluerunt.*

Quoniam verò hic transmissus Sacerdos Samaritanos Pentateuchum tantùm docebat; ideo Samaritani, uti nonnullis placet, tantùm Mosis Pentateuchum, rejectis Vatum effatis & Hagiographis, pro solo Verbo Dei receperunt.

Samaritani cum Judæis sibi vicinis diu in pace vixerunt, donec hi sub Esdra

Digitized by Google

Esdra & Nehemia Templum restaurare, & sacra Divina restituere conati fuerunt. Tunc enim Samaritani restaurationem Templi, priùs à Cyro, & postea à Dario concessam, ægerrimè tulerunt, & opus quovis modo impedire tentârunt. Hinc natum est odium illud implacabile inter Judæos & Samaritanos; adeo ut Judæi Samaritanos à Sacris suis semper coërcuerint, & connubiorum commercia sub pœna ejectionis ex Ecclesia interdixerint.

Nonnulli ex Judæis uxores Samaritanas sibi duxerant, quas cùm dimittere noluerint, ad Samaritanos transfugere coacti fuerunt. Inter hos erat Sacerdos Manasses, Jaddi Magni Pontificis frater, qui cùm peregrinam uxorem, scil. Sanabelletis filiam duxisset, Seniores postulabant, ut aut uxorem dimitteret, aut non ampliùs ad altare accederet. Manasses profectus ad socerum suum, dixit se quidem amare filiam, nolle tamen propter eam privari Sacerdotio. Sanabelletes promisit se non tantum illi Sacerdotium esse servaturum, sed & Pontificatum paraturum, & Templum Hierosolymitano simile in monte Garizim ædificaturum. Postea Sanabelleti ab Alexandro magno concessa est venia ædificandi novum Templum in monte Garizim, ut generum suum Manassen, ejectum propter peregrinam uxorem, pontificatu ornaret. Post obitum Alexandri, imperium quidem ejus inter successores fuit divisum, sed Templum in Garizim mansit incolume; & si quis inter Hierosolymitanos aut illiciti cibi sumpti, aut violati Sabbathi, aut similis criminis reus ageretur, ad Samaritanos confugiebat. *Vide plura apud Joseph. lib.* 11. *cap.* 8.

In פרקי sive Capitibus R. Eliseris *cap.* 38. dicitur, quod Samaritani quæsiverint occidere Nehemiam, & quod impediverint opus Domini duobus annis, hinc Esras & Zerubbabel & Jehosua convocârunt cœtum in Templum Domini, & fecerunt venire trecentos Sacerdotes, trecentas buccinas, & trecentos libros Legis in manu eorum. Clangebant, & excommunicabant Samaritanos omnibus excommunicationis fulminibus &c, ne quis unquam ex Israële comederet panem Samaritani: propterea dixerunt, quisquis comederit carnem Cuthæi, perinde est ac si comederet carnem porci. Deinde interdixerunt ne quisquam Samaritanum in Judaismum reciperet. Hoc anathema ad Judæos, qui in Babylonia remanserant missum, non solùm ab illis fuit approbatum, sed novo superaddito auctum & confirmatum. *Vide dissert. Buxtorf. de Lit. Hebr.*

Hoc odium semper fuit continuatum, & ne tunc quidem potuit mitigari, cùm templum in Garizim, ducentis pòst annis ab Hircano fuit dirutum. Hoc odium etiam adhuc viguit temporibus Christi, prout apparet

Digitized by Google

ex Evangelio *Joh. cap.* 4. *verſ.* 9. Ex his omnibus apparet quod inter Samaritanos multi Judæi fuerint, qui Judæo-Samaritani vocari poſſunt. Hi à Judæis propter illud odium accuſati ſunt idololatriæ, quaſi coluerint imaginem columbæ, quam in vertice montis Garizim inveniſſent. Sed falſitas hujus effictæ idololatriæ ſatis exploditur ab Hotting. *in Exercit. Antimor.* §. 17.

II. *Secundò quæritur.* Quare Samaritani ex nonnullorum ſententiâ tantùm Moſis Pentateuchum pro Verbo Dei receperint, cum inter eos multi Judæi transfugæ fuerint, qui libros cæteros V. T. unà cum Pentateucho receperunt?

Reſp. 1. Quia inveterata conſuetudo Samaritanorum obſtabat: nam Samaritani erant numero plures, qui nunquam etiam cæteros libros V.T. receperant. His Judæi, poſt invicem adventantes, non potuerunt cæterorum librorum divinam authoritatem obtrudere.

2. Samaritani noluerunt cæteros libros pro Verbo Dei agnoſcere propter odium Judæorum, qui cæteros libros recipiebant.

3. Quia cæteri libri fidem Samaritanorum deſtruebant: nam in libris Hiſtoricis expreſſè aliquoties dicitur, quod Deus elegerit Hieroſolymam, & juſſerit ædificare Templum Hieroſolymitanum, quum Samaritani in monte Garizim Templum ædificâſſent. *Vide Hotting. in dictâ exercit.* Nonnulli tamen veroſimiliter dicunt Samaritanos ſolam Legem pro Verbo Dei agnoviſſe oppoſitè ad traditiones legis Phariſaicas, non ad alios S. Scripturæ libros.

III. *Tertiò quæritur.* Qualem Pentateuchum Samaritani pro Verbo Dei recipiunt?

Reſp. Pentateuchus eſt triplex. 1. Judaicus, Hebraicis literis conſtans, qui à Judæis recipitur, & ſingulis Sabbathis in Synagogis prælegitur.

2. Eſt Pentateuchus Samaritanus, conſtans literis Samaritanis, deſtitutus vocalibus: nam nullibi in libris Samaritanis inveniuntur adſcriptæ vocales. De hoc Pentateucho per mille annos altum fuit inter Theologos ſilentium; ſed antiquiſſimi Scriptores ejus fecerunt mentionem. Cyrillus in commentariis ad *Gen.* 4: 8. & Hieronymus ad *Exod.* 8: 21. & in quamplurimis aliis locis ejus meminerunt. *Vide Hotting. loc. cit.* Hic Pentateuchus Samaritanus ferè eaſdem & totidem literas comprehendit, quot Textus Hebræus, niſi quòd in quibuſdam locis quædam addantur, ut *Gen.* 4: 8. ubi interponuntur hæ voces ࠍࠋࠊࠄ ࠄࠔࠃࠄ *eamus in agrum*, &c. Et in quibuſdam locis quædam paulò aliter proponuntur, quàm in Textu Hebræo jam expreſſa inveniuntur. *Num.* 30: 6. in Textu Hebræo habe

habetur לא יקום *non surget*; sed in Textu Samar. habetur ࠋࠀ ࠉࠒࠅࠌࠅ in plurali *non surgent*. Statim plures differentias inter Textum Hebræum & Samaritanum, quando probavimus Pentateuchum Samaritanum non esse authenticum, in medium proferemus.

3. Est Pentateuchus Samaritanus continens versionem Samaritanam. Hæc magis differt à Textu Hebræo quàm præcedens. Samaritani Pentateuchum suum in dialectum sibi peculiarem transtulerunt. Hic duplex Pentateuchus Samaritanus in Bibliis Polyglottis Anglicanis expressus est. Et ut studiosi aliquem gustum literarum Samaritanarum, ut & horum Pentateuchorum perciperent, breviter literas, & duos priores versus Geneseos ex utroque Pentateucho describemus. Qui plures versus desiderat, adeat vel ipsa Biblia Polyglotta, vel Scholam meam Syriacam, vel *Horas Samaritanas*, editas Cizæ Anno 1682. sumptibus Johannis Bielkii, Bibliopolæ Jenensis, Auctore Viro doctissimo, D. Christophoro Cellario; qui etiam simul edidit egregiam Grammaticam Samaritanam, quæ curioso Lectori abundè satisfaciet.

Alphabetum Samaritanum.

ࠀ ࠁ ࠂ ࠃ ࠄ ࠅ ࠆ ࠇ ࠈ ࠉ ࠊ ࠋ ࠌ ࠍ ࠎ ࠏ ࠐ ࠑ ࠒ ࠓ ࠔ ࠕ

א ב ג ד ה ו ז ח ט י כ ל מ נ ס ע פ צ ק ר ש ת

Textus Hebræo-Samaritanus continens ex cap. 1. Gen. vers. 1, 2.

1. ࠁࠓࠀࠔࠉࠕ. ࠁࠓࠀ ࠀࠋࠄࠉࠌ ࠀࠕ ࠄࠔࠌࠉࠌ.
ࠅࠀࠕ. ࠄࠀࠓࠑ.
2. ࠅࠄࠀࠓࠑ ࠄࠉࠕࠄ. ࠕࠄࠅ. ࠅࠁࠄࠅ ࠅࠇࠔࠊ
ࠏࠋ. ࠐࠍࠉ ࠕࠄࠅࠌ. ࠅࠓࠅࠇ. ࠀࠋࠄࠉࠌ ࠌࠓࠇࠐࠕ
ࠏࠋ. ࠐࠍࠉ ࠄࠌࠉࠌ.

Iidem versus Hebraicis literis proponuntur.

1. בראשית. ברא. אלהים. את. השמים. ואת. הארץ:
2. והארץ. היתה. תהו. ובהו וחשך. על. פני. תהום. ורוח. אלהים. מרחפת.

Versio

Digitized by Google

Versio Samaritana eorundem versuum.

1· ࠁࠒࠌࠀࠅࠕࠄ· ࠈࠋࠌࠎ· ࠀࠋࠄࠄ· ࠉࠕ· ࠔࠅࠌࠉࠄ· ࠅࠉࠕ·
ࠀࠓࠏࠄ:
2· ࠅࠀࠓࠏࠄ· ࠄࠅࠕ· ࠔࠀࠌࠄ· ࠅࠓࠉࠒࠍࠉ· ࠅࠇࠔࠊࠄ· ࠏࠋ·
ࠀࠐࠉ· ࠕࠄࠅࠌࠄ· ࠅࠓࠉࠕ· ࠀࠋࠄࠄ· ࠌࠍࠔࠁࠄ·
ࠏࠋ· ࠀࠐࠉ· ࠌࠉࠄ:

Iidem versus Hebraicis literis describuntur.

1· בקמאותה· טלמס· אלהה· ית· שומיה· וית· ארעה׃
2· וארעה· הות· שאמה· וריקני· וחשכה· על· אפי· תהומה· ורית· אלהה· מנשבה· על· אפי· מיה׃

De his literis Samaritanis acerrima movetur quæstio: An eæ sint literæ primigeniæ; quas Deus in tabulis lapideis, & Moses, cæterique Sacri Scriptores Veteris T. usurpârunt? Nos defendimus antiquas literas Veteris T. non fuisse tales Samaritanas, sed hodiernas Hebraicas. Vide hoc pluribus probatum in *Philologo Hebræo dissert.* 11. & 12.

De literis & Pentateucho Samaritano hæc pauca, quia paucissimi sunt qui de hac materia scripserunt, hîc breviter addemus.

1. In Linguâ Samaritanâ sunt viginti duæ literæ, & ejusdem valoris, cujus sunt in Linguâ Hebraicâ; figurâ tantum discrepant. Literæ Samaritanæ, quibus celeberrimus Cellarius in Textibus & Grammatica utitur, differunt parumper à nostris literis.

2. Samaritani nullas agnoscunt literas finales, sed omnes literas in medio & fine vocum eodem modo scribunt.

3. Hodierni Samaritani non agnoscunt vocalium figuras sicuti Hebræi; nec in ullis libris hodiernis Samaritanis ullæ vocales descriptæ inveniuntur: & propterea earum sonus vel ex Hebraicâ analogiâ, vel ex tribus literis אהי, quæ vulgò matres lectionis vocari solent, est petendus.

4. Lingua Samaritanorum parùm differt à Linguâ Hebræorum: & propterea unusquisque, qui Linguam Hebraicam callet, facillimè Linguam Samaritanorum addiscere potest; præcipuè jam cùm Hottingerus Lexicon Harmonicum septem linguarum, scil. Hebraicæ, Chaldaicæ, Syriacæ, Arabicæ, Sama-

Digitized by Google

Samaritanæ, Æthiopicæ, & Talmudico-Rabbinicæ in lucem ante paucos annos emiſerit. In hoc Lexico, & in Lexico Bibliis Polyglottis addito, conſtituente Bibliorum volumen ſeptimum, omnes voces Samaritanæ in Pentateucho Samaritano occurrentes inveſtigari poſſunt.

5. In Linguâ Samaritanorum non inveniuntur puncta diacritica, ut Rebhiah, Athnach, &c. ſicuti apud Hebræos; ſed confuſionis vitandæ gratiâ adhibent poſt ſingulas dictiones punctum unicum, & poſt integram ſententiam punctum geminum inſtar Scheva Hebræorum, vel aſteriſcum. Sectiones verò diſtinguunt duabus lineis, vel tribus punctis cum lineis, uti patet ex figuris quæ in Bibliis Polyglottis Anglicanis expreſſæ ſunt.

6. Verſionis Samaritanæ dialectum quod attinet, ejuſdem eſt cum Linguâ Chaldaicâ cognationis; voces tamen non paucas habet ſibi proprias & peculiares. Arabicis etiam nonnunquam utitur. In formatione Nominum & Verborum modò Hebraicæ, modò Chaldaicæ linguæ regulis conformatur.

7. Samaritani ſæpe ponunt virgulam ſupra literam, quæ indicat dictionem in uſitatiore ſignificatione non accipi, ſed paſſivè legendam, vel homonymiâ laborare, vel præter conſuetam formam ſcribi.

8. Nonnulli, inter quos præcipuus eſt Morinus, nimiùm laudant Pentateuchum Samaritanum; imo Hebraico longè præferunt: ſed eorum ſententiam falſam eſſe ex reſponſione ad ſequentem quæſtionem manifeſtum fiet.

IV. *Quartò quæritur.* An Pentateuchus Samaritanus eſt authenticus, & Hebræo longè præferendus?

Reſp. Tres ſunt ſententiæ de Pentateucho Samaritano. *Prima* eſt Hieronymi, qui in *Præfat, in lib. Reg. tom.* IV. *fol,* 7. ait, *Samaritani Pentateuchum Moſis totidem literis ſcriptitant, figuris tantùm & apicibus diſcrepantes.* Sic ex eo ſtatuit Joſephus Scaliger lib. de Emend. Temp. VI. pag. 662. *Totidem literis ne una quidem minus aut amplius Pentateuchum legunt.* Sed omnia exemplaria Pentateuchi Samaritani, quæ ab aliquot retrò ſæculis ſcripta inveniuntur, hoc refutant. Etiam exempla differentiæ ſuprà dedimus. Præterea Hieronymus, quæcunque de literis & libris Samaritanorum profert, tùm ex relatione aliorum videtur accepiſſe. Hoc apparet ex eo, quia *Comm. lib.* 3. *in Ezech. cap* 9. *v.* 4. ait literam Samar. ࠕ *Thau* crucis figuram habere. Si unquam vel limis oculis Alphabetum Samaritanum, etſi diverſimodè ſcriptum, inſpexiſſet, procul dubio hæc non dixiſſet.

Secunda ſententia de Pentateucho Samaritano eſt Judæorum quorundam qui ajunt Samaritanos Pentateuchum ſuum corrupiſſe: ſic Benjamin in Iti-

ner. *pag. Edit. Elzev.* 39. ait: ואין להם שלש אותיות. ח'וח'וע' וכו' Samaritani *tribus carent literis* ח, ח, ע: ח *in nomine Abrahami patris nostri, unde & desideratur nomen* הור *gloria.* Sed hæc aut similia mendacia à Judæis ex puro odio in Samaritanos profecta esse nulli dubitamus.

Tertia de Pentateucho Samaritano sententia est Johannis Morini, qui non tantùm Pentateuchum Samaritanum Textui Hebræo *æqualem, sed infinitis modis superiorem esse contendit.* Verum quidem est, quòd Samaritani glorientur sibi solis Legem Mosis authenticam esse datam. Sic etiam Morinus in *præfat.* Bibliis Paris. præmissâ *sect.* 6. ait, *Se Pentateuchum suum Samaritanum purum putum Mosis Pentateuchum deprehendisse.* Sed hæc Morini assertio ut monstrosa, falsa & ridicula meritò propter has sequentes rationes exploditur.

Ratio 1. Quia Textus Samaritanus est transcriptus ex Textu Hebræo; non verò Textus Hebræus ex Samaritano: hoc ita esse probatur ex literis Hebraicis similibus, quas Scriba Samaritanus pro iisdem sumpsit: ex. gr. *Gen.* 7:19. habetur, montes הגבהים *alti;* Samaritanus scripsit הגבחים. Similiter *Exod.* 10:13. pro Hebr. נהג *duxit*, Samaritanus verbum absurdum נחג supposuit. Ergo Scriba Samaritanus exscripsit Pentateuchum suum ex Textu Hebræo, sed Hebræus non exscripsit ex Text. Samar. quia inter literas ࠇ & ࠄ in Lingua Samar. est maxima differentia; adeo ut Scriba tam facilè non potuerit errare. In multis aliis similibus literis, ut in ר & ד &c. Scriba Samaritanus sæpe hallucinatus est.

Ratio 2. Quia multi errores in Pentateuchum à Samaritanis, ut Templi sui sanctitatem inde adstruerent, &c. illati sunt. Ex. gr. Samaritani probant structuram Templi in Garizim sibi esse mandatam ex *Deut.* 27:4. In Textu Hebraico habetur בהר עיבל *in monte Ebal;* illi in suo Pentateucho Samar. scripserunt בהר גריזים *in monte Garizim.* En corruptionem à Samaritanis factam ad probandum suum Templum in monte Garizim.

Ratio 3. Quia multa in Pentateucho Samar. occurrunt, ex quibus sensus planè absurdus, & contra mentem Mosis, ac omnium ferè Interpretum elicitur: ex. gr. *Gen.* 11:6. in Textu Hebræo habetur יזמו לעשות *cogitârunt facere;* in Samar. verò scribitur יזמנו לעשות *cogitavimus facere.* Sic *Gen.* 27:9. & *Cap.* 31:51. &c. *Vide plura loca apud Hotting. in Exercit. contra Morinum.* Multi Pleonasmi etiam inveniuntur, ut *Exod.* 23:19. &c.

Ratio 4. Quia multi Solœcismi in Pentateucho Samar. contrarii Grammaticæ Hebrææ occurrunt: ut *Gen.* 8:3. & 5. ubi pro היו הלוך *fuerunt eundo* habetur היו הלכו *fuerunt iverunt.*

Ratio 5. Quia multa sunt omissa in Pentateucho Samar. quæ in Textu He-

Digitized by Google

Hebræo secundùm sententiam omnium Interpretum habentur. *Gen.* 28: 9. omittitur in Pentateucho Sam. nomen ישמעאל *Ismael. Exod.* 9: 5. omittitur integra sententia וישם יהוה מועד לאמר *& posuit Jehova tempus præfinitum, dicendo.* Sic *Exod.* 21: 18. Etiam alibi quædam sunt addita, quæ in Textu Hebræo non habentur, ut *Gen.* 4: 8.

Ratio 6. Obstat auctoritas omnium Judæorum & Christianorum, qui non Pentateuchum Sam. sed Hebraicum pro authentico habent.

Objiciet Morinus locum ex *Gen.* 4: 8. ubi ad supplendum sensum interposita sunt verba ࠍࠋࠊࠄ ࠄࠔࠃࠄ *eamus in agrum*, quæ secundùm Morinum ab ipso Mose addita esse videntur.

Resp. Falsum est quòd illa verba ab ipso Mose sint addita. Ne unum etiam Pentateuchum Hebraicum proferet Morinus, in quo hæc verba sunt interposita: sed sensus est ellypticus, quales quamplurimi sunt in S. Scripturâ. *Vide plura apud Hotting. in loco suprà cit.*

DISSERTATIO NONA, QUÆ EST *DE* VERSIONE SYRIACA Vet. & Novi Test.

I. *Datur duplex Versio Syriaca V. T. altera facta ex Textu Græco, altera ex Hebræo.*
II. *Auctor utriusque est ignotus.*
III. *Etiam nemo potest certò determinare quando utraque Versio est composita.*
IV. *Versio Syriaca V. T. in multis non benè convenit cum Textu Hebræo.*

De Versione Syr. N. T.

I. *Quando ea est composita, ignoratur.*
II. *Sunt decem Editiones Novi Test. Syriaci, & undecima jam imprimitur.*

Textus deficientes sunt impressi Lugduni Batavorum.

III. *Versio Syriaca Novi T. est valdè utilis.*
IV. *Variæ appellationes Linguæ Syriacæ dantur. In paucis vicis circa Libanum ea est lingua vernacula.*
V. *Auctor primus Versionis Syriacæ in Linguam Latinam inquiritur.*

SECTIO I.

De Versione Syriacâ Veteris Test. perantiquâ & non contemnendâ, hæ sequentes quæstiones moveri possunt.

I. *Primò quæritur.* Unde Versio Syriacâ Veteris Test. est composita & translata?

Resp. Sicuti olim temporibus Patrum fuit duplex Versio

Latina, una facta secundùm Versionem LXX. Interpretum, altera verò ex Textu Hebræo; ita etiam datur duplex Versio Syriacâ, quarum una composita est ex Textu Græco, & altera ex Textu Hebræo. Illam solam ex Græco contextu factam vidit Masius, eamque non totam, sed solummodo nonnullos ejus libros; uti liquet ex Commentariis ejus in Josuam, & ex Dictionariolo Syriaco, operi Bibliorum Regiorum inserto. Præter illam etiam Arias Montanus nullam cognovit, uti apparet in admonitione ad Lectorem de Syriacis Novi T. libris, ubi sic ait: " Nam de Veteris T. libris " Syriacis non adeo laborandum, eò quod ex iis fragmentis, quæ mihi vi- " dere contigit, illam sacrorum librorum partem non ab Hebraicâ & pri- " mævâ linguâ; sed ex Græcâ ab Origene permixtâ Versione ad Syros esse " translatam cognoverim. „

Hâc Versione secundùm Textum Græcum factâ Syri nuspiam utuntur; sed in omni cultûs Divini parte alteram illam, utpote correctiorem & præstantiorem, ex Hebræo contextu conversam, tantummodo usurpant, non Maronitæ modò, sed Nestoriani, Jacobitæ, omnesque in universum Syrorum sectæ, ubicunque terrarum degentes; sicuti Syrus Scholiastes Gregorius in Operis sui Præfatione disertè testatur. Hujus antiquissimæ & præstantissimæ Translationis exemplar suppeditavit Reipublicæ literariæ Rev. Præsul Jacobus Usserius, Archiepiscopus Armachanus, qui multo auro totum Vetus T. (exceptis Psalmis, quia ii jam antè typis vulgati erant) è libro Patriarchæ Antiocheni in monte Libano describi sibi curaverat Anno 1627. per quendam Josephum filium Davidis. Est autem liber ille conscriptus charactere pulcherrimo, & qui cum optimis nostris Typographicis de elegantia facilè certare potest. Syri in Versione sua habent alias capitum & versuum divisiones, quàm Hebræi. Nam Genesis in Vers. Syr. habet capita 78. & versus 4509. Exodus capita 44. versus 3626. Leviticus capita 19. versus 2454. Numer. capita 36. versus 3521. &c. *Vide plura apud Boot in Ind. Animadv. Sacrarum.* Duplicis Versionis Syriacæ etiam meminit Gregorius apud Pocockium in Historiâ Arabicâ *pag.* 184. cujus verba translata ita sonant: " Syri occidentales duas habent Versiones, simplicem istam, " quæ è Linguâ Hebraicâ in Syriacam translata est post adventum Domini " Christi, tempore Taddæi Apostoli; vel juxta alios ante eum tempore Sa- " lomonis filii David & Hirami: & alteram figuratam juxta 70. Seniorum " Interpretationem è Linguâ Græcâ in Syriacam traductam, longo pòst " Salvatoris incarnationem intervallo. „ Hæc Versio Syriaca, facta ex Textu Hebræo, in Bibliis Parisiensibus & in novis Polyglottis Anglicanis unà cum Versione Latinâ exprimitur.

II. *Secundò*

Digitized by Google

II. *Secundò quæritur.* Quis utraque illam Verſionem compoſuit?

Reſp. Auctores Verſionum Chaldaicarum ſunt noti, & ex parte etiam auctores Verſionis Vulgatæ Latinæ; ſed quis Verſionem Syriacam V. T. compoſuerit planè ignoratur. In præfat. Operis Regii ita ſcribitur: "Quidam eam Verſionem ab uno eodem auctore bis factam credunt, hoc eſt, à Moſe Barcepha ex Hebræo, & ex Græco LXX. Interpretum; ſed antiquior eſt: nam à primis temporibus Jacobus Syrus, & poſt eum Divus Ephrem ejuſdem nationis, diſcipulus ejus, commentaria ſua in univerſam Scripturam Syriacè ediderunt. Jacobus ille interfuit Concilio Niceno, quod celebratum eſt Anno Chriſti 325. Auctor ergò ignotus eſt.

III. *Tertiò quæritur.* Quando utraque illa Verſio Syriacâ eſt compoſita?

Reſp. Maronitæ affirmant Verſionem Syriacam ex Hebræo factam, eſſe compoſitam circa tempora Salomonis & Hirami Regis. Sed hæc ſententia facilè refutatur: nam ante vel ad minimum circa tempora Chriſti nullæ Verſiones fuerunt notæ præter Chaldaicas Onkeloſi & Jonathæ Paraphraſes, & Græcam 70. Seniorum. Præterea non opus fuit temporibus Salomonis Textum Hebræum in alias linguas transferre: nam tum temporis, & aliquot ſeculis poſt Lingua Hebræa Judæis adhuc erat vernacula. Nihilominus Verſio Syriacâ V. T. eſt valdè antiqua, & vel ipſis Apoſtolorum temporibus, vel non multò pòſt compoſitam eſſe facilè concedimus, nam Jacobus Syrus, & Magnus Ephrem Syrus, uti in *quæſt.* 2. diximus, ejus mentionem faciunt. Etiam Patres ſubinde ejus Verſionis meminerunt: ſic Chryſoſt. in *Pſal.* 94. Theodoretus in *Pſal.* 104. 113. 116. &c. Etiam Theodoretus (verba ſunt præfationis Operis Reg.) ad Cap. 3. Jon. *Syros Veteris T. codices citat, ut dubitare non liceat Verſionem hanc, jam inde à primævâ Eccleſiæ origine maximâ ſemper in veneratione habitam.* Cætera Patrum teſtimonia brevitatis ergò præterimus.

Objiciet fortaſſe nonnemo. Hieronymus, qui circa quartum ſæculum vixit, nullam Verſionis Syriacæ mentionem facit.

Reſp. 1. Hieronymus etiam non meminit Paraphraſium Chaldaicarum, quæ tamen tum temporis abſque controverſiâ extiterunt.

2. Ante inventam Typographiam exemplaria Verſionis Syriacæ & aliarum Verſionum erant rariſſima: & fortaſſe Hieronymus propter raritatem exemplarium Syriacorum nullum tale exemplar oculis ſuis luſtravit.

3. Hieronymus non videtur Linguam Syriacam intellexiſſe: nam cùm Catalogum Scriptorum Illuſtrium Eccleſ. ſcripſit, Jacobum Niſibenæ

Perſarum civitatis Epiſcopum, Syrum Scriptorem, in Linguam Græcam nondum converſum ſilentio prætermiſit, ac Ephremi & Archelai Bardeſaniſque opera Syriaca, non priùs quàm Græca eſſent facta, potuit evolvere, uti probat Gennadius.

IV. *Quartò quæritur.* An Verſio Syriacâ Veteris T. eſt alicujus momenti.

Reſpondeo. Boot in Indice Animadv. Syr. ait: " Tranſlatio hæc admodum " exacta eſt & fidelis, & Textus Hebraici veſtigiis ubique ferè admodum " preſſè inſiſtit, exceptis libris Paralipomenon, qui admodum fœdè ha- " biti, plurima paſſim omiſſa, ſuperaddita, immutata ac detorta habent, " ſicuti & Pròverbiorum liber multis in locis à Textu Hebraico longè a- " bit. In cæteris libris magna fide verſatus eſt hic Interpres, ita tamen ut " in locis difficilioribus, itidem ac alii Interpretes plerique, à vero ſenſu " aberret haud rarò, in quorum nonnullis ad Græcam Verſionem inter- " dum ſe accommodat. „ Sed multa, quæ in Editione Pariſienſi vel omiſſa, vel non rectè deſcripta erant, Angli in novis ſuis Bibliis Polyglottis ex collatione variorum exemplarium correxerunt. Ut ut ſit, hæc Verſio Syriaca non eſt contemnenda: nam majorem cum Lingua Hebraica habet affinitatem; quàm quælibet alia; hinc etiam eſt, quòd pluribus vocibus & phraſibus inter ſe conveniant. Nihilominus, ſicuti in pleriſque Verſionibus fieri ſolet, hîc etiam nonnullæ occurrunt diſcrepantiæ à Textu Hebræo; uti ex ſequentibus apparebit.

1. Syrus Interpres videtur uſus codice Hebræo non adeo correcto: nam *Gen.* 42: 7. pro ויתנכר *alienum ſe finxit*, videtur fuiſſe in illo codice ויתנכל: nam Syrus tranſtulit per ܐܬܢܟܠ *fallens.* Sic *Num.* 3: 4. pro על פני *ſuper facie*, videtur legiſſe בני *filii*; nam vertit per ܒܢܝ *filii.* Similiter *Levit.* 10: 4. pro מישאל *Miſaël.* Syrus Interpres legit ܡܝܫܐܝܠ. Plurima ſimilia exempla, ex quibus videtur veroſimile Syrum Interpretem uſum fuiſſe Textu Hebræo corrupto, adſeruntur à *Cl. Hottingero in Analectis pag.* 109. *& ſeqq.*

2. Syrus Interpres voces Hebraicas ſæpe aliis vocalibus legit. *Gen.* 14: 7. כל שדה העמלקי *omnem agrum Amalekitarum.* Syrus legit שרי *Principes*; hinc vertit per ܪ̈ܫܢܐ *Principes.* Sic *Numer.* 21: 11. pro הָעֲבָרִים *Abarim*, Syrus legit עִבְרִים *Hebræi*; hinc in Edit. Syr. eſt ܥܒܪ̈ܝܐ. Multa ſimilia exempla adhuc proferri poſſent ſi opus eſſet.

3. Aliquando voces aliquas majoris illuſtrationis ergò Syrus Interpres adjecit, vel paraphraſticè mutavit: ut *Levit.* 19: 26. pro לא תנחשו *ne auguremini*, Syrus vertit *ne auguremini per animal alatum.* Sic *Numer.* 5: 18. pro

Digitized by Google

18. pro מים המאררים *aquâ maledicentes*, posuit Syrus ܡܝܐ ܒܨܘܝܐ *aquæ scrutatrices*, vel *exploratoriæ*.

4. Aliquando nomina Appellativa Syrus vertit pro Propriis, & vice versa: ut *Genes.* 13 : 12. pro בערי הככר *in urbibus planitiei*, Syrus habet ܒܡܕܝܢܬܐ ܕܟܟܪ *in civitatibus Cocor*.

5. Syrus aliquando incongruum sensum elicit: sic *Levit.* 20 : 2, 4. *Qui dedit de semine suo* למולך *Molocho*, Syrus vertit per ܒܡܣܟܢܘܠܐ *alienigenæ*, quasi de dispari conjugio ibi sermo esset.

6. Syrus sæpe multas voces omittit, quas Textus Hebræus habet, sic *Genes.* 1 : 30. in Versione Syriacâ desunt hæc verba, לכל חית הארץ *omni bestiæ terræ*. Sic *Levit.* 11 : 10. non habentur hæ voces שקץ הם לכם *abominatio illa vobis sint*, &c.

7. Syrus è contrà multas voces addit, quæ in Textu Hebræo non habentur: ex. gr. *Levit.* 10: 1. post verba, *ignem extraneum*, Syrus addit ܕܠܐ ܒܙܒܢܐ *extra tempus*. Similiter *cap.* 24. *vers.* 23. post *lapidarunt*, Syrus addit ܘܡܝܬ *& mortuus est*. *Vide plura apud Hotting.* In genere tamen hæc Versio non est contemnenda; quia sæpissime sensum Textus Hebræi optimè explicavit. Hæc ita breviter dicta sunto de Versione Syriacâ Veteris T. Et quoniam etiam datur egregia & celebris Versio Syriacâ N. T. ideo pauca quædam, etiamsi tantùm circa Vetus T. versemur, de hoc Novo Test. Syriaco addemus.

De Novo Test. Syriaco.

1. *Primò quæritur.* A quibus, & quando Novum T. Syriacum est compositum?

Resp. Ad utramque hanc quæstionem respondet Jac. Martinus in Præfat. Novi Test. Syriaci Trostii, ubi sic ait: " Arrige aures, Censor, quisquis es, cujas es, qui cerebrum non in calcaneo, sed capite geris, *Versio est hæc Syra; sed omnium prima & antiquissima*: *Versio est*, inquam, sed omnibus aliis, ut probatior & plenior, præferenda: *Versio est*, adhuc dico; sed vel alicujus ex Evangelistis, vel omnino illorum, qui Antiochiæ habuerunt ipsos Apostolos præsentes, quos de locis multis obscurioribus consulere & audire potuerunt. " Antiquitas præterea probatur ex antiquis, & plerisque hodiernis Novis T. Syriacis, in quibus desunt secunda epistola Petri, secunda & tertia Johannis, epistola Judæ & Apocalypsis: de illis enim libris initio nascentis Ecclesiæ dubitatum fuit, an inter Canonicos recipiendi essent, nec ne: sed posterioribus temporibus inter

Digitized by Google

ter Canonicos fuerunt numerati. Ut ut sit, saltem hæc Versio Syriaca est valdè antiqua, sed quando præcisè, & à quibus ea sit composita, nemo facilè determinare potest.

2. Guido Fabritius Boderianus *præfat. ad N.T. Syr.* scribit se per literas ex Guilielmo Postello accepisse, quòd Syri ex avitâ traditione credant Marcum Evangelistam, D. Petri discipulum & sectatorem, *non modò suum Evangelium, sed & cæteros omnes N. T. libros linguâ patriâ, h.e. Galilaâ Syrâve transtulisse.* Sed inde non sequitur, quòd hodiernam Versionem Syriacam, quæ eruditorum manibus teritur, intelligat, nam quis sit Auctor vulgaris textûs Syriaci, ipsi Syri non possunt determinare. Hoc confirmatur ex *Vergerio*, qui lib. 3. contra Card. *Hosium* ait: *quod rogaverit Mosen Meridinaum* (Syrum ex Mesopotamiâ Sacerdotem, qui missus erat Romam, ut Testamenti Syri volumen typis excusum in Syriam transportaret) quemnam *putaret scripsisse Linguâ Syrâ Novum illud Test. Ipsum verò respondisse, auctorem se ignorare.* Deinde impossibilè est quòd Marcus transtulerit omnes libros N. T. Syriacè: nam non potuit transtulisse Johannis Evangelium: Johannes enim jam senex, occasione enatarum *Cerinthi* & *Ebionis* hæresium, post reditum ab exilio, triginta ferè annis post Marci obitum illud scripsit, ut testantur auctores gravissimi, Athanasius, Hieronymus, Epiphanius aliique.

3. Sunt nonnulli qui ex Vulgatâ Versione Textum Syriacum translatum esse volunt. Sed illa sententia videtur esse absurda, etiam nullis rationibus nititur. Nos cum Tremellio credimus Textum Syriacum ex Græco esse translatum: sed quando, nescimus. Johannes Rainoldus putat eum tertio vel quarto sæculo post Christum extitisse. Fortassè est multò antiquior.

II. *Secundò quæritur.* Quinam Novum T. Syriacum ediderunt?

Resp. Varii Auctores illud in lucem emiserunt. Sunt in genere decem Editiones Novi Test. Syriaci.

Prima est editio Viennensis *Widmanstadiana*, quæ Anno 1556. literis Syriacis prodiit in 4o.

Secunda est *Tremelliana*, edita Heidelbergæ in folio literis Hebraicis Anno 1568. aut 1569.

Tertia est *Plantiniana* in folio in Bibliis Regiis, literis Hebraicis & Syriacis.

Quarta itidem est *Plantiniana*, quæ literis Hebraicis minoribus eodem tempore impressa est in 8°. & 24°. Anno 1575.

Quinta est *Boderiana*, quam procuravit Guido Fabritius Boderianus in 4to Parisiis, literis Hebraicis cum Versione Latina interlineari Anno 1584.

Sexta

Digitized by Google

Sexta est *Hutteriana*, quam Elias Hutterus Noribergæ literis Hebraicis in duobus Voluminibus in folio Anno 1598. unà cum undecim aliis linguis in publicum emisit.

Septima est *Trostiana*, quam edidit Martinus Trostius Cothenis Anhaltinorum Anno 1621. cum Versione Latina.

Octava est *Parisiensis*, quæ in Heptaplis Parisiensibus edita est Anno 1645.

Nona est *Anglicana*, Heptaplis Parisiensibus simillima, quæ in Bibliis Poliglottis Anglicanis publici juris facta est Anno 1653.

Decima est *Gutbiriana*, quam Ægidius Gutbirius, Gymnasii Hamburgensis Professor P. egregiis typis in portatili forma octava eleganter edidit Hamburgi Anno 1664.

Undecima erit *Leusdeniana* & *Schaafiana*: quia horum curâ & operâ hæc Editio hoc tempore Lugduni Batavorum in quarto cum Versione Latina per columnas sub prelo sudat.

Inter has Editiones hæ sunt differentiæ. 1. In omnibus ferè Editionibus desunt Historia adulteræ, *Joh.* 8. secunda Epistola Petri, secunda & tertia Johannis, Epistola Judæ & Apocalypsis; præterquam in Editione Hutteri in Heptaplis Parisiensibus, in Polyglottis Anglicanis & in Gutbirianis.

2. In quibusdam Editionibus nullæ vocales sunt additæ, vel quædam tantùm sunt adscriptæ, ut in Edit. Widmanstadii, Bibliorum Regiorum, Trostii, &c. Vel omnes ferè vocales sunt adscriptæ, ut in Edit. Hutteri, & in Polyglottis Anglicanis; sed in Editione Hutteri Textus Syriacus literis Hebraicis, & in Polyglottis Angl. literis Syriacis & Hebraicis proponitur.

3. Epistola 2. Petri, 2. & 3. Johannis, & Epistola Judæ exscriptæ sunt ex exemplari MS. Bibliothecæ Bodleianæ, & editæ Lugduni Batavorum Anno 1630. ab Edwardo Pocockio.

4. Apocalypsin Johannis, ex codice MS. Josephi Scaligeri depromptam, edidit Ludovicus de Dieu Lugduni Batavorum Anno 1627.

III. *Tertiò quæritur.* An Novum T. Syriacum est alicujus momenti, & an habet aliquam utilitatem?

Resp. Cùm Lingua Syriaca Christo & Apostolis fuerit Vernacula, non est dubium, quin N.T. Syriacum egregias habeat utilitates in locis difficilioribus Novi T. explicandis: nam multarum phrasium N.T. explicatio tantùm ex Syriasmo petenda est. Sic ait Ludov. de Dieu in præfat. Gram. suæ: *Ipsarum phrasium, quæ passim in N.T. usurpantur, verus sensus, vix aliunde, quàm ex*

Digitized by Google

Syriaco petendus est. Phrasin enim Evangelistarum & Apostolor. Græcam esse nemo dixerit, & faciliùs Europæis foret, Platonis Aristotelisque elegantiam imitari, quam Platoni vel Aristoteli N. T. nobis interpretari; quia Sancti viri Syriacè conceperunt, quæ Græcè scripserunt, & linguæ vernaculæ Emphasin peregrinis verbis indiderunt. Jac. Martinus in *prædicta præf.* etiam vehementer Editionem Syriacam laudat, cum ait: "Ad hanc itaque solam, quando in fontibus "Græcis quædam occurrit obscuritas vel difficultas, tutò acceditur: hæc "sola, quando de loci alicujus interpretatione versioneque dubium movetur, tutò ac sine errore consulitur: per hanc solam Græcus Textus verè "illustratur, rectè intelligitur. Hujus enim solius auctoritas proximè ad "ipsorum fontium majestatem accedit. In genere Novum T. Syriacum "est valde utile."

1. Quia multæ phrases, in Textu Græco dubiæ, per Textum Syriacum dilucidè explicantur. Martinus varia exempla ex Test. Syriaco in præd. præf. profert, ex quibus hoc clarè probatur: ex. gr. 1. Cor. 10: 2. quæritur: Quid sit εἰς τὸν μωσῆν baptizari? Variæ dantur interpretationes; sed Textus Syriacus rem dilucidè explicat, cum ait ܒܐܝܕ ܡܘܫܐ *per manum Mosis*, h. e. per ministerium, sive operam Mosis, Israëlitas per mare Suph ductos esse. Similiter, quid sit ἄρτος ἐπιούσιος *panis supersubstantialis*, *Mat.* 6: 10. diu dubitatum fuit: sed omne dubium tollit Textus Syriacus vertendo per ܠܚܡܐ ܕܣܘܢܩܢܢ *panem indigentiæ nostræ*; quia singulis diebus ad vitæ sustentationem necessariò indigemus. *Vide præfationem Scholæ Syriacæ præmissam.* Sic textus *Actor.* 3: 21. ὃν δεῖ οὐρανὸν μὲν δέξασθαι *quem oportet quidem Cœlum suscipere*, est in quorundam oculis dubius; quia δέξασθαι est Aoristus 1. Infinit. Medius: sed hoc dubium tollitur per Textum Syriacum, qui hunc Aoristum Medium explicat per verbum Activum ܕܢܩܒܠܝܘܗܝ, respiciens ad Cœlos, quòd Cœli suscipient eum.

2. Multæ voces, in Textu Græco occurrentes, origine Syriacæ, ex Textu Syriaco benè explicantur, ut sunt ῥακὰ, ταλιθὰ, ἀκελδαμὰ, ἀββᾶ, &c. Præter has duas utilitates, habet Test. Syriacum adhuc alias, quas hîc, quia eas in *Præf. Scholæ Syriacæ* dedimus, transilimus.

IV. *Quartò quæritur.* Quomodo hæc Lingua Novi T. Syriaci vocatur; Et an alicubi adhuc est Vernacula?

Resp. 1: Lingua hæc vocatur Aramæa ab Aram; Syriaca à Syria; & in N. T. sæpè nominatur Hebræa; quia Lingua Syriaca Hebraicæ dialectus est. Dialectus hæc vocatur Antiochena sive Comagena & Maronitica. Antiochena dicitur quia circa Antiochenum tractum in usu fuit, & in Ecclesia Antiochena, & per Patriarchatum in Sacris usurpata. Comagena voca-

Digitized by Google

vocatur à Comagene ultimâ Syriæ regione; & Maronitica à Maronitis, qui habitant in pagis montis Libani, & in minoribus Syriæ oppidis. Fabrit. Boderianus præterea ait, Literas Syriacas à Christianis Antiochenis, nascente Ecclesiâ, introductas esse, ne quid cum Nazaræis & Ebionitis Judæis commune haberent.

2. Lingua Syriaca nullibi vernacula est, nisi in paucis vicis circa Libanum: nam ubique ferè per Asiam & Africam inter Christianos pro Eruditorum linguâ habetur.

V. *Quintò quæritur.* Quis omnium primus Novum T. Syriacum in Linguam Latinam transtulit?

Resp. 1. Henricus Stephanus Anno Christi 1569. primus typis in lucem emisit Versionem Lat. ab *Immanuele Tremellio*, ex Judæo Christiano, translatam & compositam, unà cum transpositione literarum Syriacarum in Characteres Hebræos; quæ transpositio Anno 1565. à Tremellio fuerat adornata. 2. Circiter duobus annis pòst, scil. Anno 1571. aliam Latinam Novi Test. Syr. Versionem, occasione Bibliorum Regiorum, in publicum emisit *Guido Fabritius Boderianus* è Falesiâ Normannus, qui in Præf. ad Lectorem ait, *quòd in studio hoc incredibilibus exantlatis laboribus, adeo ut bis in morbum summo cum vita discrimine inciderit, octodecim mensium spatio Anno 1567. Novi T. Syriaci Versionem Latinam absolverit.* 3. Sua posset cuique manere laus & gloria, nisi *Gilbertus Genebrardus*. Parisiensis, Linguæ Hebrææ Professor Regius, Tremellium plagii accusaret, quasi Versionem Guidonis Fabritii surripuisset, proque suâ venditâsset. Sed è contrà Rainoldus conatus est probare Fabritium illud plagium, nimis sequendo Versionem Tremellii; commisisse. Ut ut sit, magis crediderim *Fabritium Tremellium*, quàm hunc illum fuisse sequutum, cùm Tremellii Versio Latine Anno 1569. Fabritii verò demum 1571. biennio pòst lucem adspexerit. Versio Lat. Tremellii in Bibliis *Junii & Tremellii*, in quarto Hanoviæ Anno 1602. editis, invenitur.

Si quis velit hanc Linguam Syriacam, quæ facillima est illis, qui Linguàm Hebraicam mediocriter callent, addiscere, consulat Grammaticam Chald. & Syriacam Buxtorfii, vel Gramm. Ludovici de Dieu, vel Scholam meam Syriacam, in qua, præter præcepta Grammaticæ & Syntaxeos, varia exempla ex Novo T. Syriaco & aliunde propriis suis literis proferuntur, ex quibus Philo-Syrus facillimè Textum Syriacum addiscere poterit.

Digitized by Google

DISSERTATIO DECIMA,

Quæ eſt pars prior

DE

NOVA SACRORUM

Bibliorum Verſione Belgicâ.

I. *Scripturam in Linguas Vernaculas eſſe transferendam variis modis & exemplis probatur.*

II. *Auctor antiquæ Verſionis Belgicæ ignoratur.*

III. *Belgæ non habuerunt Verſionem Belgicam ex ipſis fontibus ſed ex Verſione Germanica Lutheri factam.*

IV. *Nova Verſio Belgica, ex ipſis fontibus facienda, erat utilis & neceſſaria Eccleſiis Belgicis; quod quibusdam rationibus confirmatur.*

V. *Inde tamen non ſequitur Eccleſiam Belgicam habuiſſe falſa Biblia, licèt habuerit Biblia non ſatis correcta.*

VI. *Licèt in antiqua Verſione omnia contineantur ad ſalutem neceſſaria, tamen rerum aliarum etiam erat habenda ratio.*

VII. *Vertere Biblia ex ipſis fontibus non eſt S. Scripturam pro beneplacito mutare. Licet voces quaſdam uncinulis includere, & aliis characteribus exprimere, quæ in Textibus Originalibus quoad literam non habentur.*

VIII. *Pontificii, ſive docti ſive indocti, non poſſunt ſcandalizari propter novam noſtram Verſionem.*

IX. *Verſio noſtra nova eſt tam correcta, quàm ulla alia Verſio.*

SECTIO I.

QUod Sacra Scriptura in Linguas Vernaculas, cuilibet Nationi proprias, transferri poſſit & debeat, jam diu contra Pontificios probarunt Reformati, aliique Theologi, tum rationibus, tum etiam auctoritatibus & exemplis antiquorum Patrum, aliorumque auctorum. Nam S. Scriptura 1. eſt Teſtamentum fidelium, à cujus lectione nemo jure prohiberi poteſt. 2. Sunt arma fidelium, quibus ſe contra inſultûs hoſtium ſpiritualium defendere debent. 3. Chriſtus *Johannis cap.* 5: 39. expreſſè dicit *Scrutamini Scripturas*. 4. Laudantur Beroënſes *Act.* 17: 11. quod quotidie examinarent Scripturas, an hæc ita ſe haberent. Atqui cùm plerique fideles non intelligant ipſos S. Scripturæ fontes Hebræos & Græcos, neceſſarium eſt eos transferri in Linguam Vernaculam, ut à quolibet legi & intelligi poſſint. 5. Prætereo jam Chaldæos

Digitized by Google

dæos, Græcos, Syros, Arabes, aliosque, omnibus ferè notos, qui singuli S. Scripturam in Linguam Vernaculam translatam possederunt. Tantummodo in medium profero nonnullos alios, qui nobis bono exemplo præiverunt. 6. Ipse Serarius Jesuita *in Proleg. Bibl.* p. 129. ait Ulphilam Gotthorum Episcopum circiter An. Christi 400. S. Scripturam in Linguam Gotthicam transtulisse. Aventinus *lib.* 4. *Annalium* asserit Methodium S. Scripturam in Sclavonicam Linguam vertisse. Sixtus Senensis *lib.* 4. ait Chrysostomum ipsos fontes in Armenicam Linguam mutâsse. Angli in America sive nova Anglia verterunt Biblia in Linguam Indicam, eaque ediderunt novæ Cantabrigiæ secunda vice in 4to Anno 1685. Biblia etiam sunt translata in Linguam Letticam, populo illi Vernaculam, & edita Rigæ Anno 1689. Utraque inde dono mihi sunt transmissa. Deinde Eccius; Hosius, & Alphonsus de Castro fatentur Hieronymum S. Scripturam in Linguam Dalmaticam transtulisse. Ex ipsis ergo Pontificiis intelligimus quòd apud antiquos Patres, aliosque moris fuerit S. Scripturam in Linguas Vernaculas transferre. Quare hoc idem privilegium etiam non haberet locum inter Christianos Belgas, quibus Lux Evangelii jam diu satis abundè fuit orta? 7. Belgæ, porrigentes S. Scripturam in Linguâ Belgicâ, Belgis Vernaculâ, imitantur ipsos S. Scriptores, qui Libros Sacros in Linguâ, fidelibus tum temporis Vernaculâ, tradiderunt. Hebræi enim tradiderunt Vetus T. Hebraicè, Apostoli Græcè: quia illæ Linguæ tum temporis illis erant Vernaculæ. De Hebræis nullum est dubium. De Græcis varii auctores idem probant. Cicero in orat. pro Archia Poëta ait: *Nam si quis minorem gloriæ fructum putat ex Græcis vocibus percipi, quàm ex Latinis, vehementer errat. Propterea quòd Græca Lingua in omnibus ferè Gentibus, Latina suis finibus exiguis sanè continetur.* Erasmus in annot. ait, totam Græciam se Romam contulisse: & propterea Juvenalis Romam vocat *urbem Græciæ*. Ex his omnibus apparet S. Scripturam in usum Belgarum etiam in Linguam Belgicam esse transferendam: sed cùm S. Scriptura in eam Linguam olim fuerit translata, non immeritò, antequam de Novâ Versione agamus, aliquid dicendum est de antiquâ Versione Belgicâ, & de antiquis ejus Editionibus.

II. *Primò quæritur.* A quibus antiqua nostra Versio Belgica est composita?

Respondeo. Auctor vel Auctores primi antiquæ nostræ Versionis Belgicæ planè sunt ignoti. Amama in *præf Confer. Bibl. cap* 8. fatetur etiam suam in hâc re ignorantiam, aitque se ex multis senioribus Pastoribus illud expiscatum fuisse, qui tamen omnes illud nescire ajebant.

III. *Secundò quæritur.* An Versio antiqua Belgica fuit translata ex ipsis fontibus Hebræis & Græcis; an verò ex aliquâ aliâ Versione.

Respondeo. Antiqua nostra Versio Belgica non fuit translata ex ipsis fontibus, prout Galli, Angli, Junius & Tremellius, Pagninus, Lutherus, aliique multi fecerunt; sed ex Versione Germanicâ Lutheri, quæ, quum tumultuario tempore fuerit composita, multis scatuit vitiis, quæ pleraque in nostram antiquam Versionem, additis adhuc multis aliis ex oscitantiâ auctoris Versionis Belgicæ natis, irrepserunt.

Anno circitèr 1560. Nicolaus Biestkens impressit Editionem Belgicam planè formatam secundùm Versionem Germanicam Lutheri. Etiam Anno 1563. apud filios Leonardi eadem Editio impressa est. Reformatæ Ecclesiæ ut plurimum usæ fuerant usque ad annum Christi 1556. Versione impressâ apud Jacobum à Liesvelt: sed Johannes Vitenhove (adjutus à Johanne à Lasco, Martino Micron, Petro & Gualthero Delheno, olim Ministris Ecclesiæ Belgicæ in Anglia, sed inde postea expulsis) eodem anno incepit novam Versionem Novi T. Francofurti adornare, quæ Embdæ impressa est apud Gillis vander Erven. Interim eodem anno, scil. 1556. Embdæ per Stephanum Mierman & Joh. Gaillard tota S. Scriptura belgicè edita fuit, sed non eodem modo ut antè. A Genesi usque ad Jobum impressores sequuti fuerunt Editionem Jacobi à Liesvelt, correctam secundùm Editionem Helveticam Reformatorum, & à Jobo usque ad finem sequuti fuerunt in totum, Versionem Tiguri impressam Anno 1548. & 1549.

Deinceps ut plurimum S. Scriptura Belgicè est impressa quoad Vetus T. secundùm translationem factam ex Lutheri Versione, & quoad Novum T. secundùm translationem factam à Johanne Vitenhove. Quare? Quia in Germania & Frisia Orientali, quò Pastores propter Inquisitionem ex Belgio fugerant, Versio Lutheri maximè usitata fuit. Huic Editioni D. D. Ordines Brabantiæ & Hollandiæ Anno 1580. Antverpiæ privilegium concesserunt. Anabaptistæ ægerrimè tulerunt correctionem Novi T. factam per Joh. Vitenhove; & propterea sequuti sunt, semperque defenderunt Versionem secundùm translationem Lutheri factam.

Nonnunquam in quibusdam Editionibus quidam graviores errores scil. *Deut.* 29:29. *Psal.* 16: 2. *Gen.* 1: 20. &c. sunt correcti; omnes tamen Typographi illam correctionem non fuerunt sequuti. Nemo etiam longo tempore correxit quamplurima errata typographica, quæ ab Anno 1562. in diversas Editiones Belgicas irrepserant: ex. gr. sant pro sout 2. *Reg.* 2: 19, 20. Jerusalem pro Jeroboam 2. *Chron.* 10: 15. &c. nisi post sumptum decre-

Digitized by Google

decretum in Synodo Dordracenâ de novâ Versione Belgicâ adornandâ.

IV. *Tertiò quæritur.* An utile, necessarium, atque è re Ecclesiæ Belgicæ fuit, ut nova Bibliorum Versio Belgica componeretur?

Resp. Quòd nova Versio Belgica, ex ipsis fontibus transferenda, jam diu Ecclesiæ Belgicæ fuerit necessaria, variæ Synodi cognoverunt, & confessæ sunt: quæ propterea diversis temporibus ad hanc Versionem adornandam deputârunt tum Nobiliss. Philippum Marnixium, S. Aldegondæ Dominum, tum Arnoldum Cornelii & Wernerum Helmichium: sed hi, opere vixdum inchoato, jamdudum è vivis ante tempora Synodi Dordracenæ excesserant: ideoque eadem Synodus *Sessione* VI. *&* *seqq.* decrevit fore necessarium, ut nova Versio Belgicâ ex ipsis fontibus in usum Ecclesiarum Reformatarum adornaretur. Rationes sunt multæ & satis prægnantes, quæ Synodum ad tale decretum sumendum impulerunt.

Ratio 1. Quia antiqua Versio fuit translata ex Versione Germanicâ Lutheri, in quâ, secundùm testimonia variorum auctorum, quamplurima fuerunt vitia. *Bucerus in Dialogo* cum Melanchthone ait, errores Lutheri in Versione commissos esse manifestos & non paucos. *Melchior Zancherus*, testante Baudartio, edidit Librum in folio, in quo multos errores Versionis Germanicæ demonstravit. *Philippus Marnixius* in Epistola ad Drusium scribit nullam Versionem, ab Ecclesiâ nostrâ admissam, tam longè ab authentico Textu differre, quàm Versio Germanica Lutheri. Non mirum ergo, quòd in nostra antiqua Versione multa inveniantur vitia, quum ex impuro fonte aqua pura hauriri nequeat. Propter hæc vitia in Versione Germanicà admissa, ipse Lutherus in omnibus Editionibus, quæ ipso vivente sunt editæ, aliquid correxit: & procul dubio plura correxisset, si diutiùs vitam protraxisset.

Non tantùm auctoritatibus agamus, sed nonnullos errores in Versione Lutheri demonstremus, ut necessitatem novæ Versionis ostendamus. *Gen.* 1:20. Lutherus vertit *sub firmamento,* quum in Hebræo habeatur על פני רקיע *supra firmamentum.* Hinc Versio antiqua Belg. habet *onder den firmamente.* Sic. *Genes.* 23:2. Lutherus & antiqua Versio transtulerunt בקרית ארבע *in de Hofstadt*, cum sit transferendum *in de Stad Arbe*; ארבע est nomen viri. Qui plura loca desiderat, percurrat *Conferentias Biblicas Amamæ*, in quibus sat multas differentias Versionis Germanicæ à Textu Hebræo inveniet.

Ratio 2. Nova Versio ex ipsis fontibus erat facienda; quia infiniti ferè errores tum propter Versionem Lutheri, tum propter oscitantiam Interpre-

Digitized by Google

pretum Belgarum & Typographorum in antiquam Versionem irrepserant. Ex. gr. *Exod.* 2: 13. hæc sequentia in antiquâ Versione sunt addita, quæ in Textu Hebræo non habentur: *En sy baerde noch eenen Soone, dien hiet hy Eliëser, ende sprack: de Godt mijns Vaders is mijn hulper, ende heeft my van Pharaonis handen verlost.* Similiter *Exod.* 3: 19 in antiquâ Versione habetur, *dan door een sterke hant*, cum in Hebr. habeatur ולא ביד חזקה *ook niet door een sterke hant. Exod.* 12: 6. in antiqua Vers. transfertur בין ערבים *inter duas vesperas*, per *tusschen den avondt*, vel in aliis exemplaribus, *des avondts. Num.* 28: 18. verba ביום הראשון מקרא קדש *in die primo erit convocatio sancta*, verterunt per *den eersten dagh sal hy u heyligh heeten, dat ghy lieden te samen komt*, & in alia edit. habetur, *den eersten dagh hiet heyligh.* Centena talia loca adferri possent, si necessitas rei exigeret: si tamen curiosus Lector plura desiderat, adeat Amâmam in *Conferentiis Biblicis*.

Etiam errores nonnullos, natos ex oscitantiâ Typographorum, in medium proferamus, qui in multas antiquas Editiones irrepserunt: ex. gr. *Gen.* 14: 3. pro *zantzee* lege *soutzee*. similiter *Levit.* 1: 7. pro *goudt* lege *houdt.* Et *Deut.* 33: 8. pro *name* lege *man.* 2. *Chron.* 25: 5. pro *drie duisent*, lege *drie hondert duysent.* Denique *Jer.* 14: 5. pro *honden* lege *hinden.* Plurima talia loca ex oscitantiâ Typographorum malè sunt impressa; multa tamen ex illis locis in quibusdam posterioribus Editionibus sunt correcta.

Etiam in quibusdam antiquis Editionibus quædam fuerunt omissa. *Gen.* 14: 24. omittitur *Mamre. Exod.* 7: 24. in quibusdam Editionibus omissa sunt, *vvant sy konden niet drincken van de vvateren des riviers*, quæ tamen in Edit. Biestkens & Liesvelt sunt addita. Reliqua vide in fine *Conferentiarum Biblicarum* Amamæ.

Ratio 3. Non tantùm multi errores in antiquis Versionibus Belg. inveniuntur, sed etiam in quibusdam locis sensus Textui Originali planè est contrarius: ex. gr. *Ezech.* 5: 7. habetur, *secundùm jura gentium* לא עשיתם *non fecistis*; sed in correctissimis antiquis Versionibus affirmatur, & dicitur *fecistis.* Similiter *Ezech.* 34: 16. habetur, *pinguem & firmam* אשמיד *perdam*; sed in antiquis Versionibus habetur, *dat vvil ick bevvaeren*, planè contrario modo.

Ratio 4. Etiamsi hæc vitia in principio Reformationis non potuerint commodè tolli, attamen oblatâ commodâ occasione necessariò eadem fuerunt corrigenda; tum propter Pastores; tum etiam propter plebem Ecclesiæ Reformatæ, & aliarum Ecclesiarum. Si enim illa vitia non correcta fuissent, tum necessarium fuisset Pastores & Auditores, legentes Textum Belgicum, semper dubios hæsisse, an ille Textus cum Originali conveniret

nec

Digitized by Google

nec ne, quum scirent Textum Belg. in plurimis locis ab Originali differre. Pastores aliquando, explicantes Textum malè translatum, debuissent publicè eum corruptionis accusare, quod scandalum præbuisset auditoribus. Etiam auditores non ita excitati fuissent, nec ita jam excitarentur ad legendum talem Textum, quem novissent ita corruptum esse. Præterea adversariis jam ansa calumniandi eripitur; quia jam nequeunt amplius nobis exprobrare, quòd, ad dogmata nostra probanda, utamur Textu corrupto, & cum Originali non conveniente.

V. *Quartò quæritur.* An ergo Ecclesia Reformata, cùm certum sit antiquam Versionem fuisse corruptam, tam diu habuit falsa Biblia?

Resp. Ecclesia non habuit falsa Biblia: nam cùm illa loca, quæ ad salutem sunt necessaria, benè fuerint translata, tum non sunt falsa Biblia, etiamsi nonnulla alia secundùm Textum originalem non fuerint tam benè translata. Hoc quidem sequitur, quòd nonnulla loca fuerint falsa; non tamen inde elicitur vel Biblia fuisse falsa, vel nos tam diu falsis Bibliis fuisse usos.

VI. *Quintò quæritur.* Annon in antiquâ illâ Versione Belgicâ continebantur omnia, quæ ad salutem erant necessaria? Et si sic; Quare ergo opus fuit novam aliquam Versionem adornare?

Resp. Antiqua Versio continebat quidem omnia, quæ ad salutem sunt necessaria; sed non ita perfectè quemadmodum jam: dantur enim gradus perfectionis. Deinde non tantùm est ratio habenda rerum necessariarum ad salutem, sed etiam rerum aliarum, nempe historicarum, politicarum, &c. Nam etiamsi tota S. Scriptura absolutè non sit ad salutem necessaria, ea tamen est utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, &c. 2. *Tim.* 3:16. Hinc Rabbini dicunt non esse apicem in S. Scriptura, à quo non pendeant montes Mysteriorum. S. Scriptura est quasi epistola ad nos missa, & testamentum. Quis hominum sensum perfectum epistolæ aut testamenti alicujus Magnatis non expiscatur? Quare etiam non desideraremus perfectum sensum testamenti illius intelligere, quod Deus ad nos misit!

VII. *Sextò quæritur.* An inde sequitur, quòd Reformati sæpissimè pro beneplacito mutent S. Scripturam: quia novam Versionem secundùm ipsos fontes adornârunt?

Resp. Nullo modo. Nam 1. Hoc idem sæpissime fecit Lutherus, qui multa loca in prioribus Editionibus non benè translata correxit. Idem etiam fecit Junius in Versione Latina, & ferè omnes Interpretes, qui in reiteratis Editionibus nonnulla correxerunt.

2. Ipsi Pontificii sæpissime hoc fecerunt. Papa Sixtus V. in infinitis fe-

Digitized by Google

rè locis Versionem Latinam correxit, & biennio pòst Anno 1592. iterum Clemens VIII. Versioni Sixti V. medicam manum admovit; imo in nonnullis locis Versionem Sixti V. depravavit, ubi Sixtus V. benè Textum transtulerat. Exempla vide suprà in primâ *dissert. hujus Philologi.* Quid fecit Isidorus Clarius? An non octo vitiorum millia in Versione Vulgatâ correxit? An non adhuc multis scatet vitiis? An non pudere deberet Pontificios, quòd talem Versionem, tot vitiis scatentem, & indigentem adhuc magnâ correctione, pro authenticâ venditent. An non ab ipsis Pontificiis illud הוא *Genes.* 3 : 15. in reiteratâ Edit. mutatum est in היא. An non Pagninus, jussu Leonis X. eodemque sumptûs faciente, Versionem novam secundùm Textum Hebræum composuit? An non olim Hieronymus novam Versionem Latinam præter illam antiquam Latinam adornavit? Quare nobis non esset licitum, quod aliis, imo ipsis Pontificiis concessum est? Utinam Pontificii etiam aliam Versionem Latinam secundùm Textûs Originales componerent? Sed vereor ne hoc facturi sint; quia hodierna Lat. Versio est à Concilio Tridentino canonizata, eademque in quibusdam articulis etiam confirmat fidem Pontificiorum, quum ex Textu originali & ex legitimâ Versione refutentur.

Abeat ergo Flandrus ille rusticus, vulgò dictus *Vlaemschen Boer*, nugator summus, nullius linguæ, nisi vernaculæ peritus, homo indoctus, cui procul dubio nonnulla ab ipsis Pontificiis suppeditata sunt. Nolo ipsius nomen exprimere. Hic miser homo varias Editiones contulit, & ex iis discrepantias collegit, indeque nostra Biblia corruptionis, contrarietatis, contradictionis, & nescio cujus præterea criminis accusavit: sed si Linguam Latinam, Heb. & Gr. calluisset, petiissem ut varias Editiones Versionum Lat. Pontif. etiam percurrisset, easdemque ad Textum originalem examinâsset, non dubito quin instar rustici citò conticuisset. Sed quid moror in homine Laico refutando? Hominis insania omnibus hinc etiam satis est manifesta, quòd dicat nos in novâ Versione Belgicâ jam addidisse 9391. verba, quæ in Textu Originali non habentur, quum intelligat ea verba, quæ aliis literis in nostrâ Versione exprimuntur, & duobus uncinulis includuntur. Verum quidem est, quòd illa verba expressè in Textu Originali non habeantur: propterea etiam aliis literis sunt expressa, sed necessariò subintelliguntur: nam Textus Originalis sæpe est ellypticus, &, si quædam voces non adderentur, sæpissime nullus sensus ex verbis posset elici. Talis ellypticus scribendi modus in omnibus linguis est usitatus. Semper solent Interpretes quasdam voces majoris explicationis ergò in versionibus suis addere. Videatur inter alias Pagnini Versio Latina. Si hic rusticus aliam linguam præter vernaculam novisset, procul dubio ita non delirâsset.

VIII. *Septi-*

VIII. *Septimò quæritur.* An Pontificii sive docti sive indocti propter novam nostram Versionem Belgicam, quia eam in multis correximus, meritò scandalizantur?

Resp. Nemini datur justa causa scandali. 1. Docti non possunt scandalizari: si enim examinent nostram Versionem, experientur eam non esse corruptam, sed correctam. Ipsi Pontificii sæpissime confessi sunt multa vitia Versioni Latinæ inesse. An propterea aliquis meritò scandalizaretur, si quis illa vitia corrigeret? Lucas Brugensis fecit catalogum continentem varias lectionum varietates in Bibliis Latinis ex vetustis MSS. collectas, quibus, uti ait, post geminam Sixti v. & Clementis VIII. expurgationem, posset perfectior reddi feliciter cœpta correctio, si accedat Romani Pontificis auctoritas. Citat præterea in suâ Præfatione binas litteras, scil. Bellarmini & Joh. Baptistæ Bandini, in quibus ingenuè fatentur adhuc multa in Versione Lat. superesse vitia, quæ in melius mutari possent. Quis scandalizabatur componente Pagnino, jussu Leonis x. novam Versionem Latinam? Nemo.

2. Non etiam plebejis occasio scandali datur: nam Versio Belgica Pontificiorum etiam correcta fuit secundùm correctionem Romanam, uti videre est in Edit. Belg. Anno 1599. apud Moretum impressâ; si eadem conferatur cum Editione apud Plantinum Anno 1566. editâ. Moretus in Præfatione ait, Versionem suam à Doctoribus Lovaniensibus esse correctam à multis mendis, quæ in præcedentibus Editionibus non fuerant correctæ.

IX. *Octavò quæritur.* An nova Versio Belgica jam ubique est correcta secundùm mentem S. Scriptorum? An non multa in eâdem adhuc sunt vitia? An non sæpissime Interpretes novæ Versionis notam marginalem *Keri* sequuntur?

Resp. Ad 1. Audeo Versionem nostram novam conferre cum quâlibet aliâ Versione cujuscunque notæ linguæ. Posito quod detur aliqua Versio, quæ tam correcta est, quàm nostra nova Belgica; non puto tamen dari aliquam meliorem hâc nostrâ Versione, nec quæ magis emphaticè Textum originalem explicat, quàm hæc nostra.

Resp. Ad 2. Sunt quædam loca dubia, duplicem explicationem admittentia, quorum alterutram explicationem nostri Interpretes expresserunt, annotatâ aliquando in margine alterâ interpretatione. Inde nemo, qui contrariam explicationem eligit, concludere potest illa loca esse malè translata. Ille enim ipse fortasse fallitur in suâ opinione: nam in dubiis non possumus esse adeo certi, ut alios firmiter convincamus; ideoque præstat in illis captivare intellectum, & non statim aliorum Versionem damnare.

Digitized by Google

Resp. Ad 3. Aliquando Interpretes Belgæ in Versione suâ sequuti fuerunt notam marginalem *Keri*; sed hoc idem in nonnullis locis fecerunt omnes Interpretes, non tantùm inter Pontificios, sed etiam inter Reformatos. Deinde nonnunquam explicârunt Textum secundùm *Keri*, non quia judicârunt *Keri* esse authenticum, aut ab ipsis Auctoribus Bibliorum profectum; sed quia putârunt notam illam *Keri* exprimere verum sensum, ab ipsis Sacris Scriptoribus intentum. Hoc enim sæpissime facit *Keri*; & propterea nota marginalis *Keri* non planè est rejicienda: ex. gr. *Genes.* 30: 11. occurrit verbum compositum בגד, quod si esset verbum simplex denotaret *prævaricatus est*, sed nota marginalis *Keri* ait illud verbum esse compositum ex בא גד *venit turma.* Nostri Interpretes Belgæ ita explicârunt, quemadmodum *Keri* vult esse explicandum: sed hoc fecerunt propterea, quia judicarunt ipsum Mosen talem sensum intendisse.

DISSERTATIO UNDECIMA,
Quæ est pars posterior
DE
NOVA SACRORUM
Bibliorum Versione Belgicâ.

X. *Versio Belgica non est authentica.*
XI. *Tempus inceptæ & absolutæ, ut & revisæ & editæ Versionis indicatur.*
XII. *Recensentur nomina Interpretum & Revisorum Veteris & Novi T. tam à Synodo deputatorum quàm à particularibus Synodis surrogatorum.*
XIII. *Recitantur leges Interpretibus præscriptæ.*
XIV. *Synodus judicavit consultiùs novam Versionem componere quàm veterem interpolare.*
XV. *Synodus judicavit nomina* JEHOVA *&* JAH *esse transferenda per nomen* HEERE *scriptum majusculis literis; & nomina propria ita esse pronuncianda uti hactenus pronunciata sunt, &c.*
XVI. *Leges circa Versionem librorum Apocryphorum præscriptæ recensentur.*

SECTIO X.

SUperiori Dissertatione disseruimus de origine antiquæ Versionis Belgicæ, ut & de causis, ob quas nova Versio Belgica Ecclesiis Belgicis fuerit utilis & necessaria; restat ut cæteras quæstiones novam nostram Versionem concernentes, in medium proferamus.

Novò

Digitized by Google

Nonò quæritur. **An nova nostra Versio Belgica non est authentica, & divinæ Auctoritatis?**

Resp. Cùm nullæ Versiones, utpote compositæ ab hominibus fallibilibus, sint divinæ Auctoritatis, etiam hoc privilegium nostræ Versioni competere nequit. Authentica tamen quodammodo dici potest, scil. materialiter, quatenus convenit cum Textu Originali: sed in locis dubiis & controversis debet & potest examinari secundùm Textum Originalem infallibilem.

XI. *Decimò quæritur.* Quando, & quanto temporis spatio nova nostra Versio Belgica est composita & absoluta?

Resp. Decretum de novâ Versione adornandâ factum est, consentientibus omnibus suffragiis, in Synodo Dordracenâ *Sessione* 8. Anno 1618. 20. Novemb. die Martis post meridiem. Attamen Interpretes Veteris T. propter nonnullas rationes demum decennio pòst, scil. Anno 1628. se Leidam contulerunt, atque initium Interpretationis fecerunt; etiamsi Venerandi Viri illius Synodi decrevissent initium hujus Versionis post tres à Synodi dimissione menses esse faciendum.

Anno sequenti, scil. 1629. sequuti fuerunt Interpretes Novi T. & librorum Apocryphorum. Hi omnes Interpretes opus Interpretationis tam Veteris quàm Novi T. absolverunt Anno 1632. Ergo spatio quatuor ferè annorum tam præstantissimum opus ad umbilicum fuit perductum. Tali enim spatio judicavit Vener. Synodus *Sess.* XI. Interpretes posse totam hanc Versionem absolvere. Non tamen certum tempus ipsis fuit præscriptum, ne nimiâ festinatione opus immaturius in lucem protruderetur; sed totum hoc negotium permissum fuit fidei & diligentiæ Interpretum.

Opere Interpretationis spatio quadriennii absoluto non statim illud Interpretes publici juris fecerunt; sed vocarunt designatos Revisores, qui opus ab Interpretibus compositum, simul Leidæ examinarent, quod singuli Revisores, acceptis, diversis temporibus, ab Interpretibus libris quibusdam, domi privatim examinaverant.

Revisores Veteris Test. pridie Kal. Jul. Anni 1633. Leidam appulerunt, eodemque die Revisores unà cum Interpretibus convenerunt, &, de ordine ac modo agendi deliberationibus præmissis, opus in nomine Domini indefesso labore, singulis diebus ante & post meridiem, in ædibus D. Bogermanni, Præsidis, peregerunt; tandemque revisionem Veteris T. mense Septembri Anno Christi 1634. absolverunt.

Tum vocati fuerunt Interpretes & Revisores Novi T. & toti operi finem imposuerunt mense Octobri Anno 1635.

Digitized by Google

Tandem, favente Summo Numine, nova hæc Versio Belgica tam Veteris quàm N. T. diu ab Ecclesiis Refòrmatis exspectata, auctoritate Illustriss. & Præpot. DD. Ordinum Generalium, quorum auctoritate & sumptibus erat composita, Anno 1637. primùm in lucem prodiit. Quanto deinde desiderio fuerit excepta, ac quanto numero fuerit divendita, hoc Typographi, & nos omnes satis novimus. Vide hanc historiam descriptam in Vitis DD. Professorum Groeninganorum *pag.* 185. *& seqq.*

XII. *Undecimò quæritur.* Quot, & quinam fuerunt Interpretes & Revisores tam Veteris quàm Novi T.?

Resp. Interpretes Veteris Testamenti fuerunt *tres*, totidem etiam Novi T. Revisores Veteris T. fuerunt *octo*, totidem etiam Novi T. Sed quia quidam ante opus absolutum obierunt; ideo tam deputatos ab ipsa Synodo ad hoc opus efficiendum, quàm in eorundem loca surrogatos, ordine hìc proponemus.

Interpretes Veteris T. pluribus suffragiis electi fuerunt.

D. JOH. BOGERMANNUS, *Præses Synodi Nationalis, Pastor Ecclesiæ Leovardiensis, & postea S. Theol. D. & Professor Franequeræ.*

D. WILHELMUS BAUDARTIUS, *Pastor Ecclesiæ Zutphaniensis.*

D. GERSON BUCERUS, *Pastor Ecclesiæ Verianæ in Zelandiâ;* sed hic ferè sub finem peractæ interpretationis obiit.

Ad hos pluribus suffragiis proximè accesserunt,

D. *Antonius Thysius.*
D. *Jacobus Rolandus.*
D. *Hermannus Faukelius.*

Nota Benè.

Idem quod accidit Interpretibus,

Interpretes Novi T. & librorum Apocryphorum constituti fuerunt à Synodo.

D. JACOBUS ROLANDUS, *Synodi Assessor, & Pastor Ecclesiæ Amstelodamensis.*

D. HERMANNUS FAUKELIUS, *Pastor Ecclesiæ Middelburgensis.*

D. PETRUS CORNELII, *Pastor Ecclesiæ Enchusanæ.*

Ad hos proximè pluribus suffragiis accesserunt,

D. *Festus Hommius.*
D. *Antonius Walæus.*
D. *Jodocus Hoingius.*

Sed propter mortem nonnullorum, à Synodo designatorum, hi fuerunt actualiter Interpretes N. T. & librorum Apocryphorum,

D. JACOBUS ROLANDUS, hoc

hoc etiam nonnullis Revisoribus evenit: propterea tam à Veneranda Synodo designatos, quàm in quorundam loca à particularibus Synodis surrogatos Revisores in medium proferimus. Ipsi Interpretes etiam Revisoribus fuerunt adjuncti, & unà cum Revisoribus translationem examinârunt.

Hic sub opere Versionis ante revisionem obiit.

D. ANTONIUS WALÆUS, *S. Theol. D. & Professor in Academia Leidensi.*

D. FESTUS HOMMIUS, *Scriba Synodi Nat. Pastor Eccl. Leidensis, & Collegii Theol. DD. Ordinum Hollandiæ Regens.*

Revisores Veteris T. à Synodo deputati fuerunt.	Ex	Revisores Novi Test. à Synodo deputati fuerunt
1. D. ANTONIUS THYSIUS, *S. Theologiæ Doctor, & ejusdem in Illustri Scholâ Hardervvicenâ, postea in Leid. Acad. S. Theologiæ Professor.*	Geldriâ.	1. D. SEBASTIANUS DAMMANNUS, *Pastor Eccl. Zutphaniensis & ipse Synodi Scriba.*
2. D. JOH. POLYANDER, *S. Theol. Doctor, & in Acad. Leidensi Professor, atque ibidem Ecclesiæ Gallo-Belgicæ Pastor.*	Holl. Australi.	2. D. FESTUS HOMMIUS. In hujus locum successit. D. JOHANNES ARNOLDI LINDANUS, *Pastor Ecclesiæ Delphensis.*
3. D. PETRUS PLANCIUS, *Pastor Ecclesiæ Amstel.* In hujus locum propter mortem successit *Jacobus Rolandus*, qui itidem obiit; propterea in locum eorum à Synodo Boreali electus est. D. ABDIAS WIDMARIUS, *tunc in pago* Uytgeest *Pastor, postea in Acad. Groeninganâ S. Theol. D. & Professor.*	Holl. Boreali	3. D. GOSSUINUS GELDORPIUS. Illi successit. D. GUILHELMUS NIEUHUSIUS, *Rector Scholæ Harlemensis.*
4. D. JODOCUS LARENUS, *Pastor Ecclesiæ Vlissinganæ.*	Zelandiâ.	4. D. ANTONIUS WALÆUS. In ejus locum surrogatus est. D. CAROLUS DEMATIUS, *tunc Pastor Eccl. Middelb.* pòst in *Ecclesiâ & Acad. Ultraj. Pastor, & S. Theol. D. & Professor.*

5. D.

5. D. SIBRANDUS LUBBERTUS, *in Acad. Franequerana S. Theol. Professor.* Huic successit. D. BERNHARDUS FULLENIUS, *Pastor Ecclesiæ Leovardiensis.*	Frisiâ.	5. D. BERNHARDUS FULLENIUS, qui idem inter Revisores V. T. erat.
6. D. JACOBUS REVIUS, *Pastor Ecclesiæ Daventriensis, pòst Leidæ Regens Coll. Theol.*	Transisul.	6. D. JOHANNES LANGIUS, *Pastor Eccl. Vollenhovianæ.* Huic successit. D. CASPARUS SIBELIUS, *Pastor Eccl. Daventr.*
7. D. FRANCISCUS GOMARUS, *S. Theol. Doctor & in Acad. Groeningana Professor.*	Groeningâ.	7. D. UBBO EMMIUS, *Prof. Linguæ Græcæ in Acad. Groeningana.* Successit. D. HENRICUS ALTINGIUS, *in Acad. Groening. S. Theol. D. & Prof.*

Quandoquidem Ultrajectini, à parte Contra-Remonstrantium delegati, petierant, ut Revisorum ex Provinciâ Ultrajectina delegatio differretur, donec eidem Ecclesiæ de idoneis Pastoribus prospectum esset: ideo placuit Synodo delegationem illam differre, donec ab Ecclesiis Provinciæ Ultrajectinæ in unâ particulari Synodo communibus suffragiis nominari, & cum Interpretum ac Revisorum consensu atque approbatione eligi aliquando possent. Tandem electi sunt

8. D. ARNOLDUS TEEKMANNUS, *Pastor Ecclesiæ Ultrajectinæ.*	Ultr.	8. D. LUDOVICUS GERHARDUS à RENESSE, *Pastor Eccl. in pago Maerssen, pòst Bredæ Pastor, & S. Theol. Profess.*

Penes hos Interpretes & Revisores vel Veteris vel N. T. simul congregatos, fuit in locis dubiis extremum & summum de hâc novâ Versione judicium.

XIII. *Duodecimò quæritur.* Quales leges Interpretibus fuerunt præscriptæ?

Resp. Hæ sequentes, prout videre est in actis Synodi, sunt Interpretibus præscriptæ. 1. Ut Originali Textui semper religiosè inhæreant, atque ipsas Originalium Linguarum phrases, quantum orationis perspicuitas, & sermonis Belgici proprietas permittunt, sollicitè retineant. Si verò durior alicubi occurrat Hebraismus aut Hellenismus, quàm ut in Textu possit servari, eum passim in margine diligenter annotent.

2. Ut ad supplendum hiantis Textûs sensum, quàm paucissima adjungant

gant verba, eaque in Textu alio charactere exprimant, & uncinulis includant, ut à verbis contextûs dignosci possint.

3. Ut singulis Libris & Capitibus succincta & accurata Argumenta præfigant; passimque in margine locos Sacræ Scripturæ parallelos annotent.

4. Ut adjungant brevia quædam Scholia, quibus Versionis ratio in obscurioribus locis reddatur: observationes autem doctrinarum addere, nec necessarium, nec consultum fuit judicatum.

XIV. Etiam Synodus consultiùs judicavit novam Versionem de integro componere, quàm veterem Belgicam corrigere: ita tamen ut ad evitandam offensionem ex nimiâ mutatione, ex veteri Versione omnia illa retinerentur, quæcunque salvâ veritate & sermonis Belgici puritate ac proprietate servari possent. Visum præterea fuit hanc Versionem non ex aliquâ aliâ Versione adornare, sed ex ipsis fontibus seu originalibus S. Scripturæ Linguis, Hebræâ scil. & Græcâ; adhibitis tamen in subsidium & collatis optimis Versionibus, Commentariis & Scholiis, atque doctorum virorum in locis difficilioribus judicio. *Vide Acta Synodi Dordracenæ.*

XV. Præter has generales leges, quas Veneranda Synodus Interpretibus præscripsit, movit eadem Synodus adhuc particulares quasdam quæstiones: ex. gr. 1. De Nomine JEHOVA, quomodo illud esset transferendum? Synodus judicavit, quum alia commoda atque usitata vox Belgica non extet, quâ vis istius nominis exprimatur, ut Interpretes vocem JEHOVA & JAH transferant per vocem *Heere*, majusculis literis scriptam.

2. Utrum nomina propria Veteris Test. exprimenda sint, uti sonant in Linguâ Sanctâ: an verò retinenda, uti nunc in Versione Vulgata leguntur? Placuit Synodo illa nomina ita retinenda esse, uti nunc leguntur: nisi fortè exigua quædam mutatio in nonnullis necessaria videatur.

3. An distinctio Capitum & Versuum accuratior in multis locis adhiberi non debeat? Statutum fuit receptam Capitum ac Versuum distinctionem servandam esse; ubicunque autem mutatio quædam necessaria esse videbitur, eam in margine esse annotandam.

XVI. Restat ut aliquid de Versione Belgicâ Librorum Apocryphorum adjungamus. De hâc Synodus hæc sequentia decrevit.

1. Ut illi libri de novo ex Græco sermone in Belgicum verterentur.

2. Ut illi libri, etiamsi sunt merè humani, in Corpore Bibliorum nihilominus retinerentur: tum ne scandalum adversariis præberetur, tum

Digitized by Google

etiam quia nullæ Ecclesiæ eos ex Corpore Bibliorum adhuc ejecerant. Judicavit tamen, ut meliùs à Scriptis Canonicis discernerentur, eos ad calcem omnium Librorum Canonicorum, etiam Novi Testám. rejiciendos esse.

3. Ut à Libris Canonicis justo interstitio & peculiari titulo discernerentur.

4. Ut iis exacta præfigeretur præfatio, in quâ Lectores, tum de auctoritate horum Librorum, tum de erroribus, qui illis continentur, accuratè instituerentur.

5. Ut illi peculiari paginarum numero distinguerentur, & minoribus typis imprimerentur. Attamen jam utplurimum iisdem quidem literis, sed longioribus & latioribus regulis in lucem emittuntur.

DISSERTATIO DUODECIMA,

Quæ est pars prima

DE

TALMUDE.

I. *Significatio Vocis* תלמוד Talmud. *Propriè significat Misnam & Gemaram.*

II. *Talmud est Hierosolymitanum vel Babylonicum. Utrumque dividitur in Misnam & Gemaram; & in sex Partes generales, quæ iterum dividuntur in 63. Tractatus. &c.*

III. *Tempus & Auctores Misnæ, Talmudis Hierosolymitani & Babylonici describuntur.*

IV. *Stylus Misnæ & utriusque Gemaræ describitur.*

V. *Viginti Tractatus Misnæ, translati in Linguam Latinam, enumerantur. Describitur Historia quomodo hoc tempore Amstelodami omnes Tractatus Misnici transferantur & edantur. Et per quem.*

VI. *Scripta Talmudica nimiùm laudantur & extolluntur à Judæis; nec continent Legem Divinam, nec Legem Oralem à Deo institutam.*

SECTIO I.

INter Judaica scripta primum & præcipuum locum obtinet Talmud, quod pro scripto authentico à Judæis habetur: propterea operæ pretium erit nonnullas quæstiones de eo proponere.

I. *Primò quæritur.* Quid Talmud propriè significat?

Respon-

Digitized by Google

Respondeo. Talmud Hebraicè dicitur תלמוד; quæ vox propriè significat *doctrinam*, quæ accipitur à docente; & descendit à Rad. למד *discere.* Synechdochicè sumitur *pro libro, qui omnem doctrinam & scientiam Judæorum comprehendit, & quicquid Juris Divini vel Humani apud ipsos est.* Vide *Lex. Talm. Rad.* למד. Pleniùs Talmud describitur ab eodem Auctore in *lib. de Abbrev.*. " Talmud est opus doctrinale, sive Corpus doctrinæ magnum, " à variis ac doctissimis quibusque Rabbinis compilatum, multiplicem " omnium scientiarum doctrinam continens, & potissimùm Jus civile ac " canonicum Judæorum plenissimè ac perfectissimè proponens, ut secundùm illud universa Gens & Synagoga Israëlitica optimè feliciterque vivat. „ Talmud comprehendit duas partes, scil. משנה *Misnam* & גמרא *Gemaram:* sic enim ait Thisbi in voce תלמוד. המשנה והגמרא יחד נקראים תלמוד *Misna & Gemara simul vocantur Talmud.* Misna est Lex Oralis, quam Deus in monte Sinai Mosi dicitur tradidisse. Hæc inde à Mose fuit observata & successivè per oralem traditionem propagata: nam Moses nec ullus alius eam scriptis mandavit. Sed Moses tradidit eam Josuæ, Josua Senioribus, & sic deinceps, donec sub Antonino Imperatore Anno Christi 150. floreret *Rabbi Jehuda*, qui à vitæ sanctitate vocatus est *Rabbi Jehuda hakkadosch*, h. e. sanctus; vel à dignitate *Rabbi Jehuda Hannasi*, h. e. princeps. Hic Rabbi videns Legem Oralem oblivioni tradi, cogitavit de ea conservanda. Collegit itaque omnes schedulas, in quibus Judæi quædam memoriæ causa annotaverant, & ex iis Misnam composuit. Misna igitur continet textum per formam thesium vel aphorismorum. Hæc Misna publicam auctoritatem accepit, & ab omnibus Judæis tam in Terrâ Sanctâ, quàm in Babyloniâ habitantibus, tanquam Authenticum Juris Corpus, est recepta, & in Academiis approbata.

Verùm quia in Misnâ Lex Oralis tantùm obiter describitur; ideo variis temporibus fuerunt doctissimi quidam Rabbini in Terrâ Israëlis & Babyloniâ, qui Commentaria in Misnam, ubique ferè in corpore Talmudico huic subjecta, composuerunt. Hæc Commentaria unicâ voce vocantur גמרא *Gemara*, h. e. supplementum: nam ea continet variorum auctorum disputationes, textûs uberiores explicationes, variarum opinionum discussiones, & tandem veræ sententiæ decisionem..

Misna sæpe seorsim sine Gemarâ & sine Vocalibus imprimitur; sed nuperrimè, scil. Anno Christi 1646. prodiit Amstelodami cum Vocalibus magnitudine suâ ferè adæquans duas tertias Veteris T. partes. Sæpissime Misna & Gemara simul imprimuntur; adeo ut particula Misnæ, tanquam Juris textus præcedat, & Gemara cuilibet Misnæ, tanquam

quam ejus in diverſas ſententias ventilatio ac deciſio, immediatè ſubjiciatur.

Vox Talmud aliquando ſtrictè ſumitur pro ſolâ Gemarâ, uti in vulgari illo dicto Talmudico de *Idolol. cap.* 1. לעולם ישלש אדם שנותיו שליש במקרא ושליש במשנה ושליש בתלמוד *Semper dividat homo annos ſuos in tres partes, unam lectioni Biblicæ, alteram Miſnæ, & tertiam Talmudi,* h. e. Gemaræ. Similiter in Paraphraſi Chald. in *Cant.* 1. 2. & *Prov.* 15: 15. nonnunquam etiam Miſna vocatur Talmud: ſic Thisbi in voce תלמוד ait: גם נמצא שהמשנה לבדה נקראת תלמוד כמו שאמרו אין לומדין הלכה מפי תלמוד רוצה לומר מן המשנה *Invenitur etiam ubi Miſna ſolum Talmud vocatur, ut quum dicunt. Non diſcunt lectionem ex ore Talmud, vult dicere, ex Miſna.* Nos hîc ſumimus vocem Talmud in latiori ſignificatione; adeo ut illud duas illas partes, ſcil. Miſnam & Gemaram ſimul contineat.

II. *Secundò quæritur.* Quomodo Talmud dividitur?

Reſp. Variis modis dividitur. *Primò* dividitur in Talmud ירושלמי *Hieroſolymitanum*, & בבלי *Babylonicum. Hieroſolymitanum* eſt pro Judæis, in Terrâ Iſraëlis viventibus, conſcriptum: nam poſt Urbis & Reipublicæ per Romanos excidium quædam Judæorum reliquiæ in Paleſtinâ manſerunt, ubi celebres Scholas ſive Academias Jaſnæ, Zephoreæ, Cæſareæ, & Tiberiadi uſque ad annum, poſt Chriſtum 230. erexerunt, atque ibidem in Terrâ illâ devaſtatâ hoc Talmud, conſtans tantùm unico volumine in folio, compoſuerunt.

Talmud *Babylonicum* eſt compoſitum pro Judæis in Babylonia, & in aliis peregrinis terris habitantibus. Vaſtatâ enim Palæſtinâ multi Judæi in Babyloniam abierunt, & celebres Academias Nehardeæ, Soræ, ac Pumbedithæ conſtituerunt. Hi, utpote in florentiſſimo Regno habitantes, cæteris Palæſtinis fuerunt digniores: & propterea hoc Talmud *Babylonicum*, ut præſtantius & majus (conſtat enim quatuordecim voluminibus, vel pro ratione craſſitiei etiam paucioribus) illud *Hieroſolymitanum* auctoritate ſua oppreſſit. Judæi antiqui & hodierni præcipuè ſecundùm *Babylonicum* vitam ſuam inſtituunt, & utrumque majoris faciunt quàm ipſam S. Scripturam.

Secundò. Utrumque Talmud dividitur in Miſnam, quæ iterum ſubdividitur in duos libros; & Gemaram. Hæc tamen non ubique illi ſubjicitur; excipiuntur enim viginti ſeptem libri, continentes materiam, cujus obſervatio tantùm locum habet in Templo & in terra Sancta, in quibus Gemara Miſnæ non additur. Iſtas materias intactas, & Eliæ ac Meſſiæ venturo explicandas, propter exiguam Terræ recuperandæ & Templi reædificandi ſpem, reliquerunt.

Tertiò,

Digitized by Google

Tertiò. Talmud dividitur in ſex generales partes, in quas primùm Miſna à Rabbi Jehuda fuit diviſa. *Prima* pars vocatur זרעים *Seminum*; quia agit de ſeminibus, frugibus, &c. *Vide de his uberiùs Buxtorfium in Abbrev.* *Secunda* pars appellatur מועד *Feſtorum*; quia agit de Feſtis, eorumque initio, fine, & modo eadem celebrandi. *Tertia* נשים *Mulierum*; quia tractat de uxoribus ducendis, repudiandis, &c. *Quarta* נזיקין *Damnorum*; quia agit de damnis ab hominibus vel beſtiis illatis, &c. *Quinta* קדשים *Sanctitatum*; quia agit de ſacrificiis, & variis rebus ſacris. *Sexta* denique טהרות *Purificationum*; quia agit de munditie & purificatióne vaſorum, &c. Hæ ſex partes vocantur. ששה סדרים *ſex Ordines*, quorum fit mentio in Paraphraſi Chald. quæ vulgò Jonathæ tribuitur, in *Exod.* 26:6. ות שית יריען לחוד כל קבל שית סדרי מתניתא *Et ſex aulæa ſeorſim juxta ſex Ordines Miſnæ.*

Quartò. Unaquæque pars generalis iterum dividitur in varios libros, qui ſinguli vocantur מסכת *Tractatus.* Tales libri ſive Tractatus ſex partium generalium ſunt *ſexaginta tres.* Priſci Judæi numerarunt ſolummodo ſexaginta; ſed illi tres libros, qui vocantur בבא *Bava*, aaceperunt pro uno, & librum מכות *Maccoth* annumerarunt libro Sanhedrin. Præter hos 63. libros ſunt adhuc *quatuor* alii breves tractatus ſeu libri, qui antiquis temporibus in Talmude non extiterunt, ſed à poſterioribus unà cum פרקי אבות *Capitulis patrum*; quia quædam præcepta lectu utiliſſima breviter in ſe continebant, ſunt adjecti. Horum primus eſt מסכת סופרים *Tractatus Scribarum*, qui agit de modo ſcribendi librum Legis in pergameno, &c. 2. אבל רבתי *Luctus magnus*, vel מסכת שמחות *Tractatus Lætitiarum*, ſcil. prohibitarum. Agit de Luctu, quibus cæremoniis mortui ſunt lugendi. 3. כלה *Sponſa*, agit de ornamentis ſponſæ, &c. 4. מסכת דרך ארץ *Tractatus viæ terræ*, qui agit de moribus. *Vide plura apud Buxtorfium in Abbrev.*

Quintò. Tractatus ſive Libri Talmudici dividuntur in Capita, quæ in univerſum totius Talmudis ſunt 524. Galatinus in enumeratione Tractatuum & Capitum parumper erravit.

Sextò denique Capita dividuntur in paragraphos, qui paſſim in Miſnâ literis Hebraicis exprimuntur, ibidemque videri poſſunt.

III. *Tertiò quæritur.* Quando, & à quibus Talmud eſt compoſitum?

Reſpondeo. 1. Miſna, uti ſuprà diximus, eſt collecta à Rabbi Jehuda circa Annum Chriſti centeſimum quinquageſimum.

2. Præcipuus Auctor Gemaræ in Talmude Hieroſolymitano eſt R. Jochanan ex tribu Joſeph, qui in terra Iſraëlis per annos octoginta Caput

Synagogæ fuit. Hic Jochanan unà cum Rab & Samuele, duobus discipulis Rabbi Jehudæ hakkadosch, ex Magistrorum hinc inde dictatis hanc Gemaram circa Annum Christi 230. collegit, indeque Talmud Hierosolymitanum confecit.

3. Gemara Talmudis Babylonici est à Rabbi Asse unà cum Rabbina inchoata, & ob mortem superioris à filio ejus Rabbi Mar, unà cum Maremar absolûta, & tandem à Judæis approbata Anno Christi 500. Hi, scripturas antiquorum Rabbinorum colligentes, Talmud Babylonicum contexuerunt. *Vide Galat. lib.* 1. *cap.* 5. Sed *Buxtorfius in Synag. Jud. cap.* 1. perfectiùs hæc describit, cum ait: „Rabbi Asse, qui Caput Synagogæ „fuit, incepit Mischnam exponere, singulisque annis duos Tractatûs ex„planavit, ita ut toto professionis suæ curriculo, bis quidem Mischnarum „seu δευτερώσεων expositionem absolverit; Tractatûs tamen 35. tantùm „scriptos reliquerit, ut testatur *Rambam* in præfat. in Tract. Talmudicum „זרעים *de Seminibus*. Professionem verò suam inchoaverat Anno Christi „367. Huic in Rectoratu successit Anno 427. *Maremar*, ejusque collega „fuit *Mar*, filius τȣ *Rabb Asse*, qui inde, ubi *Rabb Asse* substiterat, labo„rem suum orsi sunt, & rem totam ad umbilicum perduxerunt. — Hi „duo postremi in hoc opere LXXIII. annorum labore perfuncti sunt, „ita ut Anno Christi 500. integrum Talmud absolutum, obsignatum, „*Talmudisque Babylonici* nomen consequutum fuerit, & ab omnibus Ju„dæis ceu authenticum Juris Civilis & Canonici Corpus receptum, cujus „Legibus universa Judæorum gens, tum in Rebus sacris, tum in Rebus „politicis, in hanc usque diem regitur.„

IV. *Quartò quæritur.* Quali Stylo & Dialecto Talmud est conscriptum?

Respondeo 1. Misna constat Lingua Hebræa facili, pura, multisque obvia; sed Stylus ejus est succinctus, concisus, & varios sensûs sæpe admittens. Ita testatur hàc de re *Majem.* in Porta Mosis, Arabicè edita, & Latinitate donata ab *Eduardo Pocockio pag.* 78, 79. ubi sic ait: „Ususque est „in ipsa (Misna scil.) sermonis genere curto, quod multos in se sensûs „comprehendat; sibi quidem pro acumine innato, atque ingenii boni„tate, perspicuo; at illis qui ipso inferiores, obscuro. Ita siquidem do„cti qui antiquitùs floruerunt sibi ipsis (libros) componebant: ideoque „visum est cuidam è discipulis ipsius, scil. R. Chajæ, librum compone„re, in quo vestigiis præceptoris sui insistens, quæ in verbis ipsius diffi„cilia essent explicaret: estque is (liber) *Tosiphta*, in quo propositum „ipsi fuit *Misnam*, explicare, atque (ipsi) quæstiones addere, quæ è Misna „non-

Digitized by Google

" nonnisi adhibito labore erui possint; quas tamen eruit, ut ita nobis in-
" dicaret quomodo conclusiones è Misna eliciamus. „ Propter hanc difficultatem R. Schelomo Jarchi commentaria in Misnam & in Gemaram composuit, quæ in margine ad latus Textûs Talmudici interius passim in Talmude Babyl. conspiciuntur.

2. Gemara utriusque Talmudis constat Dialecto Chaldæâ impurissimâ, cui infinita vocabula peregrina, scil. Persica, Arabica, Græca, Latina, aliarumque Linguarum immixta sunt: hoc factum est ob Judæorum in illas Gentes, deportationes & exilia, à quibus singulis aliquid retinuerunt, & Linguæ suæ admiscuerunt. *Vide Cl. Hotting. in disput. de usu Script. Hebr. in N. T.* Cùm Judæi in Babylonia habitarent, purâ Dialecto Chaldæâ usi fuerunt; sed subsequentibus temporibus, quò longius tempus intercederet, eò etiam magis à primæva illa puritate deflexerunt. Sic Paraphrases Onkelosi & Jonathæ in Prophetas, quia circa tempora Christi, diu ante Gemaram sunt compositæ, puriori Dialecto conscriptæ sunt quàm Gemara, quæ demum post aliquot Sæcula à Nativ. Christi composita est. *Elias Levita* præfat. in Methurgem. de Gemara Babyl. simile etiam testatur: Stylus, inquit, Gemaræ מורכב מן הרבה לשונות בבלי ויוני ורומי ופרסי *compositus est ex variis linguis, Babylonicâ, Græcâ, Latinâ, & Persicâ.* Majemon T. 1. Iad. Chaz. P. 1. vocat hanc dialectum *Aramæam.* לשון ארמי מעורב עם לשונות אחרות לפי שאותה הלשון היתה רגילה לכל אנשי שנער בעת שחבר התלמוד *Lingua Aramæa, mixta ex aliis linguis, usitata fuit omnibus Babyloniis, tempore, quo Talmud erat compositum.* De Stylo Gemaræ Hierosolymitanæ legitur alibi לשון סרסי קרוב היא ללשון ארמי ואמר אני שזה לשון גמרה ירושלמי ואמות העולם קורין אותו לינגא שוריא *Lingua Syriaca vicina est Linguæ Aramææ, & ego dico, quòd sit Lingua Gemara Hierosolymitana, quam Gentiles vocant Syriacam Linguam.* Ex his apparet, quòd Textus Talmudicus intellectu sit difficilis, quòdque non possit intelligere, qui tantùm Linguæ Hebrææ est peritus.

V. Enumerantur ordine temporis viginti Tractatus Misnæ, qui diversis temporibus à diversis viris eruditis sunt translati.

1. מסכת סנהדרין (*Tractatus Sanhedrin.*) Agit de Synedriis, Judiciis & Suppliciis Capitalibus.

2. מכות *Maccoth* (Plagæ.) Agit de Pœna falsi testimonii, Exilio, Asylis & Flagellatione. Hi duo Tractatus sunt translati, notis variis illustrati, & simul editi in quarto à Johanne Coch, Bremensi, & impressi Amstelodami apud Johannem Janssonium Anno 1629.

3. מרות

3. מדות *Middoth* (Mensuræ.) Tractat de Mensuris Templi. Hic Tractatus est translatus, notis illustratus & editus in quarto à Constantino L'Empereur, Professore Leidensi, & impressus Lugduni Batavorum apud Bonaventuram & Abrahamum Elzevirios Anno 1630.

4. בבא קמא *Baba kama* (Porta prima.) Scribit de Legibus Hebræorum forensibus. Est translatus & notis illustratus ab eodem L'Empereur, & editus in quarto Lugduni Batavorum ex Officina Elzeviriorum Anno 1637.

5. יומא *Joma* (Dies expiationis.) Aliàs vocatur יום הכפור *Jom hakkippur*, (Dies expiationis.) Agit de Sacrificiis & cæteris ministeriis Diei expiationis. Est translatus & editus in quarto à Roberto Sheringhamio, variisque notis illustratus, & impressus Londini Anno 1648. typis J. Junii.

Hic idem Tractatus ob defectus exemplarium secundâ vice est impressus Franequeræ in octavo apud Wibium Bleck Anno 1696. procurante ejus editione Clarissimo Jacobo Rhenferdio, ibidem Linguæ Sanctæ Professore meritissimo.

6. שבת *Sabbath* (Sabbathum.) Agit de Sabbatho & de operibus eo die agendis vel omittendis, &c.

7. עירובין *Erubhin* (Commixtiones.) Docet quomodo vespera Sabbathi, die Veneris à variis vicinis cibus colligatur, &c. Hi duo Tractatus sunt simul editi in quarto, & translati unà cum Commentariis Majemonis & Bartenoræ, à Sebastiano Smidt, Professore Argentoratensi, & impressi Lipsiæ Anno 1661. expensis Friderici Lankischi, procurante utriusque Tractatus editionem Johanne Benedicto Carpzovio, Professore in Acad. Lipsiensi celeberrimo, amico à multis annis charissimo.

8. זבחים *Sebhachim* (Sacrificia.) Agit de Sacrificiis, quæ, qualia, quo tempore, quo loco, & à quibus mactari, parari & offerri debeant.

9. ברכות *Berachoth* (Benedictiones.) Agit de Precibus & gratiarum Actione pro terræ fructibus, &c.

10. נדרים *Nedarim* (Vota.) Docet quæ Vota sint obligatoria aut quæ non; qui vovere possint, qui non, &c.

11. נזיר *Nasir* (Nasiræus.) Agit de Nasiræis & ipsorum voto, quo se ab aliis separabant, &c.

12. שבועות *Schebhuoth* (Juramenta.) Tractat de Juramentis, qui ad illud idonei, qui non, &c.

13. כריתות *Kerithuth* (Excisio.) Agit de Excisione animarum ex seculo

culo futuro, & de peccatis, quæ excisionem merentur. Hi sex præcedentes Tractatus sunt in Linguam Latinam translati à Johanne Ulmanno, Argentoratensi, & ita simul Latinè tantùm in quarto editi, & impressi Argentorati, literis Spoorianis Anno 1663.

14. פרק׳ אבות *Pirke abboth* (Capitula Patrum.) Agit de Patribus Legis, qui Legem Oralem inde usque à Mose acceperint, docuerint & propagârint. Editus est à Johanne Leusdeno, & impressus Ultrajecti Anno 1665. per Meinardum à Dreunen, Academiæ Typographum.

15. סוטה *Sota* (declinans) Agit de muliere declinante, quæ in suspicionem adulterii venit, &c. Hic Tractatus est translatus & editus in quarto unà cum variis textibus ex Gemara à Johanne Christophoro Wagenselio, Professore celeberrimo & meritissimo, ac impressus Altdorfi Noricorum, Anno 1674.

16. שקלים *Schekalim* (Sicli.) Quisque quotannis Siclum pensitare tenebantur pro emendo sacrificio jugi & quotidiano. Hic Tractatus editus est in octavo unà cum Lexico Rabbino-Philologico, & translatus à Johanne Henrico Othone, Hel. Bernate, in Acad. Laus. Philos. Professore, & impressus Genevæ Anno 1675. sumptibus Johannis Hermanni Widerhold.

17. עבודה זרה *Abboda sara* (cultus alienus) vel עבודת אלילים *Abbodath Elilim* (cultus Deorum scil. falsorum) aut עבודת כוכבים *Abbodath cochabbim* (cultus Stellarum.) Agit de idolatria ac vitanda omni conversatione ac societate cum Christianis idolatris. Hic Liber in Editione Veneta extat, sed ex Basileensi Editione (volentibus sic Christianis) totus est omissus: quia plurima contra Christum & Christianos continet

18. תמיד *Tamid* (Juge.) Agit de Sacrificio Jugi, quod fiebat quotidie ex duobus agnis, quorum alter mane, alter vesperi offerebatur. Hi duo Tractatus sunt translati & editi in quarto à Gustavo Peringero, Sueco, olim Professore in Acad. Upsaliensi, & impressi Altdorfi Noricorum Anno 1680. apud Johannem Henricum Schönnerstedt. Eodem anno, eademque forma posterior Tractatus Tamid est etiam editus à Michaële Arnoldi, & impressus Franequeræ apud Johannem Gyselaer, Academiæ Typographum.

19. תענית *Taanith* (jejunium.) Tractat de jejuniis & antiquo jejunandi modo. Hic Tractatus ex Hebræo sermone in Latinum est versus, Commentariisque illustratus à Daniele Lundio, Sueco, & impressus in octavo Ultrajecti apud Franciscum Halma, Academiæ Typographum, Anno 1694.

Digitized by Google

20. ראש השנה *Rosch hasschana* (initium anni.) agit de novi anni initio, ejus juribus & solennitatibus. Est translatus in Linguam Latinam, & notis illustratus ac editus in quarto ab Henrico Houting, Amstelodamensi, & impressus Amstelodami Anno 1695. apud Henricum & Viduam Theodori Boom.

Hos omnes Tractatus possideo: & propterea certò possum asserere eos esse translatos & editos. Audivi præterea alios Auctores Tractatûs Misnicos transtulisse; sed cum eos non viderim, volui eos potius prætermittere. Cùm hæc scripsissem Vir aliquis eruditus me de sequentibus informavit.

21. Gulielmus Guisius, natione Anglus, hos sequentes Tractatus Misnicos Latinè vertit, & notis quibusdam exoticis illustravit, scil. ברכות *Berachoth*, benedictiones. פאה *Peah*, angulus. דמאי *Demai*, res dubia. כלאים *Kilaim*, heterogenea. שביעית *Schebbihith*, septimus. תרומות *Terumoth*, oblationes. מעשרות *Maasseroth*, decimæ. A principio usque ad sectionem quartam capitis tertii. Hæc omnia sunt edita Latinè in quarto Oxonii è Theatro Scheld. Anno 1640.

22. Hoc tempore Amstelodami imprimuntur omnes Tractatus Misnici Hebraicè, & Latinè translati, literis elegantibus & splendidissimis in folio. In omnibus Tractatibus præponitur Textus Misnæ, qui Latinè transfertur, & infrà Commentaria Bartenoræ, Maimonidis & Guisii in prioribus, atque Viri doctissimi Gulielmi Suzenhusii Latinè sequuntur, quibus Textus Misnæ illustratur.

23. Prima sexta pars Misnajoth, vocata זרעים *de seminibus*, jam splendidè impressa est; continetque undecim Tractatus: scil. septem præcedentes, & quatuor sequentes: nempe מעשר שני *Maaser scheni*, decimæ secundæ. חלה *Challa*, placenta. ערלה *Orlah*, præputium, & בכורים *Biccurim*, primitiæ.

24. Auctor, qui primum volumen Misnajoth, sive undecim hos Tractatus tam splendidè & luculenter edidit, & variis doctissimis notis illustravit, est vir doctissimus & in Lingua Misnica & Talmudica peritissimus D. GULIELMUS SUZENHUSIUS, natione Groeninganus, Vir de literatura Hebraica jam modò optimè meritus, & qui deinceps, edendis cæteris quinque voluminibus magis magisque merebitur. Deus Auctori & Editori vires & sanitatem concedat, ut, quod incepit, feliciter continuet, & ad umbilicum perducat.

Plura jam de toto hoc Viri doctissimi instituto non dico: quia unusquisque, ex edito hoc primo volumine & ex altero volumine, jam sub prelo sudante,

Digitized by Google

ſudante, quod ſimul cum hoc *Philologo Mixto* lucem adſpiciet, totum inſtitutum hujus præſtantiſſimi & nunquam ſatis laudandi Operis poterit videre & examinare.

E diverticulo in viam revertamur.

VI. *Quintò quæritur.* An Talmud ſit divinæ & infallibilis auctoritatis?

Reſp. Primò. Judæi magni faciunt Talmud, imo majoris faciunt quàm ipſam S. Scripturam. Nam hanc aquæ, & illud vino comparant. *Tract. Sopherim cap.* 15. dicitur נמשלה המקרא כמים והמשנה כיין והתלמוד בקונדיטון *Similis eſt Textus Biblicus aquæ, Miſna vino, & Talmud condito.* Alibi comparant Legem ſcriptam cum ſale, Miſna cum pipere, & Talmud cum aromatibus. In Gemara Hieroſ. Tract. *Berachoth cap.* 1. *fol.* 3. *col.* 2. dicitur: חביבין דברי סופרים מדברי תורה שנ׳ כי טובים דודיך מיין *Dilectiora ſunt verba Scribarum præ verbis Legis, juxta id quod dicitur, amores tui meliores vino.* Dicunt Legem Moſis non poſſe explicari ſine Talmude, illamque fundatam eſſe ſuper hoc. Rabbi Bechai in libro כד הקמח *fol.* 77. *col.* 3. citante Buxt. in Abbrev. ait: כי עיקר התורה היא תורה שבעל פה שאין תורה שבכתב יכולה להתבאר כי אם על ידי תורה שבעל פה *Nam fundamentum Legis ſcriptæ eſt Lex oralis. Etenim Lex ſcripta non poteſt explicari, niſi per Legem oralem.* Hinc ſtudium Talmudicum maximè commendatur à Judæis. In libro מזבח הזהב *Altare aureum*, cap. 6. ſcribitur: Studium Talmudicum omnibus aliis ſtudiis & ſcientiis præfertur, idque ex communi Doctorum ſententiâ: התלמוד המקודש אין למעלה ממנו *Sanctiſſimo Talmude nihil eſt ſuperius.* Hinc oritur vulgaris illa Rabbinorum ſententia, בני הזהר בדברי סופרים יותר מדברי תורה *Fili mi, attende ad verba Scribarum magis, quam ad verba Legis*, ſcil. Moſis. Et ut Judæi magis hoc Talmudis ſtudium commendarent, dicunt ipſum Deum in Talmude ſtudere: ſic in *Tract. Sabbath* ajunt: *Quum horæ diei duodecim ſint, tribus Deum ſtudere in Lege, aliis in Talmude.* Simili ferè modo etiam mandant, ut homines diſtribuant annos ſuos, uti ſuprà ad *quæſt.* 1. diximus: לעולם ישלש אדם שנותיו וכו *Semper in tres partes diſtribuat homo annos ſuos, tertiam partem lectioni Biblicæ impendat, tertiam Miſnæ, tertiam Talmudi.* Hinc de educatione puerorum talem conſtituerunt regulam *in Capitulis patrum cap.* 5, 21. בן חמש שנים למקרא וכו׳ *Filius* 5. *annorum ad Biblia;* 10. *annorum ad Miſnam;* 13. *annorum ad præcepta* obſervanda; *filius* 15. *annorum ad Talmud; filius* 18. *annorum ad nuptias, &c.* Ex his antecedentibus, ut ex pœnâ, quam judicant Legis oralis tranſgreſſoribus eſſe infligendam, apparet quanti faciant ea, quæ in Talmude continentur. Rabbinorum trita regula eſt in *Talm. Erubhin fol.* 21. *b.* כל העובר על דברי חכמים חייב מיתה *Quicunque tranſ-*

Digitized by Google

transgreditur verba sapientum, reus fit mortis. Et in *Gittin cap.* 5, מר אמר כל המלעיג על דברי חכמים נדון בצואה רותחת *Mar. dixit, quisquis sapientum verba subsannat, in stercus fervens* (apud inferos) *projicietur*. Propter hanc fictam præstantiam Legis oralis mandant ut unusquisque ei fidem absolutam adhibeat: sic Selomo Jarchi in *Deut.* 17: 11. ait: Non declinabis à verbis sapientum אפילו אומר לך על ימין שהוא שמאל על שמאל שהוא ימין *Etiam quamvis de dextrâ diceret, eam esse sinistram; vel de sinistrâ, eam esse dextram.*

Secundò. Talmud revera non continet Legem oralem Mosi à Deo traditam, nec est comparandum cum Verbo Dei, multò minùs ei præferendum, neque tanti ullo modo est faciendum, quanti Judæi illud faciunt. Hæc ex his sequentibus rationibus manifesta fient.

Ratio I. Quia non datur Lex oralis præter Legem scriptam Mosaicam; ergo ea non continetur in Talmude. Lex enim est perfecta: sic ait Psalmista *Psal.* 19: 8. תורת יהוה תמימה *Lex* JEHOVÆ *est perfecta.* Et Moses *Deut.* 5: 2. ait: *Non addetis ad verbum quod ego præcipio vobis, neque auferetis ab eo.* Nullibi etiam in toto Pentateucho fit mentio Legis oralis traditæ; ergo non datur talis Lex. Nam Moses talem necessariam historiam, concernentem fundamentum & articulum fidei, ex quo omnis Judæorum Theologia dependet, silentio non præteriisset. Præterea Deus in totâ Lege nullam observantiam à nobis exigit, quàm Legis scriptæ à Mose; ergo non datur alia Lex oralis. Adstipulantur Christianis non tantùm multi Judæi, sed etiam integræ Judæorum Sectæ, ut Zadducæorum, Samaritanorum, & Karræorum, quorum posteriorum adhuc hodie magna copia est in Poloniâ, Russiâ, & alibi. Si igitur non detur Lex oralis; ergo ea non potest contineri in Talmude. Deinde vix aliquid est in Talmude, quod sapit Legem Divinam. Ibi enim variæ disputationes Magistrorum & Scholarum sententiæ continentur. An lex Divina ita solet agere? An ea variorum Auctorum sententias & lites solet enarrare? An hoc est S. Scripturam, quæ tamen ex sententiâ Judæorum est Divinæ auctoritatis, magni facere, quòd eam respectu dignitatis infra Talmud collocent?

Digitized by Google

DISSERTATIO DECIMA TERTIA,

Quæ est pars secunda

DE

TALMUDE.

2. *Talmud non est Divinæ auctoritatis: quia continet multa impia & blasphema in Deum, & in Jesum Christum.*
3. *Etiam sæpe contra * S. Scripturam determinat, & contradictoria esse vera asserit.*
4. *Talmud constat infinitis fabulis & mendaciis. Fabulæ sunt quæ narrantur de Leviathane, de Tauro, de Ave bar Juchne, de Rana & Leone.*

VII. *Variæ sunt causæ fabularum.* 1. *Nam omnia* Literaliter *explicant.* 2. *Nominum Propriorum* Etymologias *expiscantur.* 3. *Nimium tribuunt* Kabbalæ. 4. *Etiam* Antiquitas *rerum gestarum solet vim fabulis addere.*

SUperiori dissertatione quatuor quæstiones de Talmude absolvimus, & quintam inchoavimus, quâ *quæritur*: An Talmud sit Divinæ auctoritatis? Negativam sententiam unâ ratione incepimus probare; jam sequuntur cæteræ rationes proponendæ.

Ratio 2. In Talmude continentur multa impia, & in Deum atque Jesum Christum blasphema; ergo non est divinæ auctoritatis. Impium est quod in Tractatu *Cholin*, pag. 60. *b.* de Deo dicitur: Judæi credunt Solem & Lunam 21. annos fuisse æquales; sed postea, quia Luna dicebat, impossible est duos simul regnare; ideo Deus imminuisset Lunam, quæ tum vix potuit placari. Tandem Deus præcepisset populo Judaico, ut sacricium expiatorium pro se offerrent, quo hoc facinus perpetratum (absit blasphemia) expiaretur: sic enim dicit Talmud הביאו קרבן על שמיעטתי את הירח *Offerte oblationem eò quòd lunam imminui.* Ita in Basil. & Amstelodamensi Edit. legitur: sed in Edit. Venetâ habetur pejus: הביאו כפרה עלי וכו׳ *Offerte oblationem propitiatoriam pro me, &c. O quam diversus est hircus, qui Novilunio offerebatur, de quo dicitur,* חטאת לאל *in oblationem pro Dei peccato. Hircus iste erit propitiatio pro me, quia Lunam imminui.* In aliis Edit. habetur. זכרון erit *recordatio*, eò quòd Lunam imminui. *Vide plura in Synag. Buxt. Cap.* 17.

Blasphemum & putidum Judaicum mendacium est, quod legitur in Talmude, scil. *Deum tanquam ornatricem discerniculo Evæ capillos ornasse, illi præcinuisse, & cum illâ in Paradiso saltasse.* Hoc probant ex *Gen. 2. Et adduxit eam ad Adamum*, hoc est, Deus illam ad Adamum adduxit, eo modo quo sponsa adduci solet, eleganter nempe comptam & calamistratam cum tripudio & saltatione. *Vide Synag. Buxtorf. cap.* 28. Præterea in Capit. R. Eliezer cap. 12. legitur; *Deum ipsum Adamo & Evæ in nuptiarum celebratione ministrasse, & conopæum ipsum, sub quo desponsati sunt, confecisse, Angelos tibiis & tubis choream duxisse & saltasse.*

Impium & blasphemum est, quod legitur in *Baba Metzia cap.* 7. Cum olim Rabbini quidam adversus R. Eliezerem instituissent disputationem; Deus, voce cœlitus demissâ, sententiam contra illos pro R. Eliezere protulit; quapropter indignati Rabbini, Deum anathematis pœnâ damnârunt. Tum, Deus ipse subridens, inquit, *Filii mei me vicerunt. Vide Hotting. in suprà alleg. disput.*

Etiam Talmud multa blasphema in nostrum Jesum continet; scil. quòd ex adulterâ ac pollutâ natus fuerit; quòd magnus, idololatra, legisque subversor extiterit; quòdque tandem ob sua scelera meritò sit suspensus. Vide *Galat. lib.* 1. *cap.* 7. Locus Talmudicus invenitur in *Sanhedrin cap.* 7. fol. 67. *a* incipiens כל חייבי מיתות וכו. Pauca tantùm excerpemus. Qui integrum locum legere desiderat; adeat Lex. Talm. Buxt. in voce סטד *Sic fecerunt filio (qui antea vocatur Seductor) Stadæ.* (h. e. scortatricis: Stada enim est nomen appellativum, & denotatur Maria) *& suspenderunt eum in vespera Paschatis. Hic filius Stadæ fuit filius Pandiræ. ---- Attamen dico; Matrem ejus fuisse Stadam, Mariam videlicet illam plicatricem capillorum mulierum, & declinavit à marito suo.* Multi Judæi, Galatinus, Schickardus, aliique negant hîc de nostro Messiâ agi: quia differentia annorum 110. inter hunc & nostrum Messiam intercessit. Sed Judæi hoc studio fecerunt, ut tantò minus impostura à Christianis animadverteretur, quorum offensam & punitionem verentur. Constat etiam Judæos in peregrinis historiis sæpissime hallucinari: ergo non mirum si etiam hîc ex oscitantiâ vel datâ operâ errent. Circumstantiæ ferè omnes satis demonstrant in loco illo Talmudico de nostro Messiâ sermonem esse. (1.) Vocatur *Ben Pandira*: sic noster Jesus Nazarenus passim à Judæis nominatur. *Vide Lex. Talm.* in voce פנדירא. Etiam apud Damascenum in Genealogiâ Mariæ occurrit Pantheris nomen, qui Mariæ proavum Pantherum dictum scribit, & apud Epiphanium, atque Originem, contra Celsum, Josephi parens Jacobus, ipseque Josephus, Pantheri appellantur. Vide תשובת יהודה

Cl.

Digitized by Google

Cl. olim praeceptoris D. Hoornbekii, *lib.* 3. *cap.* 2. (2) Hæc *Stada* dicitur fuiſſe *Maria*, & *Maria* mater *Ploni* h. e. N. Solent enim Judæi nomen noſtri Jeſu reticere. (3) Vocatur *Seductor populi:* pro tali olim Jeſum habitum fuiſſe teſtantur hiſtoriæ Evangelicæ. (4) Dicitur *Suſpenſus in veſpera Paſchatis.* Reliquas convenientias vide in *Lex. Talm.* Rad. סטר Non etiam mirum eſt Judæos antiquos tali odio noſtrum Jeſum perſequutos fuiſſe, quum adhuc novitii, qui ſub dominio Chriſtianorum habitant, nihilo meliores ſint. Vocant enim Jeſum per contemptum תלוי *ſuſpenſum*, & Chriſtianos עובדי התלוי *cultores ſuſpenſi.* Vidi Judæum ad mentionem Jeſu in terram ſpuiſſe, ut illo ſputo oſtenderet indignationem & iram, quam propter auditum nomen Jeſu conceperat. Non tantùm Jeſum Chriſtum ita oderunt, ſed etiam Chriſtianos, quos indignis nominibus nominare ſolent. Vocant enim eos גוים *Gentes*, *Edomæos*, *Hæreticos*, *Epicuræos*, *Atheos*, *Carnem & Spiritum*, *Præputiatos*, *Canes*, *Cuthæos*, *Ammonitas*, *Moabitas*, *Cæcos*, *Impuros*, &c. Vide *Theſ. Phil. Hotting. lib.* 1. *cap.* 1.

Ratio 3. Talmud non eſt Divinæ auctoritatis: quia ſæpe contra S. Scripturam determinat, & planè contradictoria vera eſſe aſſerit. Deus *Exod.* 21: 15. ait: *Qui percutit patrem ſuum, aut matrem ſuam, omnino morte plectitor.* In Miſna Tract. *Bava kama*, cap. 8. §. 3. dicitur המכה את אביו ואת אמו ולא עשה בהם חבורה *Percutiens patrem ſuum aut matrem ſuam, neque vulnus fecerit*, tenetur quidem ad hæc quinque, ut ſatisfaciat in *damno*, *dolore*, *curatione*, *ceſſatione & ignominiâ*; attamen à mortis ſupplicio eum liberant contra expreſſa verba Legis. An hìc diſtinguit Legislator? An non, ut omnes exceptiones rejiceret, gemino vocabulo מות יומת *moriendo morti detur*, pœnam mortis ſancivit? Quod hic ſit verus Legis ſenſus, probatur etiam *ex verſu* 17. ubi, qui verbis tantùm parentes impetit, morti adjudicatur: *Qui maledicit patri ſuo aut matri ſuæ, omnino morte plectitor.* Ergo ſi verbis tantùm patrem aut matrem lædentes, ſint occidendi, multò magis illi qui eos verberant. Nihilominus Miſna hìc contrariatur; ergo non eſt Divinæ auctoritatis: quia Deus ſibi non poteſt eſſe contrarius.

Deinde in Miſnâ opiniones & ſententiæ Domûs Hillel & Schammai planè contrariæ & contradictoriæ habentur pro veris & divinis. In Maſſecheth *Erubbin* narratur, quod, poſtquam Hillelitæ & Schammaitæ per integrum triennium inter ſe contendiſſent, & planè contradictoriam opinionem defendiſſent, tandem בת קול *Cœleſte Oraculum* ſe interpoſuerit, & dixerit אלו ואלו דברי אלהים חיים *Hæc & illa ſunt verba Dei Viventis.* Attamen impoſſible eſt duo contradictoria ſimul eſſe vera.

Ratio

Ratio 4. Talmud non est Divinæ auctoritatis: quia constat infinitis ferè fabulis & mendaciis. Talmud Tract. *Sanhedrin* fol. 21. *b.* incunabula urbis Romæ adscribit Gabrieli tempore Salomonis, cum ait: בשעה שנשא שלמה את בת פרעה ירד גבריאל ונעץ קנה בים והעלה שירטון ועליו נבנה כרך גדול שברומי *Ea hora qua Salomon duxit filiam Pharaonis, descendit Gabriel, & fixit calamum in mari, qui attraxit cœnum, & in eo ædificata est civitas magna, quæ est Roma.* Sed in Medrasch *Psal* 10. adscribuntur hæc incunabula Romulo & Remo. *Mortuâ matre Romuli & Remi, lupa sese obtulit, quæ eos lactavit, qui deinde surrexerunt, & duo magna tuguria Romæ exstruxerunt.* Vide Lex. Talm, Rad. רום.

In Tractatu de Sabbatho *cap.* 16. *fol.* 119. *a* narrantur duæ fabulæ; una Lanii alicujus, qui infinitas divitias congesserat; quia, quando in manus incidebat pecus saginatum, illud in Sabbathum sibi servabat, ut illum diem bonis carnibus honestare posset: altera cujusdam Josephi, qui propter pisces lautissimos, quos in honorem Sabbathi diebus Veneris emebat, regias opes acquisivit. Vide has fabulas pleniùs enarratas in *Synag. Buxt. cap.* 10.

Sabbathi præstantia etiam in *Sanhedrin.* fol. 65. 2. probatur à R. Akibha tum ex fluvio Sambathione, qui per sex hebdomadæ dies tam vehementis est fluxûs, ut magnos secum lapides rapiat, ita ut per totam hebdomadam innavigabilis sit; tum etiam ex Turni Ruphi paterno sepulchro, quod per totam hebdomadam crasso vapore, & tetro ignis stygii fœtore inficitur; Sabbatho verò omni omnino fœtore caret. *Vide cætera in Synag. Buxt. cap.* 11. Quis non videt has meras esse fabulas?

Similes fabulas etiam narrant de Leviathane, de Tauro, de Ave illa Bar Juchne, de Ranâ & Leone. Talmud in *Baba Batra cap.* 5. *fol.* 74. ait: Deum *Leviathanem* illum eviraſſe, fœminam mactasse, sale condivisse, & in dies Messiæ reservare, ne propter illius piscis immensam magnitudinem totus orbis desolaretur. Eodem ferè modo Deus cum ingenti illo *Tauro*, qui quotidie mille montes depascitur, egit. Tempore adventûs Messiæ etiam mactanda est illa *Avis*, בר יוכנה *Bar Juchne* appellata, quum, uti legitur in Tract. *Bechoroth* pag. 57. aliquando ovum è nido decidisset, trecentas proceras cedros casu suo prostravisse, tandemque fractum, sexaginta pagos inundasse dicitur. Ne aliquis de veritate hujus fabulæ dubitaret, Rabbinus aliquis, fide dignissimus, testatur simile quid de *Rana*, in *Baba Batra* Cap. 5. pag. 37. *Dixit Rabba bar Channah, Ranam aliquando vidi, quæ magnitudine pagum æquabat. Sed quantus erat pagus ille? Sexaginta domos capiebat. Accessit serpens immanis, qui ranam absorpsit. Ve-*

Verùm supervenit corvus, qui serpentem cum ranâ tam facilè devoravit, quàm vulpes gyrum comest, & inde in arborem proximam evolavit. Quantæ crassitiei & altitudinis debuit fuisse illa arbor? Similis fabula narratur in Tract. *Cholin cap. 3. pag.* 59. de *Leone*, quod cum rugiret, etiamsi passuum millibus quadringentis Româ abesset, omnês mulieres gravidæ Romæ abortierint, & muri urbis conciderint: sed quum passuum millibus centum proprior accessisset, iterum ita rugiit, ut omnibus hominibus Romæ dentes exciderint, & Imperator, de sedili suo corruens, parùm à morte abfuerit. *Vide de his Synag. Buxt. cap.* 36. Quis non videt hæc putida esse mendacia? Talibus tamen abundat Talmud. Possem plurima similia exempla proferre ex Talmude, nisi hæc adducta crederem sufficere ad satisfaciendum avido Lectori. Ex his omnibus apparet quantæ auctoritatis Talmud esse debeat, & quanti sit à Christianis faciendum.

VII. *Sextò quæritur.* Quomodo, & unde tot fabulæ in Talmud, & in cætera scripta Judæorum irrepserunt?

Resp. Variæ possent assignari causæ, ob quas tot fabulæ irrepserint: nos tantùm præcipuas assignabimus. Harum *prima* est: quia Judæi omnia, quæ in Veteri T. occurrunt, *literaliter*, explicant, quum tamen multa allegoricè debeant explicari. Hinc fingunt talem regulam, quæ habetur in præfat. Raschi ante Canticum Canticor. אין מקרא יוצא מידי פשוטו ומשמעו *Textus non elabitur manus suæ nuditatis, & literalem ejus auditionem*, h. e. etiamsi Textus allegoricè aliquid aliud significet, nihilominus ejus literalis sensus est verus, neque est contemnendus. Etiam figuratissimas Prophetarum similitudines secundùm verba solent explicare. Ex. gr. Propheta Jesaias *Cap. 7. vers.* 20. ait: *In illa die radet Dominus novaculâ istâ mercenariâ pilum capitis & pedum, etiam barbam ipsam consumet.* Non quidem negant hæc allegoricè posse intelligi; attamen sensum literalem non esse prorsus ociosum autumant. Propterea introducunt Deum ut aliquem tonsorem, qui Regi Assyriæ pilos abrasit. Fabula hæc occurrit in *Sanhedrin*, *pag.* 96. *a.* Et quia tonsura, utpote opera nimis vilis, Deo non videtur convenire, ideo apparentem illam absurditatem excusant *pag.* 95. *b* in *fin.* אמרי רבי אבהו אלמלא מקרא כתוב אי אפשר לאמרו *Dicit Rabbi Abhu, nisi Textus* [expressè] *scripsisset, non possibile* (aut fas) *fuisset illud dicere.* Vide plura in *Bechinat Happeruschim* pag. 116. &c. Si quis similiter loca Novi Test. de Christo agentia, uti quando vocatur *Via*, *Janua* &c. literaliter explicaret, planè absurdus esset, & absurdos sensus inde eliceret.

Secunda causa fabularum hæc est: quia Judæi Nominum Propriorum

Digitized by Google

Etymologias sæpissime expiscantur; & ex illis tales qualitates, aut res gestas hominibus attribuunt, quæ cum etymologiis conveniunt: ex. gr. Nonnulli ex nomine *Johannis* concludunt talem hominem, tali nomine insignitum, esse bonum, quum tamen nomen ut sic, nullius qualitatis indicium sit. Eodem modo solent Judæi ex nominum significatione de personarum bonitate vel malitiâ judicare: hinc de *Korah* ajunt, quod capite fuerit *calvus*, & parentibus *dentes hebetârit*; quia derivatur à Rad. קרח *Pilos evellere.* Et quia idem *Kohathi* nepos vocatur, inde conjiciunt (Kohathus enim descendit à קהה *hebetare*) ipsum dentes parentum suorum hebetâsse.

Tertia causa fabularum est *Kabbala*, quæ est acuta inventio, quâ ex literis transpositis, vel in numerum resolutis, aliisve modis mutatis, vel ex vocibus, punctis, aut accentibus musicis mysteria quædam eliciuntur. *Vide de Kabbala dissert.* 26. *Philologi Hebræi.* Quo aliquis sensum monstrosiorem elicere potest, eò etiam doctior habetur: ex gr. Judæi probant sibi Sabbatho præter communem animam adhuc dari aliam animam ex *Exod.* 23:12. *Sex diebus facies opera tua, die autem septimo cessabis, ut requiescat bos & asinus tuus* וְיִנָּפֵשׁ & animetur *filius ancillæ tuæ & peregrinus.* Et *Cap.* 31. *vers.* 17. idem verbum וינפש, ubi agitur de quiete Dei, repetitur: & quia illud verbum in mentione Sabbathi bis occurrit, inde probant hanc duplicem animam.

Deinde quia Pentateuchus incipit à ב *Beth*; Decalogus verò ab א *Aleph*, concludunt literam א quodam tempore venisse ad Deum, eumque rogasse; Quare exordium Geneseos non incepisset à suâ literâ, sed à ב? Ajunt Deum respondisse literæ א, abi, esto contentus, ego incipiam Decalogum à tuâ literâ. Hinc putant Decalogum Hebraicum incipere ab Aleph.

Quarta causa fabularum est *Antiquitas* rerum gestarum. Homines utplurimum in rebus gestis solent vel addere ad numerum, vel adimere ab eodem: fama enim vires acquirit eundo. Si unus dicat alicubi mille esse trucidatos, secundus aliquando dicet bis mille, tertius ter mille, & sic deinceps; adeo ut ex historia tandem fiat fabula. Ex. gr. *Deut.* 3:11. dicitur de Gigante Og, quòd *solus remanserit ex reliquiis Gigantium, ecce sponda ejus sponda ferrea —— novem cubitorum est longitudo ejus, & quatuor cubitorum est latitudo ejus, cubito virili.* Hinc apparet eum fuisse gigantem vastissimi corporis. *Schickardus* Geometricè hinc collegit ipsum non fuisse humiliorem viris quatuor sibi mutuò impositis; & per consequens ipsi vix tot panni, quot aliàs sexdecim homines usurparent, vestiendo suffecerint;

rint; adeo ut totius corporis mole, & carnis, ossium, nervorum, venarumque pondere sexaginta quatuor vulgares homines ex ipsius sententia adæquarit. *Schickardus* hanc magnitudinem (facta multiplicatione quadrata) ex Textu probat. Hinc posteriores Judæi, qui continuò ex ore avorum suorum aliquid de magnitudine illius Regis audiverant, dixerunt ipsum circiter quingentos cubitos fuisse longum: nam *Baal Turim* ad *Deut.* 3:11. annotat, quod Moses, qui altus erat duodecim cubitos, subsilierit aliquando decem cubitos, tenens in manibus suis ad hunc Regem Og percutiendum, arma decem cubitos longa, & quod subsiliendo ipsius talum tantùm attingere potuerit. Talmud in *Berachot* cap. ult. prolixiùs hæc narrat. Quis non videt hanc narrationem esse meram fabulam? Sed alii magnitudinem hujus Regis adhuc magis auxerunt. Abba Schaul in Talm. Tract. *Midda*, cap. 2. audet dicere, quòd cum aliquando peregrinaretur, viderit in itinere osseam tibiam illius Regis Og; quodque per tria milliaria proficisci debuerit, antequam à principio illius tibiæ usque ad ejus finem perveniret. Hæc etiam morosissimo, imo vel ipsi Heraclito risum moverent.

DISSERTATIO DECIMA QUARTA

Quæ est pars tertia

DE

TALMUDE.

5. Quinta causa fabularum in scriptis Rabbinorum est superba Ambitio *Judæorum.*

VIII. *In Talmude non sunt tot fabulæ quot quidem vulgus putat: nam Judæi habent suas* Parabolas, *quibus res Theologicas & Philosophicas explicant.*

Etiam habent suas Prosopopœias, *quibus sensum & loquelam rebus inanimatis & sensu carentibus tribuunt.*

Multi ex inscitiâ vel ex malâ interpretatione verborum Judaicorum, Judæis sæpe affingunt, quæ revera nunquam crediderunt.

Conclusio Buxtorfii de Scriptis Talmudicis aliisque.

VErsamur in quæstione sexta, qua quæritur: Quomodo, & unde tot fabulæ in Talmud, & in cætera scripta Judæorum irrepserint? Dedimus in superiori dissertatione quatuor causas ob quas fabulæ irrepserint; jam sequitur *quinta* fabularum causa, quæ est *Ambitio.* Populus Judaicus ambitioni est deditissimus:

ſimus: & propterea omnem operam adhibent, ut æſtimentur ab hominibus. Hinc in Novo T. toties accuſantur, quod amaverint πρωτοκλισίας in conviviis, πρωτοκαθεδρίας in Synagogis, ſalutationes in publicis conventibus, & compellationes nomine *Rabbi*. Et quia putabant ſe ambitionem ſuam ſummoperè promovere ſuâ eruditione, & rarâ aliquâ, atque antea inauditâ S. Scripturæ explicatione; hinc natæ ſunt prodigioſiſſimæ S. Scripturæ explicationes; & quo eæ eſſent prodigioſiores, eo etiam doctiores & præſtantiores ab indoctâ plebeculâ æſtimabantur; modò ſuam expoſitionem quocunque modo, etiam abſurdiſſimo, ex S. Scripturâ probare poſſent. Ex. gr. *Jeſ.* 38: 8. legitur, quod Sol in diebus Hiskiæ decem gradibus retrogreſſus fuerit. Hærebat hîc, etiam naſutiſſimis Judæis aqua: quia non videbant quâ ratione Aſtronomicæ revolutiones, & Chronologica temporum intervalla rectè ſibi conſtare poſſent, niſi exceſſus hujus diei contrariò defectu alterius alicujus diei compenſaretur. Hinc in Talm. *Sanhedrin pag.* 96. *a* poſt *med.* hæc compenſatio inventa legitur. Textus ſic ait: אמר ר׳ יוחנן אותו היום שמת בו אחז שתי שעות היה וכי חלה חזקיהו ואיתפח אהדרינהו קודשא בריך הוא להנך עשר שעי ניהליה דכתיב הנני משיב את צל המעלות אשר ירדה במעלות אחז בשמש אחורנית עשר מעלות. ותשב השמש עשר מעלות במעלות אשר ירדה *Ait R. Jochanan: Illa dies quâ obiit Achaz* (Rex Judæ, anteceſſor Hiskiæ) *duarum* (ſaltem) *horarum fuit: cum verò decubuit Hiskias & convaluit, reſtituit eas Sanctus ille benedictus, haſce decem horas: ſicut ſcriptum, Ecce ego reduco umbram graduum, qua deſcendit in gradibus Achaz, in ſole retrorſum per decem gradus, & reverſus eſt Sol.* 10. *grad. per quos deſcenderat.* En quàm facilè nodus ille Gordius à ſubtilibus Judæis cum maximo rudis plebeculæ applauſu ſolvatur.

Alia ambitioſorum Judæorum expoſitio excogitata fuit occaſione cædis, quam Abraham unà cum trecentis & octodecim ſuis vernaculis contra quatuor Reges, *Geneſ.* 14: 15. inſtituit. Non vident quomodo ſine miraculo Abraham potuerit tantas quatuor Regum copias tam paucis hominibus pellere: hinc fingunt Deum mutâſſe pulverem in gladios, & ſtipulas in ſagittas. Hoc legitur in Tract. *Sanhedrin* pag. 108. *b* circa *fin.* אמר רב חנה בר ליואי. אמר שם רבא לאליעזר. כי אתו עלייכו מלכי מזרח ומערב. אתון היכי עבידתו. אמר ליה. אייתי הק׳ בה לאברהם. ואותביה מימיניה והוה שדינן עפרא. הוו חרבי גילי. והוו גירי *Dixit Raf Channa filius Levai, dixiſſe Semum magum* (Melchizedekum ſcil.) *ad Eleazarum, quando veniebant ſuper vos Reges orientis & occidentis, vos quidnam egiſtis? Reſpondet ei; Adduxit Deus Opt. Max. Abrahamum, & collocavit eum à dextris ſuis, & accidit; projiciebamus nos pulverem, fiebant Gladii; ſtipulas, & fiebant Sagittæ.*

Digitized by Google

gitta. Sed quandoquidem suas assertiones ex S. Scripturâ utcumque conantur probare. Unde quaeso hoc miraculum elicitur? Ex *Psal.* 110:1. & *Jes.* 41:2. qui Textûs in Talmude immediatè etiam sequuntur. *Psalmo* 110:1. habetur: מזמור לדוד נאם יי׳ לאדוני שב לימיני עד אשית אויביך הדום לרגליך: *Psalmus Davidis. Dixit Jehova Domino meo; sede ad dextram meam, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Et *Jes.* 41:2. legitur: מי העיר ממזרח צדק יקראהו לרגלו יתן לפניו גוים ומלכים ירד יתן כעפר חרבו כקש נדף קשתו: *Quem excitaverat ab oriente* Deus, *justè vocans eum ad vestigia sua, exposuit ei gentes, & fecit ut in Reges dominaretur, reddidit similes pulveri gladio ejus, similes stipulae impulsae arcui ejus.* Hic Jesaiae Textus de Abrahamo quidem secundùm sententiam Paraphrastae Chaldaei, aliorumque Interpretum loquitur; sed revera talis sensus inde non elicitur, etiamsi Talmud כעפר exponat per בעפר *in pulvere.* Hae sunt praecipuae rationes, ob quas tot fabulae in Talmud, aliaque Judaeorum scripta irrepserunt. Vide plura apud Schickardum in *Bechinat Happeruschim.*

Ex simili ambitione & S. Scripturae malâ explicatione oriuntur absurdae illae opiniones, sive potius fabulae de Creatione. Probant diabolos esse creatos die secundo, & quidem ex duobus Elementis, aëre scil. & igne; quia *Psal.* 104:3, 4. habetur: *Contabulans aquis coenacula sua*, quod factum dicitur secundo die, & versu sequenti legitur: *Faciens Angelos suos ventos* (ergo creati sunt ex aëre), *Ministros suos ignem flammantem*, ergo ex igne.

Praeterea ex malâ interpretatione *Psal.* 19:2. *Coeli enarrant gloriam Dei Omnipotentis: & opus manuum ejus indicat expansum*, oritur haec absurda opinio, quod Coelum, omniaque Astra sint animata animâ rationali, & quidem justâ & sanctâ. Similiter Judaei ex aliis Scripturae locis, scil. ex *Deut.* 29:4. *Jes.* 57:16. *Jerem.* 1:6. *Eccles.* 4:2. & ex *Job.* 38:21. absurdissimè probant omnes animas hominum simul & semel primo die creationis, & quidem pares & conjuges esse creatas. Etiam ex *Psal.* 139:5. Adamum & Evam concorpores, & non bicorpores esse factos, &c. Hae omnes absurdae opiniones, vel potius fabulae, sunt desumptae ex malâ S. Scripturae interpretatione. *Vide Hoornbeek. in* תשובת יהודה *lib.* 4. *cap.* 1.

VIII. *Septimò quaeritur;* An revera in Talmude, aliisque Judaeorum scriptis tot sint fabulae, quot quidem vulgus putat?

Resp. primò. In Talmude aliisque Judaeorum scriptis occurrunt multae fabulae aniles; adeo ut scripta Judaeorum apud plerosque propterea malè audiant: sed revera tot non occurrunt fabulae, quot quidem vulgus putat. Multi volunt omnes fabulas, quae in Talmude inveniuntur, literaliter ex-

Digitized by Google

plicare; sed falluntur hàc in re. Talmudistæ enim res Theologicas, Philosophicas, aliasque magni momenti fabularum involucris sæpe involverunt: quemadmodum Æsophus in fabulis suis fecit, qui etiam noluit fabulas suas pro veris historiis lectoribus obtrudere. In his duobus tamen differunt Æsophi fabulæ à fabulis Talmudistarum.

1. Æsophus fabulis suis addit affabulationes, quas Talmudistæ utplurimum omittunt; & propterea recentiores Apellæ sæpe inscitiam suam produnt, accipiendo eas literaliter; & multi Christiani aberrant, qui, quum Scripta Talmudica nunquam legerint, nihilominus ea exsibilent.

2. Æsophus non abutitur S. Scripturâ, quemadmodum pessimè agunt Talmudistæ, aliique Rabbini in fabulis suis proponendis, & ex S. Scripturâ easdem probandis. Suprà diversa exempla ex Talmude protulimus, ex quibus tales abusus S. Scripturæ probavimus; adferamus etiam unum exemplum ex Rabbi Salomone Jarchi in *Cap. 2. Jonæ vers. 1, 2.* Hic Rabbi conatur probare Jonam à duobus piscibus ordine fuisse absorptum, priùs à pisce masculo, qui ipsum evomuit; quia ibi non orabat: erat enim ibi in loco spatioso; postea à pisce fœmina, quæ erat plena fœtibus, à quibus valdè arctabatur; & propterea orabat: atque in eo, quia priùs habetur דג Masculini gen. & postea דגה fœminini gen. additurque ויתפלל *& oravit*, abutitur S. Scripturâ; quum diversitas terminationis non semper pariat diversitatem generis. Vide *Jonam Illustr. pag.* 108. & *seqq.*

Peccârunt igitur antiqui Judæi, quod ex fabulosis & suspectis principiis deduxerint, quæ aliquando ex veris minori suo contemptu deducere potuissent. Non tamen Judæi talis criminis sunt accusandi, ac si omnes fabulas, quæ in Talmude occurrunt, secundùm literam explicare voluissent. Nam Talmudistæ, aliique Hebræorum Scriptores adhibuerunt *primò* suas *Parabolas*, quemadmodum ipse Christus in illis locis Novi T. fecit, in quibus allegantur parabolæ de Divite & Lazaro; de decem Virginibus; de Filio Prodigo; de Publicano & Pharisæo, &c. Has Christiani literaliter explicare non possunt, nisi velint multa absurda ex S. Scripturâ elicere. Nolo hic Judæos excusare, vel eorundem parabolas cum S. Scripturâ comparare. Absit hoc. Volo tantummodo indicare fabulas Talmudicas secundùm literam non esse explicandas; sed respiciendum esse ad sensum mysticum & latentem, qui utplurimum reticetur, & sæpissime à quolibet ex antecedentibus & consequentibus facilè elici potest. Idem testatur Schickardus in *Bechinath Happer. disput.* 6. cum ait: " Quâ in re

" non

Digitized by Google

„ non tantùm recentiores Apellæ inſcitiam ſuam produnt, accipiendo il-
„ las ſecundùm corticem literarum & credendo rem geſtam; ſed & Chri-
„ ſtianorum multi aberrant, qui eas in ipſo fonte nunquam legerunt, ſed
„ ſolis & plerumque malâ fide adductis allegationibus nimis ſecurè ni-
„ tuntur; & tamen hinc univerſa Talmudicorum dogmata æſtimare, Rab-
„ binosque veluti mortalium ſtultiſſimos, exſibilare audent.„

Contra hæc fortaſſe objiciet nonnemo, quod Talmudiſtæ plerasque parabolas ſive fabulas pro rebus geſtis obtrudant: quia narrantur cum omnibus circumſtantiis temporis, loci, perſonarum, &c.

Reſpondeo 1. Parabolæ in Talmude non ſemper cum talibus circumſtantiis allegantur: Talmudiſtæ enim aliquando tantùm dicunt מלך פלוני *Rex aliquis:* ex. gr. Talmudiſtæ volentes probare animam & corpus ſimul puniri, adferunt (*in Tract. Sanhedrin* pag. 91. a *in fine &* b *in princ.*) exemplum alicujus Regis, qui cæcum & claudum conſtituerat in horto ſuo. Verba ita ſonant:
מלך בשר ודם שהיה לו פרדס נאה והיה בו בכורות נאות. והושיב
בו שני שומרין, אחד חיגר ואחד סומא. אמר לו חיגר לסומא. בכורות נאות
אני רואה בפרדס בא והרכיבני ונביאם לאכלם רכב חיגר על גבי
סומא והביאום ואכלום. לימים בא בעל פרדס, אמר להן בכורות
נאות להיכן הן. אמר לו חיגר. כלום יש לי רגלים ולהלך בהן, אמר לו
סומא. כלום יש לי עינים לראות. מה עשה, הרכיב חיגר על גבי סומא
ודן אותם כאחד *Rex quidam caro & ſanguis habebat Paradiſum amœniſſimum, & in eo primitias præſtantiſſimas. Is collocabat illuc duos cuſtodes, unum claudum, alterum cæcum; alloquebatur autem claudus cæcum: primitias elegantes video in horto, veni, & vecta me, auferemus eas ut comedamus. Equitavit ergo claudus ſuper dorſum cæci, & abſtulerunt eas atque devorârunt. Poſt dies venit Poſſeſſor Paradiſi, quærens ex iis; primitiæ ſuaves quorſum ſunt* (delatæ?) *Reſpondit ei claudus, nunquid mihi ſunt pedes ut ambulem illis? Reſpondit quoque cæcus, nunquid mihi ſunt oculi ad cernendum? Quid egit? Impoſuit claudum tergo cæci, & judicavit ambos quaſi unum.* Plurima talia exempla adferri poſſent, in quibus circumſtantiæ nominorum propriorum non adduntur.

Reſp. 2. Poſito, quod multæ circumſtantiæ, quæ rebus geſtis utplurimum addi ſolent, etiam addantur; inde tamen non ſequitur, quod res geſta narretur. Ex. gr. in Metamorphoſi Ovidii adduntur nomina propria; inde tamen nemo probavit fabulas Ovidii eſſe veras hiſtorias. Similiter omnes Poëtarum fabulæ, omnia Comicorum theatra ſub certarum perſonarum habitu longè aliud docent, quàm literali ſenſu præ ſe ferunt. Huc refertur à multis fictitii illius Doctoris *Fauſti* legenda, quæ revera tantùm fabula videtur, eum in finem excogitata, ut indocta plebs magicis

cis artibus dedita, miserrimo & tragico illius Doctoris eventu à similibus artibus deterreatur. Quid versor in historiis profanis? Ipsum Novum T. *Luc.* 16. exemplum Lazari, expresso nomine, nobis suppeditat, quum tamen Eruditi tantùm parabolam esse asserant.

Resp. 3. Aliquando expressè additur in Talmude, quod sit parabola, quæ narratur. Verbi gr. Ante exemplum de cæco & claudo ad *responsionem primam* allatum, immediatè additur, quod Talmudista velit adferre parabolam, cùm aït, אמשול לך משל *proponam tibi parabolam.* Post hæc verba sequitur ipsa parabola, cui immediatè subnectitur affabulatio, quæ incipit *pag. versâ.* אף הקב׳ה מביא נשמה וזורקה בגוף ודן אותם כאחד שנ׳ יקרא אל השמים מעל זו נשמה ואל הארץ לדון עמו זה הגוף. *Etiam Deus Opt. Max. reducet animam & disperget eam per corpus, sicque judicabit ea quasi unum: sicut dicitur* (Psal. 50:4.) advocat Cœlos supernè, *hac est Anima;* & Terram ad judicandum populum suum, *hoc est Corpus.* In multis aliis locis Talmudicis etiam expressè additur quod sit parabola. Vide talia duo exempla in *Thesauro Gram. Buxt.* propè finem in lectione Hebræo-Germanicâ. Sunt nonnulli, qui volunt, quæ *superiori dissertatione ad quæst.* 5. de Leviathane, de Tauro, & de Ave bar Juchne attulimus, parabolicè explicare, & asserunt denotari per ludos & per mactationem ingentium illorum animalium eximiam & ingentem illam lætitiam, quâ Judæi fruentur tempore adventûs Messiæ. Sed an magnitudo illius Leonis, in silvâ Elai delitescentis, etiam parabolicè explicanda est? Sic multis placet. Vix etiam verosimile videtur Judæos illud literaliter explicare velle: sed videtur sensus mysticus subesse, scil. quod Dei potentia sit maxima, imo tanta, ut nemo coram ipso subsistere possit, si Deus quodammodo sese moveat, vel iram suam exerceat.

Secundò. Talmudistæ sæpissime adhibuerunt *Prosopopœias*, h. e. rebus inanimatis, sensu & ratione carentibus, loquelam tribuerunt. Nonnunquam in Talmude *Astra* introducuntur loqui cum Deo, & *Cœlum* atque *Terra* laudare Deum, & sic deinceps. Si quis talia pro rebus gestis & veris historiis recipere velit, fallitur, & vim verbis Talmudistarum infert: verùm omnes tales narrationes per *Prosopopœiam* explicandæ sunt. Talmudistæ in his voluerunt imitari S. Scripturam, quæ sæpissime rebus, ratione & sensu carentibus, loquelam vel auditum adscribit: ex. gr. Deus *Deut.* 32: 1. Cœlo & Terræ auditum tribuit, cum ait: *Præbete aures Cœli, & audito Terra sermones oris mei.* Simile quid de Sole, Lunâ, Stellis, Cœlis & Aquis legitur *Psal.* 148: 3, 4. *Laudate eum Sol & Luna, laudate eum omnes Stellæ lucidæ. Laudate eum Cæli Cælorum & Aquæ, quæ suprà hoc Cœlum sunt.* Si aliquis Muhammedanus, fidem nostræ S. Scripturæ non adhibens,

Digitized by Google

bens, hinc contra Christianos probare vellet S. Scripturam non esse Verbum Dei: quia in eâ multæ continentur fabulæ, quum Sol, Luna, Stellæ, Cœli loqui non possint, neque Deum laudare. An non talis absurdus esset, & S. Scripturam immeritò accusaret? Nonne tali responderemus illa impropriè & per *Prosopopœiam* esse intelligenda? Simile responsum, quale nos Muhammedano daremus, etiam Talmudistæ, si viverent, nobis darent. Ex. gr. In Talmude Tract. *Cholin*, pag. 60. Luna introducitur alloquens Deum: quia *Genes.* 1: 16. legitur, quod Deus creaverit duo luminaria *magna*, Solem & Lunam, & paulo pòst *Luna* vocatur luminare *parvum*. Procul dubio Talmudistæ crediderunt, secundùm Paraphrasin Jonathæ in hunc locum, Solem & Lunam fuisse 21. annos æquales: hinc introducitur Luna, quasi loquuta fuerit cum Deo, eumque interrogaverit: An possunt duo Reges sub unâ coronâ regnare, &c.? Vide hanc fabulam pleniùs *dissertatione superior.* & apud *Buxt. in Synag. cap.* 17. Quis non videt hoc colloquium esse fabulam, & merum figmentum? Quis etiam non videt Talmudistas nolle hoc colloquium secundùm literam explicare? Nam Luna nunquam loquuta fuit: sed hæc mysticè sunt explicanda; vel quod regnum non diu subsistet, in quo duo Reges æqualis auctoritatis regnant; vel, quia Luna introducitur contra Creatorem suum murmurans, Deum esse depressurum & humiliaturum omnes superbos, & contra se murmurantes.

Simile exemplum de Sole & Lunâ etiam legitur in *Sanhedrin*, pag. 110. a *circa finem*, ubi de seditione Korach dicitur, quod Sol & Luna venerint coram Deo, & noluerint mundo lucere, nisi Deus eos puniret: verba sic sonant; עלו שמש וירח לזבול אמרו לפניו רבונו של עולם אם אתה עושה דין לבן עמרם נצא . ואם לאו לא נצא עד שזורק בהם חיצים. *Ascenderunt Sol & Luna ad habitaculum* (Dei) *& dixerunt coram ipso: ô tu Dominator universi Mundi; si feceris judicium filio Amram, egrediemur* (h.e. lucebimus Mundo) *sin minus, non exibimus, donec jaculeris in eos sagittas.* Quis tam stolidus est, qui putat Talmudistas hanc narrationem secundùm literam explicare velle? Qualis ergo hîc denotatur affabulatio? Hæc nempe, quod eorum rebellio maximum fuerit peccatum; adeo ut, ad exaggerandum illud, ipsa Astra dicantur illorum facinus ægrè tulisse. In multis affabulatio nec recentioribus Judæis, nec etiam Christianis satis nota est: nam Talmudistæ utpote viri docti sæpè usi fuerunt modis loquendi obscuris & intricatis, quos ipsi quidem probè intellexerunt; sed sæpe voluerunt artem suam & affabulationem celare; tum ut pro doctis, subtilibus & ingeniosis æstimarentur; tum etiam ut exercerent ingenia Lectorum.

Digitized by Google

Non tantùm in S. Scripturâ & Talmude, ſed etiam in profanis Auctoribus *Proſopopœia* habent locum: ex. gr. Cicero ait, quod, parietes curiæ Romanæ ob Marcelli reſtitutionem geſtierint, & Cæſari gratias egerint. Hinc nemo poſſet concludere, Ciceronem fuiſſe hominem ſtolidum & inſanum, quod crediderit parietes geſtiiſſe, & gratias Cæſari egiſſe. Quid ergo Cicero eo voluit denotare? Summam lætitiam, quam ex Marcelli reſtitutione perceperant. Vide *Jonam Illuſtr. diſſert.* 4. *& Bechinath Happeruſchim diſſert.* 6.

Tertiò. In Talmude revera non ſunt tot fabulæ, quot quidem vulgus putat: ſed indocti nonnulli & imperiti ex odio & ignorantia Linguæ Talmudicæ quædam Judæis adſcribunt, quæ tamen nunquam crediderunt, nec quæ illi ipſi in propriis eorum ſcriptis unquam legerunt vel viderunt. Hinc multi publicè aut privatim ſcripta Talmudica tanquam impia, fabulis & nugis plena exſibilare ſolent, qui tamen Talmud nunquam viderunt, vel ſi viderint nunquam legerunt; quique ſi rogarentur, in quali formâ Talmud typis eſſet impreſſum & divulgatum? Reſponderent fortaſſe in Octavo. Sed ne ſutor ultra crepidam, nec cæcus de coloribus judicet. De ſcriptis Talmudicis judicium ferant docti, qui Talmud in ipſo fonte legerunt. Indocti nonnulli, qui Talmud non intelligunt, aliquando Talmudiſtarum verbis abſurdum aliquem ſenſum affingunt, de quo ne per ſomnium quidem cogitârunt: exemplo res fiet clarior: In *Sanhedrin* pag. 95. b *circa med.* legitur de Sennacheribi caſtris & equis, quod ארך מחנהו ארבע מאות פרסה רחב צואר סוסיו ארבעים פרסה *Longitudo caſtrorum ejus fuerit quadringentorum milliarium, & latitudo colli equorum ejus quadraginta milliarium.* Hinc nonnemo Talmudiſtas falſitatis accuſat, quod ſtatuerint latitudinem unius colli fuiſſe 40. milliarium, cum Talmudiſtæ hanc latitudinem intelligant de omnibus equis juxta ſe invicem ſtantibus. Quis Talmudiſtarum tam inſanus fuiſſet, ut putaſſet unum collum unius equi fuiſſe 40. milliarium? Ex his omnibus videmus, quod non ſint tot fabulæ in ſcriptis Judæorum, quot vulgus putat; & quod ſæpiſſime multa Judæis affingantur, quæ nunquam crediderunt. Vide plura in *Bechinat Happeruſchim*.

Concludam hanc quæſtionem verbis Buxtorfii in Epiſt. Dedic. *Lex. Talm.* ubi ait: " Nequaquam negamus in Talmude contineri abſurda, fatua, &
" fabuloſa; ſed hoc interim ſciendum & dicendum, non omnia, quæ im-
" peritis talia videntur, eſſe talia. Priſca enim gens Judaica pro more om-
" nium Orientalium, arcana myſteria, per figuras & ænigmata, per ju-
" cundas & ingenioſas, lepidas & graves enarrationes, figmento & fabu-
" lis

" lis sæpè similes, explicabant, ut illis rudiores & simpliciorem plebeculam ad lectionem suaviter allicerent, ut istis quasi illecebris artificiosè caperent; ingeniosum autem Lectorem, ad scrutanda & explicanda profunda mysteria, sub specioso cortice latentia, pressiùs exercerent. Hæc apud imperitos, tam Judæos recentiores quàm Christianos, antiquiorem Theologizandi & Philosophandi modum ignorantes, in ludibria & blasphemias convertuntur, quæ, non intellecta, sine judicio potius condemnantur, quàm ut cum judicio legantur & considerentur. Quis ignorat Poëtas gentiles, etiam gustum Christianismi habentes, Theologiam, Ethicam, Politicam, simili modo tradidisse, quorum tamen libri, ob eloquii venustatem, aliasque virtutes, à Christianis leguntur, imo tanquam pretiosa κειμήλια asservantur, & in Scholis publicè prælegentur?

DISSERTATIO DECIMA QUINTA,

Quæ est pars quarta & ult.

DE

TALMUDE.

IX. *Varia Pontificum judicia de Talmude; quidam illud damnant ad ignem, quidam illud liberant.*
2. *Lis inter Reuchlinum & Pfeffercornum de Scriptis Talmudicis vel comburendis vel servandis apertè agitur.*
3. *Talmud est utile ad Judæorum dogmata refellenda.*
4. *Et ad Christianorum dogmata confirmanda.*
5. *Atque ad multa loca Veteris & N. T. illustranda. Buxtorfius citatur.*
X. *Duæ Editiones Talmudis Hierosolymitani & quatuor Editiones Talmudis Babylonici recensentur.*

IX. OCtavò *quæritur.* An Talmud habeat aliquam inter Christianos utilitatem; an verò præstet Talmud abolere & comburere, sicuti multi fecerunt?

Resp. 1. Diversi Papæ, nescientes judicare de Talmude, variis temporibus illud damnarunt. *Bernhardus Luxenburgh in Catal. Hæret. lib.* 2. scribit: Gregorium IX. A. Christi 1230. omnia volumina Talmudica flammis adjudicâsse, & A. 1244. Innocentium IV.

iterum illud fecisse. Postea cum eadem volumina auxilio Artis Typographicæ in infinitum ferè numerum propagata essent, Julius III. novo edicto promulgato inquiri jussit, & Anno 1553. cum festum Tabernaculorum à Judæis in Septembri celebraretur, per omnes Italiæ urbes exuri mandavit. Paulus IV. calculo Romanæ Inquisitionis duodecim Talmudicorum voluminum millia flammis addixit.

Multo clementior fuit Pius IV. qui Talmud Hebræorum, ejusque glossas, annotationes, interpretationes, & expositiones omnes, si prodierint sine nomine Talmud, & sine injuriis & calumniis in Religionem Christianam tolerari voluit, teste *Indice expurgat.* Romæ die 24. Martii A. 1596. confirmato. *Vide Hotting. in disp. de Scriptorum Hebr. in N. T. usu.* Sed multi Pontificii negant hanc fuisse Pii IV. de Talmude mentem: & propterea liberalitatem illam in volumina Talmudica magis coarctant. Ita sonat observatio ad Pontificis illius indultum. " Quamvis in tertia " classe Indicis prædicti Pii Papæ IV. litera T. Talmud Hebræorum, " ejusque glossæ, annotationes, interpretationes, & expositiones omnes " prohibeantur; sed, quod si absque nomine Talmud, & sine injuriis & " calumniis in Religionem Christianam aliquando prodiissent, tolerarentur: quia tamen Sanctiss. D. noster Clemens Papa VIII. per suam Con" stitutionem contra impia scripta & libros Hebræorum sub Dato Ro" mæ apud S. Petrum Anno incarnationis Dominicæ 1582. pridie Kal. " Martii, Pontific. sui Anno secundo, illos prohibuit atque damnavit, " mens ipsius non est, eos propterea ullatenus, & sub illis conditionibus " permittendi aut tolerandi, sed specialiter & expressè statuit & vult, ut " hujusmodi impii Talmudici, Kabbalistici, aliique nefarii Hebræorum " libri omnino damnati & prohibiti maneant & censeantur, atque super " iis & libris hujusmodi prædicta constitutio perpetuò & inviolabiliter " observetur. "

E contrà *Galatinus lib.* 1. *cap.* 7. asserit Divinâ Providentiâ factum esse, ut Clemens V. Pontifex, sacrosancto approbante Concilio, mandaverit, Talmudicos Judæorum libros per fideles, Hebraicam Linguam callentes, in Latinum sermonem traducendos, atque Christianis publicè legendos esse.

Resp. 2. Superiori sæculo circa Annum Christi 1510. lis hæc acriter mota fuit inter *Joh. Capnionem* sive *Reuchlinum*, & *Joh. Pfeffercornum* Christianæ professionis Judæum. Hic scripta Judæorum non tantùm non legenda, sed eadem præter Biblia à Judæis quolibet pretio emenda abolenda, & comburenda contendit, atque idem Maximiliano Cæsari, Romano-

Digitized by Google

manorum Imperatori, persuadere tentavit; ille verò strenuè defendit scripta Judæorum, & inter ea etiam Talmudica, utpote non omnia blasphema, esse servanda: quia in iis multa bona, Christianis scitu utilia & necessaria etiam continentur. Maximilianus, ne faceret cujus postea pœniteret, Archiepiscopo Moguntino mandat, ut Academiis aliquot, & Jacobo Hogostrato Inquisitori, & Joh. Reuchlino det negotium inquirendi; & an sit ex usu Religionis Christianæ, ut, præter Biblia, cætera Judæorum scripta comburantur. Reuchlinus, acceptis literis, quid sui consilii esset, Archiepiscopo respondit, aitque Hebræorum libros esse tripartitos, Historicos, Medicos, Talmudicos, & hos ultimos non esse ejusdem generis: etiamsi multa ridicula & superstitiosa in iis contineantur, tamen esse perutiles; tum ad fidem Christianorum in nonnullis confirmandam; tum etiam ad Judæorum errores refutandos. Pfeffercornus evulgato libro Reuchlinum oppugnat, & eum tanquam Judæorum fautorem traducit. Reuchlinus, ut existimationi suæ consuleret, libellum Apologeticum, *Oculare speculum* vocatum, in lucem emittit, & sententiam suam, ad Archiepiscopum antea scriptam, publicè defendit. Edito hoc Libro Judæus valdè iratus furit, & totam Coloniam atque Hogostratum Inquisitorem ad partes suas trahit. Lis inter hos aperto Marte agitur, & quinque annos durat, uti videre est in epistola, quam Reuchlinus ad Papam Leonem X. scripsit. Colonienses librum Reuchlini damnant, & in Febr. Anni 1513. exurunt.

E contrà Episcopus Spirensis Reuchlini causam justificat, ejusque librum approbat, & Hogostratum in sumptus damnat. Hic, ut sententiam irritam faceret, Romam petit, ibique supra tertium annum commoratur, & re infectà domum revertit. Res per Episcopum Leodiensem commendatur Ludovico XII. Regi Galliarum, & ad Parisienses defertur, qui etiam Reuchlini librum, ut incendio dignum damnant, & auctorem ad revocationem cogendum, & libros Talmudicos olim rectè damnatos à Pontificibus, atque à suis antecessoribus crematos esse judicant. Verùm Leo X. Reuchlinum justificat, ejusque adversarios in sumptus damnat. Tandem Judæus ille conversus, choragus omnium harum turbarum, scil. *Pfeffercornus*, Halæ Saxonum, ob Hostiæ Eucharisticæ profanationem, forcipibus ignitis carptus & exustus est. Vide hanc historiam plenè enarratam *à Sleidano lib.* 2. ad A. 1520. & *apud Schickard.* in *Bechinath Happer. diss.* 6.

Hanc Reuchlini sententiam multi viri docti (quorum longus catalogus epistolis ad Reuchlinum scriptis præmittitur) deinceps probârunt, & Colo-

Colonienses Theologos, tanquam homines barbaros, Linguarum & Literaturæ politioris hostes, emissis facetis libellis, salsè deriserunt. Hinc Talmud A. 1520. Venetiis publici juris est factum, & postea A. 1581. Basileæ. Galatinus libro suo de *Arcanis Catholicæ veritatis* ex petitione Cæsaris Maximiliani, & voluntate Pontificis Leonis X. Reuchlini sententiam defendit, & *lib.* 1. *cap.* 7. docet Talmud non esse abolendum.

Resp. 3. Talmud Christianis est utile ad Judæorum dogmata refellenda. Judæi ex tribus Fontibus sive Principiis refutari possunt. 1. Ex Veteri T. 2. Ex Paraphrastibus Chaldaicis, & 3. Ex Talmude: nam hæc scripta pro authenticis ab ipsis habentur. Utamur ergo Talmude contra Judæos, indeque argumenta, quæ vocantur ad hominem eliciamus.

Rogabit fortè nonnemo: An, & quomodo licet contra Judæos uti Talmude, scripto humano, in quo tot sunt fabulæ, mendacia, blasphemiæ in Christum & Christianam Religionem, &c.?

Resp. 1. Objiciamus ipsis fabulas & nugas Talmudicas, & ostendamus ex illis fabulis Talmud non esse scriptum divinum, nec tanti faciendum quanti ab illis fit; & probemus, ipsos continuò in Talmude studentes, versari utplurimum in nugis, fabulis, & rebus nullius ferè momenti. 2. In Talmude non sunt tot fabulæ, quot quidem vulgus putat. Antea enim probavimus in eo esse multas parabolas & prosopopœias, quæ secundùm literam explicari non debent.

Resp. 4. Talmud nonnunquam confirmat Christianorum fidem: ex. gr. In Talmude Tractatu *Sanhedrin cap.* 11. recitatur prophetia alicujus Eliæ, qui dixit mundum duraturum esse 6000. annos, &c. ששת אלפים שנה היו עלמא שני אלפים תוהו שני אלפים תורה שני אלפים ימות המשיח *Sex mille annis durabit mundus. Bis mille annis erit Inanitas* (h. e. sine Lege) *Bis mille annis Lex* (scil. Mosaica) *Bis mille annis dies Messiæ.* Ex hâc prædictione illius Rabbini probamus Messiam venisse; quia jam modò sextus mundi millenarius agitur, quum debuerit venisse in principio quinti millenarii. Vel ergo illa prophetia est falsa; sed hoc non audent fateri, quum à verbis Rabbinorum non facilè soleant vel audeant recedere; vel Messias jam dudum in mundum debuit venisse. Verùm, ne hanc prophetiam rejicerent, ajunt eam quidem esse veram, & tempus ab Elia designatum esse elapsum; sed Messiam non venisse propter peccata populi. Inane effugium. Vel ajunt Eliam non determinare, an Messias venturus esset in principio, an vero in fine duorum millenariorum. Sed quis non videt hoc glossema admodum ineptum esse: *Bis mille annis dies Messiæ:* hoc est, *Intra spatium illud annorum venturus est Messias.* Similiter Christiani Psalmum

XXII.

XXII. de nostro Messia explicant, contradicentibus Judæis, qui inter cætera, hoc argumento Christianorum sententiam refutant; quia in eo Psalmo persona illa introducitur clamans & rugiens, *Deus mi*, *Deus mi* &c. Atqui hoc Majestati Messiæ, quam etiam Deum esse Christiani defendunt, ex sententia Judæorum derogâre videtur. Verùm talibus, ad confirmandam nostram sententiam, oppono locum Talmudicum ex *Barachot pag. 3. a* ubi expresse dicitur רבי אליעזר אומר שלש משמרות הוי הלילה ועל כל משמר ומשמר יושב הק״בה ושואג כארי *Rabbi Eliezer ait, tres vigilias habet nox, & in unaquaque vigilia sedet Sanctus benedictus ille* (h. e. Deus) *& rugit instar Leonis:* & Talmud confirmat hunc rugitum ex *Jer.* 25:30. ubi Propheta ait: *Jehova ex alto rugiet —— Omnino rugiet in habitaculo suo, &c.*

Resp. 5. Leges, quarum tantùm superficiaria in Pentateucho facta est mentio, pleniùs in Talmude explicantur & illustrantur: ex. gr. Leges de restitutione dupli, quadrupli &c. Leges de suppliciis capitalibus, de lapidatione, & infinita ferè alia in Talmude variis modis exponuntur. Verum quidem est, quod multæ leges modo absurdissimo, & contra mentem Dei explicentur; sed sæpissime rem etiam acu tetigerunt: nam ubi Judæi benè aliquid dicunt, ibi nemo meliùs; sed ubi malè ibi etiam nemo pejùs. Et quum Jus Hebræorum in Talmude latè explicetur, Scripta Talmudica etiam inservire possunt Jurisconsultis, qui Jus antiquum Hebræorum cum hodierno conferre volunt. Etiam multæ voces & phrases in N. T. valde dubiæ & intricatæ in Talmude ex antiquitate miro modo illustrantur. Vide passim de his Lexicon Talmudicum, in quo multa dubia, in Veteri & N. T. occurrentia, dilucidè explicantur. Buxtorfius in ejusdem Lexici Talmudici Præfatione de Talmude ita præfatur. "Sunt in Talmude "multa Theologica sana; sunt in eo multa fida antiquitatis Judaicæ col"lapsæ veluti rudera & vestigia, ad convincendam posterorum Judæorum "perfidiam, ad illustrandam utriusque T. historiam, ad rectè explicandos "ritus, leges, consuetudines populi Hebræi prisci, plurimùm conducentia. "Sunt in eo multa Juridica, Medica, Physica, Ethica, Politica, Astronomica. "Sunt in eo illustria ex antiquitate proverbia, insignes sententiæ, acuta "apophthegmata, scitè prudenterque dicta innumera, quæ lectorem vel "meliorem, vel sapientiorem, vel doctiorem reddere possunt. Sunt in eo "multæ vocum myriades, quæ, vel voces in Scripturæ Sacræ usu raras, "illustrant & nativè explicant, vel totius Linguæ Hebrææ & Chaldææ "usum insigniter complent & perficiunt. Sunt denique in eo quamplurima ad infinita N. T. loca quoad voces, phrases & historiam insigniter

"illu-

" illustranda, maximum momentum habentia." Ex his concludimus scripta Talmudica, utpote Christianis lectu in multis utilia, non esse abolenda & comburenda. *Sed* dicet aliquis: Verum quidem est, scripta Talmudica lectu Christianis sunt utilia, sed quâ methodo, quum sint valde difficilia, eadem sunt tractanda & discenda? *Resp.* Methodum legendi & addiscendi scripta Talmudica dedi in *Jonâ Illustrato*, *dissert. 6.* Et in sequentibus, quando materiam de Commentariis Rabbinorum absolvero, ostendam ubi eadem methodus paulo uberiùs describitur.

X. *Nonò & ultimò quæritur.* Quoties, & ubinam Talmud impressum est?

Resp. Talmud *Hierosolymitanum* impressum est Venetiis à Daniele Bombergo, & Cracoviæ cum glossis marginalibus utilibus Anno Christi 1609. Constat unico volumine in Folio.

Talmud *Babylonicum* quater est excusum. 1. *Venetiis* Anno Christi 1520. apud Danielem Bombergum, chartâ elegantissimâ, & characteribus nitidissimis.

2. *Basileæ* apud Ambrosium Frobenium A. 1581. Ex hâc Editione exsecta sunt per Censores, Marcum Marinum, Italum Brixiensem, & Petrum Cevallerium, Professorem Hebrææ Linguæ Genevensem, ea, quæ contra Christum & Christianos dicta erant; & propterea integer liber Talmudicus, qui vocatur עבודה זרה *de Idololatria*, ex illa Editione ejectus est. Etiam blasphema illa historia de Jesu Nazareno, suprà *quæstione* 5. allegata, ex hâc Editione est exemta. E contrà hæc Editio ut & sequentes hoc habent præ Editione Venetâ, quod libri & capita locorum S. Scripturæ, in Talmude allegatorum, in margine sint adscripta, quod magnum præstat in legendo compendium. Quod si idem Textus alicubi iterum occurrat, loca illa parallela iterum ad marginem sunt apposita.

3. *Cracoviæ* ante paucos annos prodiit; sed hæc Editio propter minores & deformes characteres parvi fit à Judæis: verùm propter alias causas etiam ab illis laudatur; quia in hac Editione iterum addita sunt illa blasphema in Jesum Christum, &c. quæ ex Editione Basileensi à duobus illis censoribus erant ejecta.

4. Tandem Talmud *Amstelodami* est excusum Anno à creatione Mundi 5404. sive Anno Christi 1644. ab Immanuele Benbenisti, literis elegantibus, in maximo quarto; sed chartâ duplici: quædam enim exemplaria sunt impressa chartâ maximè albâ; cætera chartâ minus albâ. In hâc Editione etiam addita sunt illa blasphema in Jesum Nazarenum, & totus ille liber de Idololatriâ, &c. In nonnullis tamen locis quædam paulo mitius proponuntur in hac Editione quàm in edit. Venetâ, uti suprà ad *quæstionem* 5. demonstravimus.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO DECIMA SEXTA,

Quæ est pars prior

DE

PERUSCHIM,

sive Commentariis Rabbinorum.

I. *Quinque modi scribendi Commentaria Biblica proponuntur, & variis exemplis illustrantur.*

II. *Quidam Commentaria Rabbinorum Biblica contemnunt; alii eadem summoperè laudant.*

Laudantes utuntur his rationibus.

1. *Quia Rabbini multas voces difficiles diversimodè explicant.*
2. *Etiam phrases & modi loquendi dilucidè à Rabbinis explicantur; quod variis exemplis probatur.*

SECTIO I.

INter scripta Judæorum præstantissima meritò etiam numerari debent פֵּירוּשִׁים *Peruschim*, sive Commentaria Rabbinorum Biblica, quæ textum literalem & phrases Hebraicas sæpissime optimè explicant. De his has sequentes quæstiones movebimus.

Primò quæritur. Quot modis Commentaria Biblica à Judæis conscribantur, vel conscripta sint?

Resp. Aben Ezra, qui vixit circa undecimum sæculum post nativitatem Christi, in Præfatione Rhythmicâ, quæ extat in Bibliis Buxtorfii ante Pentateuchum, enumerat *quinque* modos scribendi Commentaria Biblica. Eosdem modos Schickardus in *Bechinath Happeruschim disp.* 7. latè deducit. Nos breviter, quantum fieri poterit, ex illâ Præfatione Aben Ezræ quinque illos modos recensebimus, & exemplis nonnullis illustrabimus.

Primus modus scribendi Commentaria Biblica est *prolixus* valdè; adeo ut Commentatores tales omnia, quæ sub aliquâ specie adferri possunt, etiam proferant: sic ait Aben Ezra: מפרשי התורה הולכים על חמשה דרכים הדרך האחת ארוכה ורחבה . ומנפשות אנשי דורנו נשגבה , ואם האמת בנקודה בתוך העגולה זאת הדרך . בקו הרחב הוא החוט הסובב בתחלה *Interpretes Legis incedunt quintuplici viâ. Prima via est longa & lata, & ab animis*

mis virorum nostræ generationis exaltata, & si veritas est sicut punctum in medio circuli, ista via sicut linea latitudinis, hoc est, filum ambiens in gyro. Hæc Commentaria se habent ad Textum Hebræum tanquam circumferentia ad centrum suum. Aben Ezra ibidem ait Arabes præcipuè talibus prolixis Commentariis gaudere; & adfert tres tales Commentatores, quorum primus est Rabbi Isaacus, qui composuit duos Libros in 1. Caput Gen. quique occasione *Lucis* versu 3. totam Opticam, occasione *Plantarum* vers. 12. totum Herbarium, & occasione *Animalium* vers. 24. totam Physicam tractavit. Secundus est Rabbi Saadias Gaon, qui occasione *Astrorum* Gen. 1: 14. totam Mathesin explicavit. Tertius est Raf Schemuel, qui occasione verborum *Genes.* 28: 10. *& exivit Jacob*, totum Itinerarium conscripsit. Sunt nonnulli inter Christianos, qui Arabes Judæos hac in parte sequuntur. Putant enim se eruditos esse, & eruditionem suam ostendere, quando spissa tantùm volumina conscribunt, etiamsi omnes scientias confundant. *Shickardus* facit mentionem alicujus Haselbachii, in Acad. Viennensi Professoris, qui viginti duos annos insumpserat in explicatione Capitis primi Jesaiæ, nec tamen eandem ad finem perduxerat. Hic modus scribendi Commentaria improbatur; quia scientiæ non sunt confundendæ: nam Physica, Mathesis, Optica, &c. sunt diversæ scientiæ à Theologia; & propterea eæ in Theologia ex professo non sunt tractandæ.

Secundus modus est superiori planè contrarius, & soli Textui inhærens; estque quando Commentatores tantùm respiciunt ad Textum, & ad illa quæ in Textu habentur, rejectis Traditionibus Oralibus, quæ ad Legem Divinam non pertinent. Aben Ezra inter tales Interpretes numerat Christianos & Sadducæos, quorum posteriores secundùm sententiam plerorumque Hebræorum iidem fuerunt cum antiquis & hodiernis Karræis. Ut ut sit, saltem Karræi hunc modum commentandi, rejectis omnibus Traditionibus, tanquam additamentis ad Legem, eligunt; & propterea hodierni Judæi, secundùm Traditiones magis viventes quàm secundùm Legem Mosaicam, illos Karræos summoperè oderunt. Hi Karræi Hebraicè vocantur קראים *Scripturarii*, sive *Biblici*, à מקרא *Scriptura Sacra*; quia soli Legi Mosaicæ mordicùs adhærent. Horum magnus est numerus in Polonia, Russia, Turcia, aliisque in locis. Vide ex professo de Karræis disserentem Buxtorfium *in Synag. c.* 1. Hic modus commentandi, etiamsi Aben Ezra eundem rejiciat, non est contemnendus: nam non datur Lex Oralis; ergo S. Scriptura secundùm eam non debet explicari.

Tertius modus est Allegoricus; estque talis quando literalis sensus S. Scripturæ tanquam nimis crassus rejicitur, & pleraque, quæ in Bibliis occur-

Digitized by Google

occurrunt, in Allegorias transformantur. Hic modus commentandi meritò ab Aben Ezra rejicitur; quia ita allegorizando verus S. Scripturæ sensus literalis præteritur, & sensus fictitius, in Textu nullum fundamentum habens, excogitatur. Quando Allegoriæ fundantur in S. Scripturâ, tum non sunt rejiciendæ; sed Allegoristæ illi Hebræi sæpe tales Allegorias formant, quæ non tantùm non fundantur in Textu, sed quæ Textui sunt planè contrariæ.

Quartus modus exponendi S Scripturam est Kabbalistarum, qui variis modis per literarum mutationem, transpositionem, vel per earum in numeros resolutionem, aliisve modis mysteria & dogmata quædam ex S. Scriptura eliciunt. In *Philologo Hebræo* differt 26. tredecim modos Kabbalæ enumeravimus, & variis exemplis eosdem illustravimus, qui ibidem videri possunt. Secundùm illos 13. modos quidam Commentatores mysteria eliciunt. Aben Ezra hunc modum explicandi S. Scripturam partim approbat, partim etiam rejicit. Non potuit planè rejicere; quia Judæus est: nam Judæi solent Kabbalam magni facere, eamque Legi scriptæ ad minimum æquiparare: sed huic modo commentandi limites ponit, intra quos vult ejus Commentatores sese continere debere. Concedit S. Scripturam secundùm antiquam Kabbalam explicari posse, sed rejicit speculationes novitiorum Kabbalistarum. Nos totum hunc commentandi modum, ut ridiculum & nugis plenum, planè rejiciendum esse judicamus. Ut hic modus clariùs innotescat, nonnullis exemplis eum illustrabimus: ex. gr. Quærunt, quare Pentateuchus incipiat à liter ב *beth?* Respondent, Deum ad duos Mundos (ב enim in numero significat *duo*) respexisse, scil. ad Mundum, in quo nunc vivimus, & ad Mundum temporibus Messiæ, vel post ultimum Judicium futurum. Alii Kabbalistæ ajunt Pentateuchum incipere à ב, quia sunt duæ Leges, Lex scripta, & Lex oralis: vel quia Deus creavit hominem constantem duabus partibus, animâ scil. & corpore: vel quia Deus Mundum creare voluit cum ברכה *benedictione*, cujus prima litera est ב. Præterea Kabbalistæ excogitarunt rationes, quare in primo versu Geneseos sunt septem voces, & viginti octo literæ. Ajunt Mosen respexisse ad septem planetas, & ad viginti octo lunationes, quæ mensem constituunt; aut ad viginti octo illa tempora, quorum Ecclesiastes *cap.* 3. mentionem facit. Plura exempla vide in *Philologo Hebr. differt.* 26.

Quintus & ultimus modus est eorum, qui Textum Hebræum priùs explicant Grammaticè sive Paraphrasticè, deinde doctrinas nonnullas eliciunt. Hunc modum commentandi se observaturum esse dicit Aben

Digitized by Google

Ezra, quem etiam utplurimum observavit. Eum etiam sequutus est David Kimchi in Commentariis suis, qui sæpenumero Grammaticè Textum Hebræum optimè explicavit: erat enim optimus Grammaticus. Sed Rabbi Schelomo Jarchi paululum ab hâc methodo declinavit: nam nonnunquam fabulas Talmudicas Commentariis suis Biblicis immiscuit, à quibus duo præcedentes alieniores fuerunt. Ultimus modus commentandi à bonis etiam approbatur; & propterea tres illi Rabbini Schelomo Jarchi, & præcipuè Aben Ezra, atque David Kimchi meritò magni à Judæis & Christianis fiunt; quia sæpe Textum Hebræum optimè explicârunt. Vide *Jonam Illustratum.*

II. *Secundò quæritur.* An Commentaria Biblica Rabbinorum habent aliquam utilitatem?

Resp. 1. Diversæ & planè contrariæ Christianorum quorundam de Commentariis Rabbinorum fuerunt sententiæ. Ribera Jesuita passim in Comment. suis in 12. Prophetas, Hebræos carpit ac vellicat, & quasi fungi essent ac stipites, superciliosè fastidit. In proœmio in Sophoniam ait, nullum Scriptorum genus esse indoctius; nullum nugarum & fabularum appetentius; & ab omnium disciplinarum studio abhorrere; Linguæ Hebraicæ proprietatem, & vocabula quamplurima ignorare; esse quidem quædam in Hebræis magistris, quæ prosint, sed tot esse quæ noceant, ut abjicienda etiam censeat utilia, ne legantur noxia. Hunc sequutus est Dominicus Garsias, Hebrææ Linguæ Complutensis Professor, qui in libro, vocato *Propugnacula Christianæ Religionis adversus perfidiam Judæorum,* vehementer in Rabbinos insurgit. Hos duos præcedentes longè superat *Joh. Forsterus* S. S. Theol. Doctor, & in Academ. Wittenbergensi Linguæ Hebrææ olim Professor, qui acerrimè in Rabbinos invehitur; & præcipuè in præfatione Dictionarii sui pleno ore in eos debacchatur, cum ait: *In quibus nulla lux, nulla notitia Dei, nullus Spiritus, nulla ullius disciplinæ seu artis vera & solida scientia, nulla linguarum ac ne quidem Hebrææ Linguæ cognitio. At quod ad S. Scripturæ intelligentiam, atque ad Linguæ Hebrææ cognitionem attinet, præstiterunt quod laudem mereatur omnino nihil. Nam Dictionaria & Commentaria ipsorum plus obscuritatis & erroris in Ecclesiam Christi invexerunt, quàm lucis & veritatis.* Nihilominus hic idem ait se totam vitam in Hebrææ Linguæ studio consumpsisse, & in Judæorum Synagogis longo tempore versatum fuisse, ac præceptores Hebræos domi propriis impensis aluisse. Schickardus in *Bechinath Happ. disp. 6.* ait, Forsterum fortasse antiquos Rabbinos cum hodiernis confudisse, & ex posteriorum ingenio antiquos æstimasse. Præterea putat idem Schickardus Forsterum Commen-

Digitized by Google

mentaria Biblica Rabbinorum non legisse; & hoc conatur probare ex nonnullis exemplis, de quibus aliter judicâsset, si tantùm Commentaria illa inspexisset.

Resp. 2. His oppono multos alios doctissimos, inter Christianos Doctores, qui Commentaria illa Biblica non sine ratione ferè ad coelum laudibus extulerunt: nam Commentatores Biblici verba quodammodo difficilia excusserunt, linguæ Idiotismos explicarunt, parallelas phrases adduxerunt, per illas genuinum contextûs sensum elicuerunt, sæpe multa nulli Christianorum observata annotârunt. Audi hâc de re Munsterum in præfat. Bibliorum suorum, ubi expressè negat aliquem absque Rabbinorum suppetiis S. Scripturam dextrè interpretari posse. *Suo loco ostendam, quàm hallucinati sunt quidam, qui citra Hebræorum suppetias, Hebraicum textum nostro ævo interpretari conati sunt. Id quod divus Hieronymus tentare noluit, qui semper conductitium apud se habuit Judæum, qui illi in difficilioribus locis Rabbinorum suggereret expositiones.* Ipse Hieronymus in *Nahum. cap.* 2. idem ait: *Testis est mihi Dominus me Hebræorum sequi expositionem, à quibus non modico tempore eruditus, debeo meis simpliciter indicare quæ didici.* Morinus in *Exercit. Biblicis lib.* 1. *exercitat.* 5. *cap.* 2. *sect.* 2. ex variis scriptis Hieronymi probat eum usum fuisse quinque præceptoribus Hebræis, à quibus diversis temporibus edoctus, aggressus tandem est Vetus T. interpretari. Et *in præfat. in Jobum* testatur se Hebræum quendam præceptorem ob libri istius intelligentiam non parvis nummis redemisse. His annumerari etiam debet Capnio, aliàs appellatus Reuchlinus, qui præceptori Judæo pro singulis horis singulos aureos persolvit, teste Amamâ in Antibarb. Similiter Fagius in *præf. Exeges.* 4. *capp. Genes.* ait: Hoc ausim, affirmare, neminem sine Rabbinorum lectione & adminiculo ad solidam Hebraicæ Linguæ cognitionem unquam esse perventurum. Buxtorfius in Lexico suo sæpissime sententiam Rabbinorum circa verbalem vocum Hebraicarum expositionem sequutus est. Commentaria ergo Biblica Judæorum sunt magni facienda. Nolumus hîc de Masorâ agere, quæ S. Scripturam diu incorruptam servavit; nec de Paraphrasibus Chaldaicis, quæ multa Veteris T. loca etiam difficillima sæpenumerò optimè explicârunt: sed loquimur præcipuè de Commentariis Biblicis, quæ Christianis, ad S. Scripturam benè intelligendam, lectu utilia, & quodammodo necessaria esse statuimus; & quidem propter has sequentes rationes.

Ratio 1. Quia multæ voces Hebraicæ tam quoad Grammaticam, quàm quoad significationem optimè à Rabbinis explicantur: ex. gr. *Joel.* 2: 5. occur-

Digitized by Google

occurrit vox ערוך *dispositus*. Jarchi ait hanc vocem esse דבוק *conjunctam*, h. e. in regimine, & præterea non notari vocali Kametz, sicuti in statu absoluto notari deberet. Kimchi perfectiùs hoc Participium explicat, cum ait, העין בשוא וסגול והוא פעול סמוך *Ain* notatur *cum Scheva & Segol* (h. e. Chateph-Sægol) *estque Pahul in regimine* (h. e. Partic. Præteritum.) *Vide Joel. explic.* Sic *Joel.* 2: 8. בעד explicatur à Kimchio per על *super.* Infinitæ tales voces adferri possent, quæ quoad Grammaticam à Rabbinis explicantur: sed eas quære in ipsis Rabbinis.

Etiam quoad significationem infinitæ ferè voces à Rabbinis illustrantur: ex. gr. *Joel.* 2, 8. occurrit nomen השלח. Aben Ezra explicat illud nomen per כלי המלחמה *Instrumenta bellica*, & Kimchi per הסיף *gladium.* Vide infinita talia loca explicata in ipsis Rabbinis, & in *Lex. Hebr. & Chald. Buxtorfii.* Si Commentaria illa Rabbinica non extarent, multæ voces difficiles à nobis explicari non possent: nam multæ voces tantùm semel occurrunt, quarum significatio ex collatione aliorum locorum cognosci non potest; quæ propterea ex Rabbinis hauriri debet. Similiter occurrunt multa nomina avium, bestiarum, &c. quæ antiquis illis Judæis notiora fuerunt, quàm hodiernis Christianis: nam illi Commentatores Biblici ante 500. annos vixerunt, & propriores fuerunt Talmudistis, aliisque doctis Rabbinis, qui per traditionem multa à majoribus suis acceperunt. Denique qui à teneris unguiculis operam in Linguâ Hebræâ perdiscendâ insumpserunt, ac plurimis adjumentis instructi fuerunt, eos præ aliis gnaros peritosque esse rationi est consentaneum. Nolumus hic allegare voces Hebraicas & Syriacas Novi T. quarum multæ à Rabbinis explicantur; nec voces Græcas, quarum significatio ex Rabbinis sumenda est, ex. gr. *Luc.* 20: 4. οὐρανὸς *Cœlum* significat *Deum*, Metonymiâ Hebræis usitatâ.

Ratio 2. Quia multæ *phrases* & diversi *modi* loquendi in Veteri & N. T. dubii, à Rabbinis dilucidè explicantur: ex. gr. *Joel.* 1: 20. habetur non adeo usitatus loquendi modus, גם בהמות שדה תערוג *Etiam bestiæ agri clamant.* Aben Ezra ait *parabolicum esse quod arbores campi clament*, & de Nomine plur. בהמות cum verbo sing. תערוג ait, כל אחת ואחת h. e. *unaquaque* bestia clamat. Kimchi ait כל אחת ואחת והוא ענין צעקה על הצמא *Unaquæque, & significat clamorem ob sitim.*

Similiter *Jonæ* 1: 5. Jonas descenderat אל ירכתי הספינה *ad latera navis.* Aben Ezra ait, אל אחת ירכתי הספינה *in unum laterum navis*: etiam Kimchi eodem modo, exponit per אל אחת מן הירכתים *ad unum ex lateribus.* Uterque adfert, ad sententiam suam probandam, Textum ex Libro *Judicum*

Digitized by Google

cum cap. 12. *v.* 7. ubi dicitur, ויקבר בערי גלעד *& sepultus est in urbibus Gilhaditarum*, h. e. in unâ ex urbibus.

Aben Ezra in Commentariis suis ait, כלוי מעשה אינו מעשה *absolutio* vel *terminus operis non pertinet ad ipsum opus.* Ex hâc regulâ multa in S. Scripturâ dubia explicari possunt: ex. gr. *Genes.* 2: 2. habetur, *& absolvit Deus die septimo opus suum.* Græci, non intelligentes hunc loquendi modum, interpretati sunt voces *die septimo* per τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἕκτῃ *die sexto:* sed si intellexissent hunc Judæorum canonem; non fuissent illa verba ita interpretati. Intelligitur ergò *dies septimus* exclusivè.

Etiam multæ phrases Novi T. à Rabbinis optimè explicantur: ex. gr. *Marc.* 9: 1. *Gustare mortem* significat *mori. Matth.* 16: 19. *ligare & solvere* denotat phrasi Hebraicâ *interdicere & permittere. Matth.* 11: 11. *Minimus in regno Cælorum major Johanne Baptistâ* dicitur. Procul dubio per *regnum Cælorum* intelligitur *regnum Messiæ*, uti apud *Danielem cap.* 2: 44. & apud Rabbinos sæpe sumitur. *Matth.* 10: 25. *Sufficiat discipulo ut fiat sicut magister ipsius; & ut servus sit sicut dominus ipsius*, est phrasis Hebraica, quam Aben Ezra ad *Hos.* 1: 2. ita effert דיו לעבד להיות כרבו *Satis est servo, ut sit sicut dominus suus.* Hanc utilitatem describit *Lud. Capellus in Præfat. Spicilegii*, ubi ait: "Cum N. Testamenti phrasis tota sit Hebraica (etsi voces Græcæ sint) sanè penitior & accuratior ejus intelligentia pendet à Linguæ Hebraicæ, Syriacæ, Chaldaicæ, Rabbinicæ, earumque propriæ phraseos cognitione. Multa etiam sunt in N. T. in quibus Sacri Scriptores tacitè alludunt ad ea, quæ sunt in Veteri; multa item in quibus tum Christus, tum ejus Apostoli respexerunt ad mores, placita, dogmata, usum, consuetudinem, sententias, proverbia, parabolas, gnomas veterum sui temporis Judæorum, inter quos vixerunt & docuerunt." Addamus adhuc unum aut alterum exemplum, quo hoc clarè demonstretur. *Joh.* 3: 5. Christus ait: *Nisi quis genitus fuerit ex aquâ & Spiritu*, h. e. *aquâ aut Spiritu.* Duæ illæ voces idem denotant secundum morem in V. T. usitatissimum. Hinc David Kimchi talem fecit canonem. In S. Scriptura sæpe ענין אחד במלות שונות *idem sensus diversis verbis* exprimitur. Similiter phrasis *Matth.* 12: 32. occurrens, *Non remittetur ei, neque in hoc, neque in futuro sæculo*, Hebraicè denotat nunquam. Vide hoc probatum in *Jona Illustr. dissert.* 5.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO DECIMA SEPTIMA,

Quæ est pars posterior

DE

PERUSCHIM,

sive Commentariis Rabbinorum.

3. *Commentaria Rabbinica varios* Ritus *vivendi, quorum magna pars adhuc usitata est inter Judæos, dilucidè explicant.*

Quod quatuor figuris æneis probatur.

a *Hic conspiciuntur* Fimbriæ, Mesusah *postibus affigi solita, & liber* Estheræ.

b. *En Phylacteria capitis & manûs, una cum modo ea capiti & brachio alligandi.*

c. *Duo Judæi conspiciuntur, quorum unus consecrat vinum, & alter clangit tubâ.*

d. *Itidem duo alii Judæi, quorum unus in manibus gerit Pentateuchum Mosis Ms, alter indutus est Phylacteriis capitis & manûs, &c.*

e. *Commentaria Rabb. inserviunt refutandis ipsis Judæis & aliis.*

f. *Multa loca difficilia à Rabbinis solvuntur.*

g. *Inserviunt Versionibus faciendis.*

h. *Et difficilibus Textibus Novi T. explicandis.*

i. *Ut & adagiis & sententiis proverbialibus N. T. interpretandis. &c.*

III. *Trium Rabbinorum, scil. Schelomonis Jarchi, Aben Ezræ & Davidis Kimchi Nomina, Patria, Scripta. Stylus, Auctoritas & ætas ordine describuntur.*

VErsamur in quæstione de Commentariis Rabbinorum, & præcipuè Biblicis: An eadem aliquam habeant utilitatem? In medium protulimus Auctores, qui absque ulla ratione sententiam negativam defendunt: sed nos è contrà incepimus illorum Commentariorum utilitatem variis exemplis ostendere, scil. in vocibus, phrasibus & modis loquendi tam Veteris quam Novi T. Jam sequitur, ut eorum Commentariorum *tertiam utilitatem*, scil. in Judæorum ritibus explicandis proferamus.

Ratio 3. Quia varii *ritus*, quorum in Veteri & N. T. tantùm obiter fit mentio, clarè à Rabbinis explicantur; neque hoc adeo mirum est, quam multi tales ritus adhuc hodie à Judæis observentur: ex. gr. *Genes.* 17. præ-

præcipitur circumcisio, & 1. *Cor.* 7: 18. vetat Apostolus, *ne circumcisus ita vocatus attrahat præputium.* Quomodo circumcisio instituatur, & præputium rursus attrahatur, ex Rabbinis hauriri debet. Quum anterior glandulæ pellicula abscissa est, statim reliqua pars illius pelliculæ, pudendo adhuc conjunctæ, protruditur versus partem posteriorem; adeo ut tota glandula denudetur: hæc denudatio glandulæ vocatur פריעה, Qui illam pelliculam, detrusam versus posteriora, iterum retrahit versus anteriora, ita ut glandula aliquo modo rursus tegatur, ille vocatur המושך ערלתו *qui attrahit præputium.* Sic nonnulli explicant verba apud *Jer.* 9: 25. ופקד תי על כל מול בערלה *Et visitabo super omnem circumcisum cum præputio.* Talis criminis accusatur à Talmudistis Achan in Tractatu *Sanhedrin, fol.* 44. 1. עכן משוך בערלתו היה *Achan attractus præputio suo fuit.* h. e. habuit attractum præputium. Glossa Salomonis Jarchi ait, משך את עור אמתו תמיד עד שנישתרבבה וכיסתה את ראש הגיד כדי שלא יראה מהול *Attraxit pelliculam membri sui jugiter, donec recresceret, obtegeretque caput membri istius, ut non appareret circumcisus esse.* Vide Lex. Talm. Buxt. R. משך. Hinc ergo apparet, quid Apostolus velit per *attrahere præputium.*

Deinde 2. *Cor.* 16: 22. ait Apostolus: *Si quis non amat Jesum, esto anathema, maran-atha.* Quid sit Maran-atha Rabbini nos docent. Inter Judæos tres gradus excommunicationis viguerunt: primus erat נדוי *separatio*, quæ durabat 30. dies. Secundus חרם *anathema*; hic gradus erat priori gravior, & cum maledictionibus ac diris conjunctus. Tertius denique excommunicationis gradus erat Maran-atha, qui erat omnium gravissimus. Maran-atha est vox composita ex מרן *dominus*, & אתה *venit*, quasi Apostolus diceret *Dominus veniendo veniet*, h. e. tandem Dominus certissimè veniet & ulciscetur.

Similiter in Veteri T. *Deut.* 6: 8. *Etiam alligabis ea in signum manui tuæ, & erunt pro frontalibus inter oculos tuos*, quibusdam videntur literaliter mandata תפלין *Phylacteria* capitis & manûs; & *Num.* 15: 38. *Faciant sibi peniculamentum in oris vestium suarum*, videntur mandatæ ציצית *fimbriæ.* Harum, ut & Phylacteriorum mentionem facit Christus *Matth.* 23: 5. *Dilatant phylacteria sua, & producunt fimbrias palliorum suorum.* Nemo absque cognitione rituum Hebraicorum hæc Christi verba intelligere potest. Ut ergo hæc verba intelligantur, penitiùs hæc ex cognitione rituum Judaicorum sunt explicanda. Phylacteria sunt facta ex corio nigro, ex quo faciunt quadrangulum octuplicatum quatuor cellulas habens, in quibus quatuor Scripturæ loca, membranæ inscripta, includuntur. Phylacterio manûs unum, & Phylacterio capitis duo longa lora assuunt. Qui


cæteris sanctiores olim haberi volebant, dilatabant illa lora. Fimbriæ sunt fila, quatuor angulis duarum quadrangularum particularum annexa. Qui majorem sanctitatem præ se ferre volebant, producebant, & longiora faciebant illa fila; & hoc est quod Christus ait: *Producunt fimbrias.*

Ut Lectores ad oculum Phylacteria & Fimbrias, ut & multas alias vivendi cæremonias Judaicas conspicere possent, curavi exsculpi diversas figuras, quæ illas cæremonias exhibent. Nemo de genuinâ formâ harum figurarum dubitet: nam eæ sunt depromptæ ex ipsis ritualibus Judæorum, in quibus tali fere modo expressæ sunt. In hac primâ Tabellâ, divisa in quatuor partes, multa exprimuntur, quorum in sequentibus subinde mentio fiet.

Contenta in his figuris sic obiter explicantur.

1. In hac primâ figurâ exprimitur Judæus indutus veste quadrangulâ, quam singuli Judæi ab anno decimo tertio tenentur induere. Constat duabus quadrangulis particulis, quæ parvis vittis desuper colligantur. Ambæ hæ quadratæ particulæ à fronte & à tergo humeris dependent. Et quando eas humeris injiciunt, recitant hanc benedictionem: *Benedictus esto, ô Deus, qui nos sanctificâsti præceptis tuis, & mandâsti, ut amiciamur zizith.* A singulis angulis longa fimbria, octo filis albis & laneis constans, per quinque nodos deorsum pendet. Harum fimbriarum Christus meminit *Matth.* 23: 5. *Producunt fimbrias.* Has probant ex Num. 15: 37. & Deut. 22: 12. *Filii Israëlis faciant sibi fimbrias per angulos palliorum, &c.* Quare eas gerunt? Ut mandata Dei perpetuò meditentur, & à peccatis avocentur. Vide totam fimbriarum fabricam in *Synag. Buxt. c.* 9. *edit. post.*

2. Hic Judæus in sinistro manu habet מזוזה *Mesusah*, quæ dextero posti omnium januarum domûs extrinsecè affigitur. Est propriè canna sive pixis, cui intrusa est membrana continens quosdam versus Veteris T. Hanc Mesusam probant ex *Deut.* 6: 9. *Inscribes ea postibus domûs tuæ, & portis tuis.* Aversæ ejus parti inscribunt nomen Dei שדי *Omnipotentis*, quod per foramen, in medio cannæ factum ab introeuntibus conspici potest. Quotiescunque homo pius vel domo suâ egreditur, vel eam ingreditur, manu suâ Mesusam hanc tangere tenetur. Antequam eam posti affigunt, vel fossulæ postis inserunt, hanc præmittunt benedictionem: *Benedictus sis, ô Domine Deus noster, Rex mundi, qui nos sanctificasti præceptis tuis, & præcepisti nobis postibus infigere Mesusam.* Hi duo Textus membranæ insribuntur: Deut. 6: 4, 5, 6, 7 8, 9. שמע ישראל יהוה אלהינו יהוה אחד׃
ואהבת את יהוה אלהיך בכל לבבך ובכל נפשך ובכל מאדך׃
והיו



Phylacteria.



Liber Estheræ Mefusa.



Inflatio tubæ. Confecratio vini.



Indutus Phylacterys. Pentateuchus Mofis.

Digitized by Google

Digitized by Google

והיו הדברים האלה אשר אנכי מצוך היום על לבבך: ושננתם לבניך ודברת בם בשבתך בביתך ובלכתך בדרך ובשכבך ובקומך: וקשרתם לאות על ידך והיו לטטפת בין עיניך: וכתבתם על מזזות ביתך ובשעריך: Alter Textus extat cap. 11. verſ. 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19, 20. Vide de hac Meſuſah uberiùs in *Synag. Buxt.* cap. 31. In exteriori parte Meſuſæ ſcribuntur hæ voces כוזו במוכסז כיזו denotantes יהוה אלהינו יהוה ſumptis literis Alphabeti ſequentibus, ne, ſi profanatio hujus Meſuſæ fieret, etiam ſimul fieret profanatio nominum divinorum ex. gr. Pro Jod ſumunt Caph: nam Caph in Alphabeto ſequitur literam Jod: pro He ſcribunt Vau, & ſic deinceps.

3. In manu dextra eſt liber Eſtheræ, Judæi ſolent in longis & continuis membranis librum Eſtheræ deſcribere, eumque in Synagoga ex Cathedrâ, magnâ cum lætitiâ, in feſto Purim, quod incidit in 14. & 15. Februarii, publicè prælegere. Membranæ illæ ligno tornato alligantur, ut commodè circa illud convolvi poſſint. Hinc liber ille in Bibliis vocatur מגלת אסתר *volumen Eſtheræ:* quia circa illud lignum convolvi ſolet. Vide plura de Volum. MSS. Eſtheræ in *Philologo Hebr. diſſert.* 8.

In ſecunda figura depicta ſunt duplicia Phylacteria; ſcil. תפלין של ראש *Phylacteria ſive precatoria capitis*, quæ ſunt quaſi memoria præceptorum Dei. Probant ea ex *Deut.* 6: 8. *Ea erunt pro frontalibus inter oculos tuos.* Eſt propriè corium quadratum, in quo quatuor fiunt cellulæ, quibus includuntur quatuor Textus S. Scripturæ, qui infrà in Spicilegio *cap.* 1. *ſect.* 18. enumerantur. Oblongum & rotundum illud corium imponitur capiti ſub pileo, & duo illa lora deſuper à parte anteriori corporis dependent. Qui alios pietate ſuperare volunt, ſolent illa lora dilatare. Eò reſpexit Chriſtus, quando ait *Matth.* 23: 5. *Dilatant Phylacteria.* Hæc Phylacteria capitis alligantur diebus profeſtis, quando Judæi ſe ad preces componere volunt; & antequam ea alligant, citant benedictionem hanc: *Benedictus tu Domine &c. qui dediſti nobis præceptum Tephillin.* Abſolutis precibus ea includunt ſacculo.

Altera ſunt תפילין של יד *Phylacteria manûs*, quæ ſiniſtro nudo brachio alligant, ut ea quaſi è regione cordis eſſent. Hæc primò, ante capitis Phylacteria, annectunt. Hæc probant ex *Deut.* 6: 8. *Alligabis ea in ſignum manui tuæ.* Hæc Phylacteria etiam fiunt ex corio, ſed in illis ſolet tantùm eſſe unica capſula, & quidem rotunda, cui iidem quatuor Textus Biblici inſcribuntur. Hæc tantùm unicum longum habent lorum, quod ligatur circum nudum brachium & intra digitos manus ſiniſtræ, adeo ut illud lorum deorſum pendeat. Vide de fabrica Phylacteriorum capitis & manûs in *Synag. Buxt.* c. 9.

Digitized by Google

In tertiâ figurâ conſpiciuntur duo Judæi, quorum unus conſecrat vinum hâc benedictione: ברוך אתה יהוה אלהינו מלך העולם בורא פרי הגפן *Benedictus tu Domine Deus noster, mundi Domine, qui vineæ fructum creaveris.* Conſecratio hæc fit vel in vel pro cœtu non pauciorum quàm trium perſonarum, vel ab unâ perſonâ pro ſe ipſâ. Poculum primò ambabus manibus attollitur, ſicut David *Pſal.* 134: 2. dicit: *Attollite manus veſtras.* Poſtea ſolâ dextrâ elevatur juxta *Pſal.* 116: 13. *Poculum ſalutis attollam.* Vide *Synag. Buxt. c.* 12. Conſecrantes vinum ad Sabbathum, ſolent ad lumen candelæ ungues manûs ſiniſtræ attentè adſpicere, uti in hâc figura videmus. Buxtorfius ejus rei rationes in *Synag. c.* 16. enarrat.

Alter Judæus clangit tuba. Judæi ſolent à primo die Auguſti uſque ad 28. ejuſdem menſis ſingulis diebus manè & veſperi cornu arietis inflare. Quare? 1. In Moſis memoriam, qui primo die Auguſti ſummo manè montem Sinai ſecundò aſcendit, ad alteras tabulas lapideas petendas, &c. & cum aſcendit, in caſtris cornu occinere juſſit. 2. Cornu inflant, ut Dei judicium in mentem ſibi revocent, & expaveſcant. 3 Ut exſurdetur & hebetetur Satanas, ne verum anni principium cognoſceret: nam primo die anni Moſes cornu inflare expreſſè juſſit *Num.* 29: 1. *Dies clangoris eſt vobis.* Vide *Synag. Buxt. c.* 23. Ipſo die expiationis etiam clarum & protractum ſonum cornu emittunt. Quare? 1. In ſignum quod Majeſtas Divina diſceſſerit. 2. In ſignum libertatis. 3. In ſignum lætitiæ & victoriæ. 4. In memoriam Jubilæi, qui hoc die ſolet incipere. Vide *Synag.Buxt.c.*26.

In hac quarta & ultima figura exhibentur duo Judæi quorum unus oſtendit publicè in Synagoga Pentateuchum Moſis MS. quod duobus tornatis lignis alligatum eſt. *Vide de Pentat. MSS. diſſert.* 34. *Philologi Hebræi.* Hujus capiti impoſitum eſt טלית גדול *Talleth ſive pallium magnum*, à cujus ſingulis angulis dependent fimbriæ, ſingulæ habentes octo fila quinque nodis ligata. Hoc palliolum ſolent in Synagogis capitibus ſuis imponere quando precantur & ſacra peragunt. In ſiniſtro latere hujus Judæi conſpicitur circulus, qui denotat ſignum diſtinctivum flavei coloris in externo palliolo, quo Judæi in Germania à Chriſtianis diſtingui ſolent.

Alter Judæus indutus eſt Phylacterio capitis & Phylacterio manûs; prout ea ſtatim deſcripſimus; habens in manu libellum precum, ex quo preces ſuas recitat. E diverticulo jam in viam revertamur.

Etiam varii ritus, in cœna à Chriſto adhibiti, ex cognitione rituum Judaicorum, in Feſto Paſchatis adhiberi ſolitorum, optimè explicantur. Præterea alii ritus ex Judæorum ſcriptis illuſtrantur: ut quid ſit Korban, *Matth.* 15: 5. qualis fuerit potus, quem Chriſtus *Matth.* 27: 34. recuſavit?
&

Digitized by Google

& quare recuſavit? ne mens diſtraheretur: nam Judæi ſolebant occidendis præbere potum, quo mens alienaretur, ut occidendi pœnam minus ſentirent. Ritus flagellationis, de quo Paulus 2. *Cor.* 11: 24. conqueritur, quod quinquies acceperit quadraginta plagas minus una. Quare Judæi tantùm infligunt 39. plagas, & non 40. prout lex *Deut.* 25. videtur mandare? Ea omnia, ut & multa, ritus Judæorum ſpectantia, ex Commentariis Rabbinorum clara fiunt. In ſpecie de flagellatione vide infrà *diſſert.* 49.

Ratio 4. Quia Commentaria Rabbinorum inſerviunt refutandis tum ipſis Judæis, tum etiam aliis. Multa loca Veteris T. de Meſſiâ agentia, ſincerè & chriſtianè à multis Judæis explicantur; adeo ut Judæorum teſtimonia ipſos Judæos refutent: ex. gr. In *Geneſi cap.* 49. *verſ.* 10. de Meſſiâ agi, probatur, præterquam ex tribus Paraphraſibus, etiam ex R. Salomone in Pſalmum ſecundum, ubi ait Veteres Rabbinos eum locum de Meſſiâ expoſuiſſe: רבותינו דרשו את הענין על מלך המשיח *Rabbini noſtri myſticè expoſuerunt ſenſum de Rege Meſſiâ.*

Similiter *Mich.* 5: 2. ait Propheta, ממך לי יצא להיות מושל *Ex te mihi prodibit ut ſit dominator*, R. Salomo ſic chriſtianè explicat ממך יצא לי משיח בן דוד וכן הוא אומר אבן מאסו הבונים *Ex te exibit mibi Meſſias filius Davidis, & ſic ille* (ſcil. David *Pſal.* 118: 22.) *dicit, Lapis quem reprobârunt ædificantes.* Hinc videmus hunc Rabbinum non tantùm illum Michæ locum, ſed etiam Davidis de Meſſiâ explicare.

Præterea Caput *Jeſaiæ* 53. (cujus unius lectione ſe ad fidem Chriſtianam converſum fuiſſe teſtatur Jo. Iſaacus) tam à Paraphraſte Chaldæo, quàm à priſcis Hebræorum doctoribus, referente Abarbanele ad hunc locum, de Meſſiâ exponitur. Etiam R. Moſes Nachmanides, magni nominis Rabbinus, ita de Meſſiâ hoc caput explicavit. Denique *Jeſ.* 52: 3. habetur: *Ecce ſervus meus* (textus Chaldæus addit *Meſſias*) *proſperabitur: is exaltabitur, & extolletur, &c.* Abarbanel ingenuè fatetur antiquos Hebræos hunc locum ſic interpretatos eſſe, ſcil. Meſſiam eſſe exaltandum ſupra Abrahamum, extollendum ſupra Moſen, ac ipſis denique Angelis fore ſublimiorem. Vide *Præfat. Cartwrigti in Geneſin.*

Non tantùm Judæorum, ſed etiam aliorum falſæ expoſitiones circa S. Scripturam ex Judæorum ſcriptis refutantur: ex. gr. Pontificii ex *Matth. cap.* 12: 32. *Non remittetur ei, neque in hoc, neque in futuro ſæculo*, conantur probare dari remiſſionem peccatorum poſt hanc vitam; ſed fruſtrà: nam hic modus loquendi eſt uſitatus apud Judæos, qui negant ullam fidelibus poſt hanc vitam eſſe remiſſionem peccatorum.

Digitized by Google

Vide Nizachon Hackspanni pag. 432. *& Jonam Illustratum dissert.* 5.

Ratio 5. Quia multa loca difficilia, quorum explicatio frustra sæpe in Commentariis Christianorum quæritur, dilucidè à Rabbinis explicantur: ex. gr. *Num.* 3: 39. Textus ait, Levitas à Mose numeratos fuisse vicies & bis mille: quum ex versibus antecedentibus, scil. 22, 28, & 34. apparet eos fuisse vicies & bis mille ac trecentos. Præterea difficultas augetur, quia *versu* 43. primogeniti dicuntur fuisse vicies & bis mille, ac ducenti septuaginta tres, & *vers.* 46. dicuntur primogeniti Levitas excescessisse numero ducentorum septuaginta trium. Hoc dubium à R. Salomone & Aben Ezra annotatur, & tali modo solvitur, scil. trecentos Levitarum fuisse primogenitos; ac propterea *versu* 39. non numerari; quod cùm ipsi, utpote primogeniti, jam Dei essent, in eorum numero; qui primogenitorum loco Deo erant tribuendi, comprehendi non debuerunt. *Vide eandem Præf. Cartwrighti, & Menassen in Concil. quæst.* 3. *in librum Numer.*

Ratio 6. Quia Commentaria Rabbinorum etiam egregiam præstant operam in Versionibus vernaculis formandis. Hinc Munsterus in præfatione Bibliorum suorum negat aliquem absque Commentariis Rabbinorum Sacram Scripturam dextrè explicare posse; etiam ait Divum Hieronymum propterea conductitio præceptore Hebræo usum fuisse, quem in locis difficilioribus consulere potuit. *Vide dissert. præced. quæst.* 2. Ob hanc etiam causam multi Interpretes tam Protestantes quàm Pontificii, quia Judæorum vitula arârunt, multa Veteris T. loca tàm facilè & feliciter explicârunt. Etiam Buxtorfius in Lexico suo sæpissime voces Hebraicas transfert secundùm explicationem Commentatorum Biblicorum. Nolo adferre loca: quia eadem passim in illo Lexico cuivis obvia sunt.

Ratio 7. Quia multæ historiæ Novi T. per Commentaria Rabbinorum illustrantur: ergo eadem sunt Christianis utilia, & quodammodo necessaria: ex. gr. 2. *Tim.* 3: 8. *Jannes & Jambres dicuntur restitisse Mosi.* Quales hi fuerint, quum in tota S. Scriptura nullibi eorum amplius fiat mentio, non potest nisi ex Rabbinis indagari. Jonathan Paraphrastes *Exod.* 7: 11. ubi de Ægyptiorum Magis sermo est, Jannem & Jambrem nominat. Et *Exod.* 1: 15. idem Paraphrastes eos nominat רישי חרשיא *Principes Magorum*: & Hebræi scribunt eos fuisse duos filios Bileami. Ut ut sit, Jannes & Jambres fuerunt duo præcipui Magi, qui Mosi, coram Pharaone miracula divina edenti, restiterunt. Hæc historia temporibus Apostolorum Judæis, etiam Paulo, ad pedes celeberrimi Gamalielis enutrito, erat notissima. *Vide Lex. Talm. Buxt. Rad.* ינו.

Ratio

Ratio 8. Quia multa Adagia & Sententiæ Proverbiales Novi T. ex Rabbinorum ſcriptis explicantur: ex. gr. *Matth.* 19: 24. & *Marc.* 10: 23. docet Chriſtus, *Facilius eſſe camelo intrare foramen acûs, quàm diviti in regnum Dei.* Judæi pro Camelo habent Elephantem, לא פילא דעייל בקופא דמחטא *Non eſt elephas, qui intrat per foramen acûs.* Druſius conjicit Chriſtum loco Elephantis dixiſſe Camelum; quia Camelus in Judæâ notior erat Elephante. Judæi hâc proverbiali ſententiâ utuntur de re impoſſibili, incredibili, & inauditâ. In primâ præfat. libri Zohar ſcribitur: אנחנו בשם אלהינו ראינו להכניס פילא בקופא דמחטא *Nos in nomine Dei noſtri commodum judicavimus introducere elephantem in foramen acûs,* h.e. rem maximè arduam præſtare, vaſtum hujus libri opus in formam minorem & breviorem contrahere. *Vide Lex. Talm. Rad.* פיל. Hinc apparet quomodo hæc phraſis ſit explicanda. Similiter multa alia adagia, in N. T. occurrentia, à Rabbinis ſunt deſumpta: ut *Matt.* 10: 25. *Sufficit diſcipulo ſi ſit ſicut Dominus.* Matt. 7: 2. *Quâ menſurâ metimini, eâdem metientur vobis.* 2. Theſſ. 3: 10. *Qui non vult laborare ille non comedet.* Vide eas ex Rabbinis mutuatas in *Præfat. Cartvvrighti in Geneſin.*

Ratio 9. Quia multa nomina *locorum, feſtorum, numiſmatum*, aliorumque in Novo T. uſurpatorum, ex cognitione Scriptorum Rabbinicorum illuſtrantur: ex. gr. *Joh.* 5: 2. occurrit vox Βηθεσδά: Verſio Syriaca habet ܒܝܬ ܚܣܕܐ h. e. *domus gratiæ* aut *benignitatis*; nomen accomodum loco, in quo aquæ motu ſanabantur ægroti, quod erat argumentum divinæ gratiæ longè maximum. Alii vertunt Chaldaicè per בית אשרה *domum effuſionis*; quia in eum locum magna aquæ copia effundebatur. Similiter quid ſit Paſcha *Matt.* 27. & aſſarium *Matt.* 10. atque multa alia optimè ex ſcriptis Rabbinorum innoteſcunt. Vide de vocibus Hebraicis Novi Teſtamenti *Commentarium Druſii.* Plura de utilitate Scriptorum Rabbinicorum hîc in medium proferre poſſemus, niſi præcipue de Commentatoribus Biblicis hîc agere animus fuiſſet; nonnulla tamen ex aliis Commentariis ſubinde intermiſcuimus, ut ſimul utilitatem aliorum Scriptorum Judaicorum obiter oſtenderemus.

III. *Tertiò quæritur.* Quinam, & quales ſint præcipui Hebræi Commentatores Biblici?

Reſpondeo. Præcipui tales Commentatores Biblici fuerunt Schelomo Jarchi, Aben Ezra, & David Kimchi. De his ſunt conſideranda. 1. *Nomina.* 2. *Patria.* 3. *Scripta.* 4. *Stylus.* 5. *Auctoritas*, & 6. *Ætas.*

1. *Nomina.* S. hoc eſt Schelomo Jarchi, vocatur רבי שלמה ירחי *Rabbi Schelomo Jarchi.* Cognomen *Jarchi* idem ſignificat quod *lunaris.* Quare hic Rab-

Rabbinus à lunâ nomen acceperit, latet. Per primas literas vocatur רשי *Raschi.*

A. h. e. Aben Ezra, integro nomine vocatur רבי אברהם בר מאיר מבן עזרה *Rabbi Abraham filius Meir nepos Ezræ.* Pater fuit vocatus Meir, & avus maternus Ezra, à quo libentiùs voluit denominari, quàm à patre suo; fortassè propterea, quia voluit hoc nomine indicare se esse *lapidem auxilii* ad juvandum omnes.

D. h. e. David Kimchi, vocatur רב דוד קמחי *Rabbi David Kimchi.* Cognomen accepit à patre, qui vocatus fuit *R. Joseph Kimchi.* Habuit fratrem qui nominatus fuit *R. Moses Kimchi.* Noster David Kimchi duorum illorum, utpote in Sacris Literis olim optimè versatorum, sæpissime meminit.

2. *Patria.* S. Fuit patriâ Campanus Trecensis aut Lunensis, qui vicus est Narbonensis Galliæ, non longè à Montepessulano: & quod natione Gallus fuerit, apparet ex vocibus Gallicis, quibus voces Hebraicas, addendo בלעז *barbarè*, h. e. Gallicè, sæpenumero explicat. Aliquandiu habitavit Wormatiæ ad Rhenum in Germaniâ, ubi Judæi adhuc in illâ Synagogâ quædam vestigia illius præsentiæ ostendunt.

A. Fuit natione Hispanus; hinc sæpe se vocat ספרדי *Hispanum.* Habitavit in insulâ Rhodo, prout apparet ex Commentariis in Malach. & ex subscriptione Danieli adjunctâ.

D. Fuit etiam natione Hispanus. Tota hæc gentilitas Kimchiorum, per multos annos in Hispaniâ Scholis publicis & Synagogæ magnâ celebritate præfuit.

3. *Scripta.* S. Commentatus est in universa Biblia, quæ in Bibliis Buxtorfii locantur vel in margine interiori, vel in exteriori, vel etiam textui subjiciuntur, & ubique distinctionis ergò notantur supernè tribus literis רשי, quæ indicant ea à Schelomone esse composita. Deinde in maximam Talmudis partem scripsit Commentaria, quæ semper unà cum Talmude solent imprimi, & in latere interiori textûs Talmudici collocari. Hæc Commentaria Talmudi, codici obscurissimo, maximam lucem addunt. Hic Raschi, morte abreptus, omnia hæc Commentaria absolvere non potuit; sed substitit, uti ait Schickardus, in quarta Talmudis parte in Tractatu Makkoth. Reliqua Commentaria supplevit ejus discipulus R. Jehuda filius Nathani. Propter tot Commentaria vocatus est κατ' ἐξοχὴν פרשנדתא *Paraschandata*, h. e. Interpres.

A. Scripsit Commentaria in totum V. T. quæ tamen non semper à latere Textûs Biblici locantur; sed aliquando in fine multorum librorum conjunctim: conjunguntur ex.gr. Omnia ipsius Commentaria in 12. Prophetas minores

Digitized by Google

nores inveniuntur simul post Malachiam. Etiam scripsit librum צחות *Elegantiarum*, agentem de re Grammaticâ, sed periit.

D. Edidit ferè in universum V. T. Commentaria, quæ ubique ferè juxta Textum Hebræum in Bibliis majoribus collocantur. Etiam scripsit Grammaticam Hebræam & Lexicon. Hic Kimchi Linguam Hebræam optimè excoluit; ita ut, quicquid boni hodie habemus quod ad Grammaticam pertinet, ex ipsius scriptis primò ferè sit haustum. Fertur etiam peculiarem librum contra Christianos scripsisse, qui jam non amplius extat.

4. *Stylus*. S Stylus ejus in multis est obscurus. Usus enim fuit sermone impuro, admodum conciso & laconico, h. e. paucis multa complectente. Regulas Grammaticæ non satis ubique observavit, & Fabulas Talmudicas subinde Commentariis Biblicis immiscuit: & quia in stylo sæpe est obscurus, ideo fuerunt qui ביאורים *dilucidationes* in ipsius Commentaria scripserunt.

A. Stylus est perspicuus, & multò elegantior stylo R. Schelomonis; attamen est concisus, subtilis, & plane philosophicus; nonnunquam Philosophica, etiam Mathematica, quia in Astronomicis erat versatissimus, immiscuit.

D. Stylus est elegantissimus & comptus, regulas Grammaticæ ubique strictè observans.

5. *Auctoritas*. S. Schelomonis auctoritas est inter Judæos maxima, & major, quàm duorum sequentium: tum quia in totum ferè Talmud commentatus est; tum etiam propter eximiam sanctitatem & scientiam, quâ futuros eventus certò prædixisse fertur; adeo ut eum pro semi-Prophetâ habuerint. Ajunt, quod aliquando, quum à Duce quodam domi suæ quæreretur, se invisibilem effecerit.

A. Judæi hunc Aben Ezram propter insignem in sacris literis, & præcipuè in Philosophicis cognitionem vocarunt החכם *Sapientem*. sicuti nos Aristotelem vocamus *Philosophum*.

D. Hic magni faciendus est propter Commentaria Biblica, & alia scripta.

6. *Ætas*. S. Natus circiter Anno Christi 1030. denatus Anno 1105. postquam 75. annos vixisset.

A. Etiam vixit 75. annos. Floruit paulò post Raschi circa & post undecimum sæculum: nam librum suum *Elegantiarum* absolvit Anno Christi 1146. & Commentaria in 12. Prophetas Anno 1157.

D. Floruit post Aben Ezram circa Annum Christi 1190. nam sæpissime ejus in scriptis suis meminit.

Hæc de præcipuis Bibliorum Commentatoribus Hebræis dicta sufficiant. *Vide plura apud Schickardum in Bechinath Happer*. Cogitaveramus

Digitized by Google

hîc peculiarem dissertationem de studio Hebraico, Rabbinico & Talmudico benè instituendo annectere; sed quia Buxtorfius ex professo in ultimâ editione Epitomes suæ novissimè hoc egit, ideo illâ præteritâ, ad alia pergemus.

DISSERTATIO DECIMA OCTAVA,

DE

PHARISÆIS.

Tres fuerunt Sectæ inter Judæos; Sadducæorum, Pharisæorum & Hessæorum.

1. *Pharisæi habent nomen à separando: nam vestibus, vitæ sanctitate & ad studium legis se separabant.*
2. *Pharisæi modo fuerunt annis 140. ante Christum.*
3. *Pharisæi in principio erant boni; sed postea septem ludicris nominibus fuerunt denominati.*
4. *In omnibus tribubus fuerunt Pharisæi.*
5. *Inter Pharisæos & Monachos magna est convenientia.*
6. *Dogmata Pharisæorum ordine enumerantur.*
7. *Etiam ipsorum vitia in Novo T. recensentur.*

CUm Prophetarum vox Palæstinam sub priore Templo personaret, Idolatriam quidem sæcula viderunt, hæreses autem perversæque & pugnantes de Religione sententiæ nusquam erant: sed sub Templo secundo post excessum Prophetarum vesana & perversa de nonnullis Religionis dogmatibus permultos tenuit & invasit; tum Sadducæi, deinde Pharisæi, denique Hessæi caput extulerunt. Josephus *Antiq. Judaic. l.* 18. *c.* 2. trium Sectarum etiam meminit, sed alio ordine: *Judæi à multis retro sæculis in tres Sectas erant divisi, Essenorum, Sadducæorum, & eam quæ Pharisæorum vocata est.* In genere tres post tempora Prophetarum inter Judæos fuerunt Sectæ, scil. Sadducæorum, Pharisæorum & Hessæorum. Omnium prima quidem Secta fuit Sadducæorum, sed Pharisæorum fuit omnium celeberrima; & propterea de ea primò agere constituimus.

Objiciet fortasse nonnemo, quod etiam fuerint Sectæ ante Babylonienſe exilium: nam fuerunt quidam qui Naziræi, Kenæique, & Rechabitæ vocabantur. *Resp.* Illi quidem certâ quâdam vitæ disciplinâ, non opinionibus, sententiisque diversi à reliquo populo fuerunt; & propterea non constituerunt peculiarem Sectam.

Digitized by Google

De celeberrimâ Phariſæorum Sectâ has ſeqq. quæſtiones movebimus.

I. *Primò quæritur.* Unde פרושים *Phariſæi* derivantur?

Reſp. Circa Etymologiam nominis Phariſæi ſunt tres ſententiæ parumper diſcrepantes. *Prima* derivat Phariſæum à פרש *expandere*, vel quia dilatabant phylacteria, vel quia coram hominibus opera ſua faciebant, ut ab iis conſpicerentur. Sed hæc opinio non videtur probabilis, uti ex ſequentibus apparebit.

Secunda ſententia deducit à פרש *exponere*, *explanare*, quaſi פרושים *Interpretes* leges dicas. Verùm nec hæc opinio placet: quia legis Interpretes non vocantur פורשים vel פרושים, ſed מפרשים: ergo nominandi eſſent non Phariſæi, ſed Mephariſæi.

Tertia opinio, quæ à nobis etiam approbatur, ait Phariſæos eſſe dictos à פרש *ſeparavit*, *ſejunxit:* nam Phariſæi ſe ſeparabant à communi hominum conſuetudine.

Sed in quibus Phariſæi à communi hominum plebe ſeparati fuerunt?

Reſp. In multis. 1. A communi hominum plebe diſtincti erant veſtibus: nam utebantur veſtibus peregrinis, quæ non erant ſimiles veſtibus populi, ut hodierni Monachi facere ſolent. Hinc proverbium natum fuit; *Veſtes populi terræ conculcatio ſunt Phariſæorum.*

2. Vitæ ſanctitate & munditiâ erant ſeparati à plebe: putabant enim ſe multò eſſe ſanctiores communi populo, & legem ſtrictiùs obſervare; & propterea ſeparabant ſe ab aliis. Hinc Phariſæus *Luc.* 18: 11. gloriatur: *Ago tibi gratias quod non ſim ſicuti reliqui homines, raptores, injurii, adulteri, &c.*

3. Separabant ſe ad ſtudium legis, cui continuò incumbebant, quum plebs rebus mundanis tractandis intentior eſſet. Phariſæi antiquis temporibus vocati fuerunt חכמים *Sapientes*, & Joſephus vocat eos σοφιστάς. Etiam Phariſæos vocari Haſidæos probat ex libro *Juchâſin* Druſius *lib.* 1. *cap.* 8. de *tribus Sectis.*

II. *Secundò quæritur.* Quando orta eſt Secta Phariſæorum?

Reſp. Tempus, quo hæc Secta orta eſt valde eſt obſcurum, nec omnes auctores idem de eo ſentiunt. Verum quidem eſt quod viventibus Prophetis nullæ fuerint inter Iſraëlitas Sectæ: nam illi vivâ voce omnes contrarias S. Scripturæ opiniones, ſi quæ oriebantur, determinare poterant: ſed demum poſt Vatum exceſſum quidam caput extulerunt. Phariſæi non quidem videntur multò juniores eſſe Sadducæis; attamen nemo facilè præciſum tempus aſſignare poterit. Flavius Joſephus *lib.* 13. *cap.* 9. meminit Phariſæorum temporibus Jonathæ Aſſamonæi, annis ante Chriſti

Digitized by Google

Nativitatem ad minimum centum & quadraginta. Ergo Pharisæorum Secta orta est post Prophetas, & intra annos 140. ante Nativitatem Christi.

III. *Tertiò quæritur.* Utrum Secta Pharisæorum olim fuerit honorata, an contempta?

Resp. In principio, quando Secta hæc orta est, & aliquot deinceps sæculis, Secta hæc admodum fuit honorata: tum propter piam vitam quam vivebant; tum etiam propter opera charitatis, quæ erga pauperes aliosque exercebant. Josephus *l. 18. c. 2. Antiq. Jud.* & alibi semper eorum meminit cum honore: *Pharisæorum victus simplex est, nullis mollitus deliciis: & quicquid his ratio dictavit, id sequuntur pertinaciter, majores natu venerantur, nec audent eis responsare monentibus aut obloqui.* Ipse Paulus *Act.* 26:5. gloriatur *se inde à majoribus secundum exquisitissimam illam hæresin religiosi cultûs vixisse Pharisæum.* Nam inter Judæorum Sectas exquisitissima erat Pharisaismus, atque cæteris præstabat: & ad *Philip.* 3:5. ut inanes Pseudoapostolorum jactantias refelleret, ait se *Hebræum ex Hebræis; & secundùm legem Pharisæum esse.* Drusius *lib. 2. de tribus Sect. cap.* 19. ait eos fuisse רחמנים *clementes & misericordes:* & in margine ex Zonara annotat eos vili victu vixisse, accuratos legum & rituum observatores fuisse, & senibus honorem præbuisse. In Chronico Templi secundi vocantur אנשי חסד *viri benefici.* Sed quò magis à primævâ origine descenderunt, eò magis etiam degenerârunt, & eorum virtutes in vitia demigrârunt. Temporibus Christi *Luc.* 18. Pharisæus ille gloriabundus agebat Deo gratias, quod non esset sicuti reliqui homines, raptores, injurii, & adulteri, nec sicut ille Publicanus, qui ipso multò melior erat.

Sequioribus temporibus Pharisæi pejores facti sunt, & ob nimiam superstitionem atque arrogantiam populo risui, odio & ludibrio fuerunt: & propterea à Talmudistis *lib.* סוטה *Sota fol.* 22. *b.* his septem ludicris nominibus fuerunt denominati. 1. פרוש שכמי *Pharisæus Sichemæus.* Sicuti Sichemitæ circumcidebantur in gratiam Israelitarum, & non ad Dei gloriam, sic hi Pharisæi opera sua faciebant tantùm ut viderentur, & ab hominibus laudarentur, atque colerentur.

2. פרוש נקפי h. e. המנקף את רגליכם *Impingens pedes.* Hi erant quasi reptantes: quia ex nimiâ humilitate pedes suos in incessu non elevabant, ac proinde ad obvios lapides facilè pedes impingebant.

3. פרוש קיזאי h. e. המקיז דם לכתלים *Venam secans ad parietes.* Hi ex nimiâ humilitate & castitate oculis fermè clausis incedebant, ne unquam mulierem aut virginem obviam aspicerent; ideoque nonnunquam frontem, ad parietes allisam, cruentam reddebant & sauciam; atque propterea à clausis oculis *Cæcutientes* vocabantur.

4. פרוש

4. פרוש מדוכיא *Pharisæus mortarius.* Hi depressi & instar pistilli incurvati, quasi duplicati, sicuti gibbosi solent, incedebant. Fortè propterea ita incurvati incesserunt, ne capite erecto illiderent & impellerent pedes Dei. Quorundam enim sententia fuit Deum non in Terrâ, sed supra Terram ad distantiam quatuor cubitorum habitare.

5. פרוש מה חובתי עוד ואעשנה *Pharisæus quod est debitum meum amplius, & faciam illud.* Hi fuerunt operarii superabundantes, gloriantes se omnia legis opera præstare, & amplius adhuc præstituros si doceantur. Inter hos erat ventosus ille, *Luc.* 18. qui gloriabatur se opera supererogatoria facere, scil. dando decimas etiam de rebus minimis, & bis singulis hebdomadibus jejunando, quorum neutrum Deus ullibi in lege mandaverat.

6. פרוש מאהבה *Pharisæus ex amore*, scil. præmii. Hi colebant Deum propter promissum præmium, quod lex observatoribus suis promittit, & non ex amore timoris Domini & honoris legis.

7. פרוש מיראה *Pharisæus ex timore*, scil. pœnarum, quas lex neglectoribus & contemptoribus minatur. Hi oderunt peccare formidine pœnæ. Ex his apparet fuisse quosdam bonos Pharisæos, piè viventes, & à mundi vanitatibus separatos; alios verò Hypocritas, Deum tantùm extrinsecè & coram hominibus colentes. Vide plura in *Lex. Talm. Buxt. Rad.* פרש, & *in Thesauro Philol. Hottingeri, pag.* 25. & *seqq.* ut & in Drusio *de tribus Sectis.*

IV. *Quartò quæritur.* Ex quâ tribu Pharisæi fuerint oriundi?

Resp. Sunt nonnulli, qui Pharisæos pro magnâ parte ex tribu Simeonis fuisse scribunt; quia pars eorum erant Scribæ, quos ad tribum Simeonis refert R. Schelomo. Sed quemadmodum ex omni tribu fuerunt Scribæ, sic etiam Pharisæi: nam Hillel Pharisæus patrem habuit ex tribu Benjamin, matrem ex tribu Juda. Plurimi quoque inter Pharisæos erant Sacerdotes, ut Terphon, Josephus, & alii. *Vide Drusium de* 3. *Sectis lib.* 2. *cap.* 12. Etiam Paulus fuit Benjamita, & Hyrcanus Levita. Ex quibus apparet Pharisæos non tantùm fuisse electos ex tribu Simeonis, sed etiam ex aliis tribubus.

V. *Quintò quæritur.* Quum Pharisæi nomen habeant à separando; quia separatam vitam agebant: An non magna convenientia est inter Pharisæos & hodiernos Monachos?

Resp. Maxima inter utrosque est convenientia. 1. In *Vestitu:* nam utrique vestibus peculiaribus erant distincti à communi populo. 2. Conveniunt nominibus: Pharisæi enim & Monachi à Judæis vocantur פרושים *separati.* 3. Sicuti Pharisæi specie nimiæ humilitatis oculos & pedes vix attollebant; ita etiam Monachi, imprimis Cappucini, externa humilitatis si-

gna, capite, dorso & oculis, versus terram inclinatis, coram hominibus ostendunt. 4. Pharisæi opera supererogatoria jactabant, similiter etiam Monachi in Monasteriis suis continuò talia opera jactant, quibus non tantùm sibi eminentissimum in Cœlo gradum, sed etiam aliis se mereri posse gloriantur. 5. Pharisæi traditiones Patrum magni faciebant, & Verbo Dei præferebant; similiter etiam Monachi traditiones & decreta Pontificum supra Verbum Dei extollunt. Qui plures similitudines desiderat, adeat *Thes. Philol. Hottingeri lib.* 1. *cap.* 1. *sect.* 5.

VI. *Sextò quæritur.* Qualia fuerunt Pharisæorum peculiaria dogmata?

Resp. Ea fuerunt varia, præcipua tantum enumerabimus. 1. Omnia, vel saltem pleraque ita Fato & Astris tribuebant, ut nihilominus non adimerent homini liberum Arbitrium: sic ait Josephus *Antiq. Judaic. lib.* 18. *c.* 2. *Fato quæcunque geruntur tribuunt.* Abraham Zachuth paulò aliter scribit: *Credunt Deum nosse sive curare omnes res, & Astrum juvare, nihilominus relinquitur liberum Arbitrium in manu hominis.* Præterea dicebant nullam herbam esse in terrâ, quæ non habebat proprium signum Cœleste. Hinc Astronomiæ valdè erant dediti: propterea Christus *Matt.* 16: 3. ait Pharisæis; *Faciem Cœli discernere potestis*, &c.

2. Statuebant animas impiorum descendere in infernum, & æternis cruciatibus cruciari; sed piorum animas migrare de uno corpore in aliud; quam migrationem Græci μετεμψύχωσιν appellant. Sic nonnulli explicant verba discipulorum, *Matth.* 16: 14. Christus rogat: Quem me esse dicunt homines? Respondent alii Johannem, alii Eliam, alii verò Jeremiam, aut unum ex Prophetis. Quasi dicerent: quidam ajunt animam Johannis, vel Eliæ, vel Jeremiæ, vel etiam alicujus ex Prophetis in corpus tuum migrasse. *Vide Drus. de Sectis.*

3. Secundùm traditiones Patrum vivebant, h. e. secundùm Legem oralem, quæ in N. T. vocantur παραδόσεις τῶν πρεσβυτέρων. Ex. gr. Non edebant nisi lotis manibus: *Matth.* 15: 2. *Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? non enim lavant manus suas, quum edunt.* Lotionem manuum non tanquam decentiam civilem improbamus; sed tanquam religiosam rejicimus. Et *Marc.* 7: 3. *Pharisæi non edunt nisi* πυγμῇ *pugno*, hoc est, iterum atque iterum, *laverint manus.* Etiam à foro venientes totum corpus lavabant: quia putabant cæteros homines esse impuros. Etiam observabant lotiones poculorum, sextariorum, æramentorum & lectorum, *Marc.* 7: 4. Hodierni Judæi etiam varias lotiones observant, scil. quando Synagogam ingrediuntur; & Judæorum uxores post finitum puerperium totum corpus abluere solent.

4. Il-

Digitized by Google

4 Illicitum judicabant edere cum peccatoribus, *Matth.* 9 : 11. Rogant Pharisæi: *Quare cum Publicanis & peccatoribus edit Magister vester?* Non permittebant se tangi à vulgo, *Luc.* 7 : 39. *Hic si esset Propheta, nosset utique quæ & qualis sit ea mulier quæ tangit ipsum, quod sit peccatrix.*

5. Jejunabant bis hebdomade, *Luc.* 18 : 12. scil. die Lunæ & Jovis. Sed quare illis diebus? Quia Moses die Jovis montem Sinai ascendit ad petendum secundas Legis Tabulas, & die Lunæ de monte iterum descendit, postquam à Deo veniam vituli fusi impetrasset. Etiam aliis temporibus frequenter jejunabant, *Matth.* 9 : 14. Discipuli Johannis dixerunt Christo: *Quare nos & Pharisæi multùm jejunamus, discipuli verò tui non jejunant.*

6. Dilatabant Phylacteria, & producebant fimbrias, ut opera spectarentur ab hominibus, *Matth.* 23 : 5. *De utrisque vide suprà dissert. præced.* Phylacteriis & fimbriis induti toto die incedebant; sed hodierni Judæi eadem tantùm induunt diebus profestis, quando orant, & non Sabbatho: quia Sabbathum per se satis distinguit inter Judæum & quosvis alios.

7. Longis utebantur precibus in speciem, *Matth.* 23 : 14. Orabant stantes in conventibus & angulis platearum, ut apparerent hominibus, *Matt.* 6 : 5. Hasidæi sanctiores reliquis videri volebant: & propterea novem horas precibus deputabant. Docebant orandum esse submissâ voce, exemplo Hannæ, matris Samuelis: unde in Tractatu *Berachot* scribitur: *Qui extollit vocem suam in precatione est homo parvæ fidei.* Vide Drusium *de* 3. *Sectis lib.* 2. *cap.* 15. Hodierni Judæi etiam stantes orant; & longas preces deblaterant Hebraicè, quam tamen linguam multi ex illis non intelligunt; putant nihilominus preces illâ linguâ sanctâ recitatas, etiam à non intelligentibus, ita Deo gratas esse, ac si in quâlibet aliâ notissimâ linguâ cum maximâ devotione recitarentur. Etiam tectis capitibus orant; quia mali ominis signum esse putant, si quis detecto capite inveniatur.

8. Pharisæi seipsos aliquando ita percutiebant, ut sanguis efflueret; sicuti etiam Pontificii facere solent. Quum mortuus esset Rabbi Eliezer, percutiebat se Rabbi Aquila, donec sanguis efflueret in terram. *Vide Drusium.*

9. Decimabant omnia sua, etiam minima quæque, ut sunt mentha, cuminum, ruta & anethum, *Luc.* 18 : 12. Pharisæus ait: *Decimo quæcunque possideo*, *Matt.* 23 : 23. *Væ vobis Pharisæi, qui decimatis mentham, anethum & cuminum, atque omittitis quæ graviora sunt legis, &c.* Annon Deus mandavit decimas? Deus quidem mandavit decimas dandas esse de fructibus majoribus, sed non de minoribus, ut de mentha, cumino, &c. Graviora

præ-

præcepta omittebant, & ne digito quidem attingebant; ſed minutias alias, à Deo non mandatas, curabant & obſervabant: propterea Chriſtus ait *verſu* 24. *Percolatis culicem, & camelum deglutitis.*

VII. *Septimò quæritur.* Qualia fuerint præcipua vitia Phariſæorum temporibus Chriſti?

Reſp. Vitia eorum fuerunt multa & diverſa, eaque paſſim in Novo T. perſtringuntur.

1. Hypocriſis, avaritia, ambitio, ſuperbia, &c.

2. Vocantur duces cæci, ſerpentes, progenies viperarum, ſepulchra dealbata, & filii gehennæ.

3. Chriſtus etiam monet diſcipulos ſuos, ut ſibi caverent à fermento Phariſæorum, h. e. à pravâ eorum doctrinâ.

4. In ſpecie temerè jurabant per Templum & per Altare; atque ejuſmodi juramenta nihili faciebant: ſed eum, qui per aurum Templi aut per donum, quod in Altari erat, juraret, teneri & obnoxium eſſe dicebant, *Matt.* 23: 16. 18.

5. Præterea immiſericordes erant erga parentes: non enim juvabant eos in paupertate ſuâ, ſed vovebant Deo bona ſua, de quibus parentibus ſuis ſuccurrere potuiſſent: propterea Chriſtus ait *Matth.* 15: 5, 6. *Quicunque dixerit patri aut matri, donum eſt quocunque à me juvari poſſes, inſons erit. Irritum feciſtis mandatum Dei per traditionem veſtram.* Phariſæi in egeſtate parentibus ſuis non ſubveniebant, & putabant ſe non teneri ſubvenire iis, modò feciſſent votum, quo bona ſua Deo voverant: nam Deo talia vota perſolvenda eſſe putabant: ſed Chriſtus eos propterea reprehendit. Vide plura de Phariſæis apud Druſium *de tribus Sectis.*

DISSERTATIO DECIMA NONA,

DE

SADDUCÆIS

1. *Sadducæi nomen habent à Sadoco, primo Auctore Sectæ.*
2. *Origo Sectæ Sadducæorum, quæ erat perverſa verborum Antigoni Sochai explicatio, deſcribitur.*
3. *Nata eſt hæc Secta ducentis circitèr annis ante Chriſtum.*
4. *Dogmata Sadducæorum ordine enumerantur.*
5. *Etiam ipſorum vitia.*
6. *Differentia Sadducæorum à reliquis Judæis deſcribitur.*
7. *Etiam à Samaritanis.*

Secun-

Digitized by Google

SEcunda inter Judæos Secta est Sadducæorum, quæ quidem antiquior est primâ, attamen non ita celebris in Novo T. De hâc has sequentes quæstiones movebimus.

I. *Primò quæritur.* Unde nomen Sadducæi derivetur?

Resp. Sunt duæ variantes opiniones : prior derivat à צֶדֶק *justitia:* hoc affirmant Epiphanius *lib.* 1. *cap.* 14. Nicolaus Lyr. in *cap.* 5. *Actor.* Sed hæc sententia improbatur : quia fuerunt homines impii : sic auctor *Juchas*, *p.* 139. ait: *Quod Sadducæi impii fuerint , & pravis moribus induti, unde & plebi exosi.* Vide Hotting. *Thes. Philol. p.* 35.

Posterior sententia , quæ etiam multò probabilior videtur , deducit Sadducæos à צָדוֹק *Sadok*, nomine proprio , discipulo Antigoni Sochæi, viri ad miraculum usque docti. Sadducæi ergo à Sadoko , *αἱρεσιάρχου ab Hæresiarcha*, nomen acceperunt; sicuti ab Arrio Arriani , à Pelagio Pelagiani , & à Donato Donatistæ nominati sunt. Hebraicè vocantur צדוקים. *Græcè σαδδουκαῖοι*, Latinè Sadducæi cum duplici , vel Saducæi, cum simplici d. Si respiciatur vox Hebraica & Græca , tum cum gemino dd est scribenda vox Sadducæi ; si vero auctor Sectæ, scil. צדוק *Sadok*, tum cum simplici d exprimenda est. Sed parùm refert quomodo scribatur; utraque scriptura in codicibus Latinis invenitur. Sadducæi aliàs vocabantur מינים *Minai* , Hæretici; אפיקורים *Epicuræi*; & קראים *Karræi*; quia S. Scripturæ, rejectis traditionibus mordicùs adhærebant. Sed hodierni Karræi non sunt Sadducæi : quia credunt resurrectionem, & præmio affici justos, & pœnâ injustos. *Vide Drus. l.* 3. *c.* 7. *&* 8.

II. *Secundò quæritur.* Quæ fuit origo & causa Sectæ Sadducæorum?

Resp. Antigonus Sochæus , præceptor magni nominis & auctoritatis, multos habuit discipulos ; inter cæteros etiam Sadokum & Baithosum, commilitones. Discipuli Judæorum magni solent facere verba Rabbinorum suorum , vix audent latum unguem ab iis recedere ; imo si vel Rabbinus diceret , dextram esse sinistram , & sinistram esse dextram , iis verbis etiam discipulus fidem adhibere deberet. Hic Antigonus varias vivendi leges & regulas discipulis præscripserat ; & inter cæteras de Deo colendo hanc regulam, quæ invenitur in *Pirke Abboth. c.* 1. אל תהיו כעבדים המשמשין את הרב על מנת לקבל פרס אלא הוו כעבדים המשמשין את הרב שלא על מנת לקבל פרס ויהי מורא שמים עליכם: *Ne estote sicut servi qui serviunt Domino propter mercedem, ut nempe accipiant præmium: sed estote sicut qui ministrant Principi suo, hâc conditione, ne accipiant præmium, & sit Dei timor super vos.* Ex hâc præceptoris sui regulâ duo illi discipuli, scil. Zadocus & Baithosus talem fecerunt sequelam : si Deo non debeamus servi-

Digitized by Google

re ullo mercedis intuitu, aut spe retributionis alicujus: ergo nulla post hanc vitam dabitur resurrectio mortuorum. Perversa igitur explicatio verborum præceptoris Antigoni fuit vera causa Sectæ Sadducæorum. Sic testatur Abraham Zachut in Juchasin: *Tunc erant Sadok & Baithos, discipuli Antigoni, caput, & hoc initium hæreseos: nam abierunt tempore Antigoni ad Sanctuarium montis Garizim, fueruntque ibi capita sive primores.* Et Baal Aruch ait: *Eos duas malas familias, scil. Sadducæorum & Baithusæorum constituisse.* Vide Drusium de 3. *Sectis. p.* 120. Illi ergo, qui sequuti fuerunt familiam Sadoki, vocati fuerunt Sadducæi, & cæteri Baithusæi. Priorum tantùm in Novo T. fit mentio. A Zadoko sectarii hujus Sectæ libentiùs voluerunt denominari, quàm à Baithoso: quia hic putatur fuisse spurius. Vide *Hakspan. pag.* 321. Posterioribus temporibus inter Sadducæos & Baithusæos magna fuit differentia. Sadducæi habebantur longè deteriores Baithusæis. R. Gedal. *Schal. Hakkab.* ait p. 104. *Vidi Sadducæos & Baithusæos duas esse Sectas, Sadducæos quidem longè pejores, imo planè infideles.*

III. *Tertiò quæritur.* Quo tempore Secta Sadducæorum orta sit?

Resp. Tempus præcisum nobis est ignotum. Etiam certum est nullas fuisse Sectas viventibus Prophetis: ergo post mortem Prophetarum etiam hæc Secta caput extulit. Superiori dissertatione diximus Pharisæorum fieri apud Josephum mentionem annis 140. ante Christi Nativitatem, & Secta Sadducæorum statuitur esse antiquior Sectâ Pharisæorum: ergo ad minimum ducentis fortè annis ante Christum Secta hæc viguit. Chronologi referunt initium hujus Sectæ ad annum Mundi 3700.

IV. *Quartò quæritur.* Qualia fuerint Sadducæorum peculiaria dogmata?

Resp. Sadducæi diversa dogmata, S. Scripturæ expressè contraria, defenderunt; omnia tamen non fuerunt æquè perniciosa. *Primum* omnium, & quidem pessimum ipsorum dogma fuit הכפירה בתחית המתים *Negatio resurrectionis mortuorum*, uti habetur *Matt.* 22: 23. *In illo die adierunt eum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem.* Menasse ben Israel *de Resurr. lib.* 2. *cap.* 8, 9. verbis quidem defendit fore resurrectionem mortuorum, sed magnâ ex parte eam revera rejicit: nam negat omnes & singulos homines esse resurrecturos. Excludit enim à resurrectione omnes homines, quorum animæ per μετεμψύχωσιν transmigrârunt in alia corpora. Deinde excludit Sodomitas, Corazitas, & omnes, qui hæc tria negant, scil. Deum esse, Legem Mosis esse Divinam, & fore Resurrectionem. Et in individuo à resurrectione eximit hos quatuor, Bilham, Doëg, Achitophel, & Gehazi. Et quia Sadducæi inficiabantur dari resurrectionem, ideo etiam pœnas scelerum & flagitiorum, ut & præmia bonorum operum post hanc vitam planè negabant.

2. Sad-

Digitized by Google

2. Sadducæi rejecerunt contra Pharifæos, omnes Traditiones Patrum: fed è contra, ex fententiâ nonnullorum, in defectu dicuntur peccaffe; quafi non tantùm Traditiones, fed etiam Libros Propheticos rejeciffent. Hinc Chriftus *Matth.* 22. contra eos probaturus refurrectionem mortuorum, non utitur argumento à Prophetis defumpto, fed ex Pentateucho, fcil. ex *Exod.* 3:6. *Ego fum Deus patris tui, Deus Abrahami, Deus Ifaaci & Deus Jacobi.* Hieronymus expreffè idem de Sadducæis etiam affirmat: *Sadducæi quinque tantum libros Mofis recipiebant, Prophetarum vaticinia refpuentes.* Gorionides *cap.* 29. etiam idem confirmat: *Sadducæi dicunt, ne credamus neque audiamus ullam traditionem aut ullam expofitionem, nifi folam Legem Mofis.* Vide Drufium *l.* 3. *c.* 9. Quia Drufius videt hâc de quæftione contrarias Doctorum opiniones, ideo *cap.* 10. conatur illas fententias conciliare; & conjicit illos Sadducæos, qui in Samariâ vixerunt, tantùm recepiffe Libros Mofaicos; fed alios Sadducæos, in Judæa inter Judæos habitantes, etiam Libros Propheticos pro Verbo Dei agnoviffe. Communior tamen opinio eft, quod Libros Propheticos etiam pro Verbo Dei receperint.

3. Animas hominum crediderunt effe mortales, & fimul cum corporibus interire, uti *Jofephus de bello l.* 2. *c.* 12. ait. Judæi hujus fententiæ primum auctorem faciunt Cainum, qui cum ufque ad cædem unà cum Habele contendiffet, ei dixiffe fertur, uti legitur in Targum Hierofolymitano, *Gen.* 4:8. ענִי קין ואמר להבל אחוי לית דין ולית דיין ולית עלם אוחרן ולא למתן אגר טב לצריקיא ולא לאתפרע מן רשיעיא *Sic refpondit Cain & dixit Habeli fratri fuo, non eft judicium, neque judex; neque fæculum aliud, neque merces bona juftis, vel ultio de impiis.*

4. Negant dari Angelos & Spiritus, uti dicitur *Act.* 23:8. *Sadducæi dicunt non effe refurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum.* Sub nomine Angelorum etiam Dæmones continentur.

5. Negârunt providentiam Dei, fed omnia adfcripferunt hominis libero arbitrio: fic Zonaras apud Drufium: *Sadducæi fato repudiato noftra voluntati adfcribunt omnia,* &c. Jofephus *lib.* 13. *c.* 1. ait: *Sadducæi fatum omnino negant & è rebus tollunt, dicentes nihil fataliter evenire hominibus, & omnia in noftrâ poteftate effe, ut tam felicitatis nobis ipfi auctores fimus, quàm infortunii, fi deteriora confilia fequuti fuerimus.* Et quia providentiam Divinam negârunt, ficuti etiam Epicuræi: ideo quidam Sadocum & Baithofum, auctores Sectæ Sadducæorum, faciunt etiam principes Epicuræorum.

6. Verofimile eft Sadducæos etiam negaffe Spiritum Sanctum. Non quidem clarè ex Sacris hoc docetur, probabiliter tamen colligitur ex *Actor.* 23:8, 9.

Digitized by Google

23:8, 9. *Sadducæi dicunt non esse Angelum neque Spiritum.* Ibi Textus distinguit inter Spiritum & Angelum; & multi putant per Spiritum ibi intelligi Spiritum S. nam *versu* 9. legitur; *si Spiritus loquutus est ei*, scil. de resurrectione, *seu Angelus, ne repugnemus Deo*; & *versu* 8. dicitur, quod Sadducæi Spiritum & Angelum negent.

V. *Quintò quæritur.* Quæ fuerunt Sadducæorum vitia?

Resp. Fuerunt impii & pessimis moribus prædìti: sic ait Abraham Zachuth: הם רשעים ובעלי מדות רעות *Fuerunt improbi, & malis moribus præditi.* Josephus *lib.* 2. *c.* 12. ait: *Eos duros & agrestes fuisse.* In judiciis præ cæteris Judæis erant crudeles & acerbi. Propter hæc aliaque vitia populus eos summoperè odio habebat. *Vide Drusium lib.* 3. *c.* 12, 13.

VI. *Sextò quæritur.* Qualis fuerit differentia inter Sadducæos & reliquos Judæos?

Resp. Ex antedictis Sadducæorum dogmatibus hæc differentia magnâ ex parte satis innotescit. Præterea antiqui & hodierni Judæi defendunt Traditiones Patrum, quas Sadducæi rejecerunt. Deinde differunt externis quibusdam ritibus, ex. gr. Festo expiationis tribuebant biduum. Etiam aliter explicabant præceptum יבום h. e. *de ducendâ fratriâ.* In explicatione multorum locorum S. Scripturæ tum à se, tum ab aliis Judæis dissentiebant. Vide *Hotting. Thes. Philol. p.* 36.

VII. *Septimò quæritur.* Qualis fuerit differentia inter Samaritanos & Sadducæos?

Resp. Variæ fuerunt differentiæ; præcipuas tantùm enumerabimus. 1. Samaritani sacrificabant, & sacra sua peragebant in monte Garisim, ubi Templum extruxerat Sanaballat socer Manasse sub Principatu Alexandri; sed Sadducæi sacrificabant in Templo Hierosolymitano.

2. Samaritani cum cæteris Judæis nullam familiaritatem colebant; sed se mutuo cane pejus & angue persequebantur. Non licuit Samaritano edere vel bibere cum Judæo, & vicissim nec Judæo cum Samaritano. Hinc Samaritana mulier *Joh.* 4: 9. cum admiratione interrogat: *Quomodo tu Judæus quum sis, potum à me poscis quæ sum mulier Samaritana? Non enim commercium habent Judæi cum Samaritanis*, uti Textus Syriacus ait. Summum odium inter utrosque intercessit; adeo ut Judæi noluerint concedere Samaritano, ut fieret proselytus; quum hoc privilegium nulli ex toto Mundo denegârint, nisi Samaritano. Odium hoc etiam apparet ex formulâ excommunicationis, quâ Judæi Samaritanos excommunicare solebant. *Drusius de* 3. *Sectis lib.* 3. *c.* 11. formulam talis excommunicationis ex *Ilmedenu* allegat, cum ait: " Ezras, Zorobabel & Josue congregâ-
" runt

" runt omnem Ecclesiam in Templum Domini, adduxerunt sacerdotes " 300. & buccinas 300. & libros Legis 300. totidemque pueros & clan- " xerunt. Levitæ autem canentes, omnibus generibus anathematum de- " voverunt Cuthæos, h. e. *Samaritanos*, in arcano nominis Tetragram- " mati--ne comederet ullus ex Israel panem Cuthæi (unde dictum est " qui comedit panem Samariticum, est ac si comederet carnem suillam) " & ne proselytus fieret Cuthæus, &c. „ Verùm Sadducæi familiariter conversabantur cum cæteris Judæis, imo etiam cum Pharisæis: nam *Act.* 23: 6. in eodem cœtu congregati fuerunt Sadducæi unà cum Pharisæis. In his quidem Samaritani & Sadducæi à se mutuo differebant, sed conveniebant in eo quòd ambo rejicerent Traditiones Majorum suorum.

DISSERTATIO VIGESIMA,

DE

HESSÆIS.

I. *Origo nominis Hessæi investigatur. Videtur habere nomen à* חשה *silere, tacere, vel à* חסה *latitare.*

II. *Rationes dantur quare Hessæorum nulla fiat mentio in Novo T.*

III. *Tempus & origo Hessæorum inquiruntur.*

IV. *Dogmata & singulares vivendi mores ac ritus Hessæorum enumerantur.*

V. *Dogmatum Hessæorum in N. T. fit quidem mentio subinde.*

VI. *Fuerunt Hessæi Theoretici & Practici. Hessæi non fuerunt Rechabitæ.*

TErtia & ultima inter Judæos Secta, antiqua quidem, sed cujus nullibi tota historia Evangelica meminit, est Hessæorum. De hac Secta has sequentes quæstiones examinabimus.

I. *Primò quæritur.* Unde nomen Hessæi derivatur?

Resp. Non omnes eodem modo hoc nomen Hebraicè scribunt; & propterea variæ apud auctores occurrunt sententiæ circa Etymologiam Hessæorum. Hebræi scribunt חשאי, vel איסיאי; Græci. Ἐσσαῖοι; Latini Essæi, Hessæi, & Husseni: atque propter talem diversam nominis scriptionem nonnulli hoc nomen derivant 1. ab אסא *sanare*, quasi Essæi denotarent medicos spirituales, qui non tam circa corpus, quàm quidem circa animam occupati fuissent. Essæos tamen corporis morbos artis medicæ

 bene-

Digitized by Google

beneficio etiam sanâsse testis est Epiphanius. Vide *Fullerum miscell. l.* 1. *c.* 3. Etiam Josephus *de Bell. Jud. l.* 2. *c.* 12. & Philo *Hist. Eccl. l.* 2. *c.* 17. hanc Etymologiam approbant. Hessæi ergo egregiâ remediorum cognitione instructi simul corpus & animam ex Josephi, Epiphanii & Philonis sententiâ curârunt.

2. Melanchthon & Peucerus ejus etymon accersunt vel à עשה *facere, agere, operari*, quasi Hessæi bonis operibus Deo servire studuissent; vel à חזה *speculari, contemplari*, quasi vitam in contemplatione positam coluissent.

3. Alii à voce Syriacâ ܚܣܝܐ *pius, sanctus*, Essæos libentiùs deducunt; tum quia Lingua Syriaca tunc Judæis erat Vernacula; tum etiam quia cæteris Judæis sanctiores haberi volebant.

4. Alii à חשה *silere, tacere*, vel à חסה *latitare* deducunt; ita ut חשאי vel חסאי sit, qui seorsim à strepitu agit, & in locum aliquem se recipit. Hæc ultima sententia à nobis maxime approbatur: nam Hessæi non versabantur inter homines, sicuti Pharisæi & Sadducæi; sed vivebant in locis solitariis. Deinde hæc Etymologia convenit cum scriptione primâ Hebræorum, quâ Hessæum vocant חשאי. Hinc judicamus cum Drusio meliùs nomen Hessæi scribi cum H, quam sine H; quia est litera radicalis, imo duplici hh, sive duplici aspirationi magis respondet, quàm simplici: propter hanc causam etiam Johannes debet scribi cum H: quia Hebraicè dicimus יוחנן. Sed si quis τῦ *Hessæi* & *Johannis* scriptionem, apud Græcos usitatam, sequi velit, ille Latinè sine H (sed vitiosè) scribere posset: nam Græci non agnoscunt H. Sed quia utraque vox origine est Hebraica, ideo etiam præstat ad minimum cum unico H utramque vocem exarare.

II. *Secundò quæritur.* Quare historia Evangelica non æquè mentionem facit nominis Hessæorum, quàm quidem Pharisæorum & Sadducæorum?

Resp. 1. Præcipua ratio desumitur ab Etymologiâ: nam denominati sunt à latitando; quia ferè in locis solitariis, sicuti Eremitæ solent, habitabant. 2. Numerus Hessæorum fuit parvus, non tam magnus quàm quidem Pharisæorum & Sadducæorum. 3. Vivebant quietè, & non sese opponebant aliis, sicuti Pharisæi & Sadducæi: nam Hessæus vocatur חשאי à silentio sive tranquillitate. Similiter Rechabitaram in Veteri T. non est facta mentio ante *Jeremiam cap.* 25. etiamsi ex sententiâ Chronologorum tum modò ante trecentos annos fuissent: sed ita tranquillè videntur etiam vixisse.

III. *Tertiò*

Digitized by Google

III. *Tertiò quæritur.* Quando Secta Hessæorum orta, & quæ ejus est origo?

Resp. 1. Abraham Zachuth scribit Hessæos originem habuisse à Juda Galilæo, qui auctor fuit Judæis rebellandi contra Romanos. *Judas*, inquit, *innovavit Sectam tertiam eorum qui Hesseni vocantur.* Vide *Drus. l.* 4. *c.* 8. Sed hæc sententia est falsa: nam ex historia constat Hessæos fuisse diu ante Judam Galilæum.

2. Hottingerus in *Thes. Philol. pag.* 39. ait: " Originem huic Sectæ de-" disse corrupta & afflicta Macchabæorum tempora, quibus multi initio, " urgente necessitate, in speluncas se abdiderunt. Postea verò, rebus in " melius vergentibus, alii ad pristinas redierunt sedes, plerisque retentis " dogmatibus, qui Pharisæi dicti sunt, alii in montanis perseverarunt, " Essæorum sive μοναζόντων nomine gaudentes." Fullerus *Miscell. sacr. l.* 1. *c.* 3. etiam scribit Essæos piorum olim Judæorum reliquias fuisse, ex diris illis, Græcorum maximè persequutionibus ereptas. Qui primùm necessitate coacti, in loca solitaria ubi delitescerent, turbulentis & funestis temporibus se receperunt: deinceps tutis & tranquillis, suapte voluntate, pristinæ vitæ consuetudine allecti, ejusmodi in locis plerique permanserunt. Porro augescente paulatim hominum admiratione, & sanctitatis opinione inflati, planè instar Monachorum Christianorum ipsi sibi proprium quoddam vivendi institutum condere cœperunt, & ad extremum in Sectam plurimis superstitionibus obstrictam degenerârunt. Præcisum igitur tempus, quo hæc Secta orta est, & quo rursum desiit, Historici ignorant. *Josephus l.* 13. *c.* 19. *in med.* Meminit cujusdam Essæi, nomine Jude, qui vixit temporibus Aristobuli, circitèr centum annis ante Nativitatem Salvatoris: sed Essæorum Secta adhuc antiquior est. Ut ut sit de initio, saltem hæc Secta adhuc viguit temporibus Christi, & postea: nam Philo & Josephus loquuntur de hâc Sectâ tanquam tum adhuc florente.

IV. *Quartò quæritur.* Qualia fuerunt Hessæorum peculiaria dogmata, & singulares vivendi mores, atque ritus?

Resp. Ea fuerunt varia; brevitèr pleraque enumerabimus. 1. Fatum omnium rerum dominum agnoscebant, & hominibus omnia ex fato contingere statuebant. Josephus *Ant. Jud. l.* 13. *c.* 9. interprete Gelenio ait: *Esseni omnia in fati potestate esse affirmant, nec quicquam hominibus præter fati decretum accidere.* Nihilominus etiam providentiam Dei circa regimen Mundi defendebant: sic scribit idem Josephus *l.* 18. *c.* 2. *Essænorum verò placitum Universitatis regimen citra exceptionem Deo asserit, immortalitatem animis.*

2. Hessæi

2. Hessæi bona omnia habebant communia: nam quicunque ingrediebantur morem eorum, conferebant divitias suas in thesaurum: inde alebantur & sufficienter cibus & vestes ipsis præbebantur. Josephus *l.* 18. *c.* 2. ait: *Facultates in commune possident, nec aliquis dives magis utitur suis bonis; quàm quivis nihil possidens.* Illis bonis regendis præerant quæstores: sic ibidem ait Josephus: *Quæstores creant viros probos ex Sacerdotum numero, qui ex agrorum reditibus & frugum proventu cibos eis conficiunt.* Divitiarum & opum erant contemptores: nam à Josepho *l.* 2. *c.* 12. *de Bello Jud.* vocantur καταφρονηταὶ πλούτου; & Abraham Salmanticensis ait: eos ex labore vixisse & lucrum odisse.

3. Albis vestibus induti incedebant: quia Salomo *Eccles.* 9: 8. ait: *Omni tempore sint vestimenta tua candida.* Non utebantur vestibus mutatoriis, sed semper iisdem, nec eas citiùs deponebant, donec vel usu vel tempore penitus essent detritæ. Eundem morem etiam in calceis observabant. Josephus *l.* 2. *c.* 12. *de Bello Jud.* ait: *Nec vestitum sive calceos mutant, nisi aut omnino conscissis prioribus, aut longo temporis usu consumptis.*

4. Nihil inter se mercabantur vel vendebant, sed egentibus dabant, quod deerat. Vide *Josephum l.* 2. *c.* 12. *de Bello Jud.* ubi plerique vivendi mores enarrantur.

5. Hessæi voluptates quasi maleficia & peccata vitabant.

6. Non ducebant uxores antequam per triennium ipsarum valetudinem exploràssent; & si constanti purgatione apparerent idoneæ partui, tum demum eas in matrimonium recipiebant, si verò judicarent esse partui ineptas, tum eas respuebant.

7. Cum uxores reperiebantur gravidæ, non amplius congrediebantur cum iis, ut ostenderent se tantùm ad conservandum genus humanum, & non voluptatis ergò uxorem duxisse.

8. Ab unctione abstinebant. Apud Judæos quidem usus unctionis erat frequens, sed non apud Hessæos: nam probro ducebant oleum, & si quis vel invitus unctus fuerat, munditiis corpus abstergebat: nam squalorem decorem putabant.

9. Circa Deum religiosi erant. Ante Solis ortum nihil profani loquebantur, & cum ad horam quintam studiosè operati essent, rursus in unum congregabantur linteis præcincti velaminibus. Corpus sæpissime aquâ frigidâ ad debilitandas voluptates abluebant.

10. Hessæi iracundiam cohibebant, fidem servabant. Jusjurandum quasi perjurio deterius vitabant.

11. Maximâ cautione novitios ad Sectam suam recipiebant. Per integrum

grum annum extrinsecus commoranti eundem cibum tribuebant, & dabant in manum eorum securim, & induebant eos indumento candido. Post peractum annum adducebant novitios in medium cœtûs, & docebant eos lavare: deinde duobus sequentibus annis mores eorum probabant. Postea magnis execrationibus adjurabant se primùm quidem velle colere Deum, deinceps quoque erga homines servare justitiam, & neque propria sponte nocere cuiquam, neque ex præcepto obesse, &c. Vide plura apud *Josephum loco citato.*

12. Delinquentes graviter puniebant, & à congregatione suá depellebant. Jus contra aliquem dicturi centum viros congregabant, qui reos & improbos è cœtu expellebant, & expulsos cibabant herbis malis, donec attenuetur spiritus eorum, & moriantur fame.

13. Solebant senes honorare, nec loquebantur coram eis nisi veniâ impetratâ, neque spuebant in medio eorum. Inter omnes senes maximè honorabant Mosen. Si quis verba blasphemiæ loqueretur contra eum, puniendo puniebatur ad mortem.

14. Strictissimè Sabbathum observabant. Josephus *loco citato* ait, eos alvos suos ipso Sabbatho raró exonerâsse, nisi admodum urgente necessitate. Sed an exonerando ventre Sabbathum profanatur? *Resp.* Hessæi, volentes pedes suos tegere, primùm fodiebant foveam, in qua ejecta sua, ne splendori divino injuriam facerent, recondebant: deinde opere absoluto, iterùm foveas terra implebant; atqui fodere terram, eamque implere sunt opera, quæ putabant sibi Sabbatho esse interdicta: & ne premerentur Sabbatho necessitate exonerandi, utebantur cibo tenui.

15. Seorsim & non in templo sacrificabant; sic ait Josephus l. 18. c. 2. *Ad templum donaria mittentes sacra ibi non faciunt, quòd sanctioribus utantur ceremoniis, quapropter exclusi à communi fano seorsim sacrificant.*

16. Agriculturæ erant dediti, & agris colendis vacabant.

17. Non habebant servos; quia defendebant omnes homines naturâ esse liberos: & propterea ipsi per se viventes sibi invicem ministrabant.

18. Hessæi respectu matrimonii divisi erant. Alii enim ducebant uxores, sed sub cautelâ aliquâ, uti suprà diximus; alii verò cælibes manebant: quia credebant plerasque fœminas scortari, & nullas maritis suis fidem servare.

19. Hessæi bibentes aquam abstinebant à vino, teste Philone *in vitâ contemplat.* Hæc sunt præcipua dogmata, quæ Hessæi crediderunt, & secundùm quæ vitam suam instituerunt.

V. Antea diximus Hessæorum, nomine tenus, in Novo T. non fieri

 menti-

mentionem; attamen eorum dogmata Scriptoribus Novi T. non planè videntur fuisse incognita: nam quædam vestigia eorum in Novo T. apparent: ex. gr. Consilium de non amplius bibendâ aquâ datum Timotheo, 1. *Tim.* 5, 23. Hessæi enim bibebant aquam. Similiter 1. *Tim.* 4: 3. Prohibitio matrimonii, &c. Vide Godvvin in *Mose & Aarone* lib. 1. c. 12. Qui ibidem etiam multis probat magnam fuisse inter Pythagoræos & Hessæos convenientiam: tum respectu dogmatum fidei; tum etiam respectu morum vivendi.

VI. Idem Godwin in eodem capite etiam distinguit inter duplices Hessæos, Theoreticos scil. & Practicos. Theoretici operam dabant speculationibus, meditationibus, & precibus, atque vivebant præcipuè in hortis & locis solitariis: sed Practici pascebant oves, & nonnulla alia opera manuum exercebant. Ex his antecedentibus jam apparet Hessæos non fuisse eosdem cum Nazireeis, uti placet Auctori Libri Juchasin; nec cum Rechabitis, uti temerè asserit Serarius. Nam etiamsi aliqua fuerit inter hos convenientia, ut quod utrique vinum non biberint, &c. inde tamen non sequitur quod fuerint iidem. Præterea temporibus Prophetarum nullæ fuerunt Sectæ, & Rechabitæ vixerunt temporibus Jeremiæ Prophetæ; ergo Rechabitæ non constituerunt Sectam, quum tamen certum sit Hessæos Sectam constituisse; & per consequens Hessæi non fuerunt Rechabitæ.

DISSERTATIO VIGESIMA PRIMA,

DE

PROSELYTIS.

I. *Proselytus est vox origine Græca.* ἑλλήνες Græci *sunt pagani, &* ἑλληνισταὶ Græcistæ *sunt Judæi utentes Linguâ Græcâ.*

II. *Proselyti sunt triplices; justitiæ, inquilini & mercenarii. Proselyti justitiæ æquales erant Judæis natis, & tribus ceremoniis inaugurabantur.*

III. *Temporibus Davidis & Salomonis difficulter receperunt Proselytos justitiæ.*

IV. *Jethro cum familia videtur factus Proselytus.*

V. *Proselyti justitiæ variis privilegiis gaudebant.*

VI. *Viri religiosi* Act. 2: 5. *fuerunt Proselyti justitiæ. Inquilini etiam describuntur.*

VII. *Sed inquilinis non dabatur venia habitandi* Hierosolymæ. *Mercenarii quales fuerint notatur.*

VIII. *Judæi non magni æstimârunt Proselytos.*

In

Digitized by Google

IN Palæstinâ præter Judæos natos etiam fuerunt Judæi facti, qui in illorum numerum recipiebantur, & iisdem ferè privilegiis cum illis utebantur. Tales facti Judæi olim fuerunt vocati Proselyti; de quibus has sequentes quæstiones movebimus.

I. *Primò quæritur.* Unde vox *Proselytus* derivatur?

Resp. *Proselytus* est vox origine Græca: derivatur enim à πρὸς *ad* & ἔρχομαι *venio*, & quidem ab ejus Præt. Pass. προσήλευμαι, σαι, ται; vel à Præt. Med. προσελήλυθα: hinc est προσήλυτος *proselytus*, *advena*, *adventitius*, qui primitùs ex Gentilismo, vel postea etiam ex Christianismo ad Judaismum convertebatur: vel qui domicilii, vel artis mechanicæ discendæ aut exercendæ ergò ad Judæos accedebat. Ab hoc nomine προσήλυτος descendit verbum προσηλυτεύω *Proselytus sum*, *advena sum*, in edit. Aquilæ Pontici *Psal.* 5:5. & 12:5. Hebraicè Proselytus, à verbo גור *peregrinari*, vocatur גר *alienigena*, *peregrinus*, à quo rursus oritur verbum cum duobus Jod התגייר *Proselytum fieri.* Proselytus Græcè nominatur ἔγγραπτος *inscriptus*, & Latinè *peregrinus*, Exod. 22:21. *Peregrino vim non facito, nec opprimito eum.*

Quidam Proselytos ex Græcis factos ἑλληνιστὰς *Græcanicos* vocant: alii tamen verisimiliùs hanc vocem latiùs sumunt, ita ut ἑλληνισταὶ *Græcanici*, *Græcistæ* significent quoslibet Judæos in Græciâ & alibi habitantes, qui Græcâ Versione utebantur; & ut ἕλληνες *Græci* denotent paganos in Græcia commorantes. Priorum fit mentio *Actor.* 6:1. *Ortum est murmur* τῶν ἑλληνιστῶν πρὸς τοὺς ἑβραίους *Græcistarum adversus Hebræos.* Per ἑλληνιστὰς intelliguntur Judæi nativitate & religione; sed vocantur ἑλληνισταί: tum quia tempore dispersionis habitaverant in Græcia; tum etiam quia Græcâ Linguâ & Græcâ Bibliorum Versione utebantur. Hi postea facti sunt Christiani. Per Hebræos verò denotantur Judæi, qui Linguâ Hebræâ & Bibliis Hebraicis utebantur. Qui ergo ex patre Hebræo vel matre Hebræâ natus erat, vocabatur Hebræus; sed ex patre & matre Hebræis natus, erat Hebræus ex Hebræis. Talis fuit Paulus ad *Philip.* 3:5. *Hebræus ex Hebræis.* Natus ex Proselyto vel Proselytâ, vocabatur בן גר *filius Proselyti* vel בן גרה *filius Proselytæ.* Natus ex patre & matre Proselytis nominatur בגבג *Bagbag*, h.e. בן גר & בן גרה.

Quare in primitivâ N.T. Ecclesiâ à religione falsâ ad veram, ab Ethnicismo vel Judaismo ad Christianismum venientes sunt vocati νεόφυτοι *recenter implantati*, & non Proselyti? *Resp.* Ut distinguerentur à Proselytis V.T. qui ad Judæos accesserant.

Digitized by Google

II. *Secundò quæritur.* Quotuplices fuerunt Proselyti?

Resp. Triplices: Proselyti *justitiæ*, Proselyti *inquilini*, & Proselyti *mercenarii.* Horum trium fit mentio *Exod.* 12: 44, 45. *Servus emtus & circumcisus*, h. e. Proselytus justitiæ factus, *edet de Paschate: sed inquilinus, aut mercenarius ne vescitor illo.*

I. Proselyti justitiæ Hebraicè vocantur גרי צדק vel גרי בני ברית *Proselyti filii fœderis, Confœderati:* aut גרים גרורים. *Proselyti tracti*, h. e. à seipsis moti ad Judaismum suscipiendum. Hi erant tales, qui non rerum externarum, sed solius religionis causâ, & gloriæ Dei studio, religionem Judaicam amplectabantur, & se totam legem Mosaicam velle observare statuebant & promittebant. Hi erant præstantissimi Proselyti, & Judæis natis habebantur ferè æquales. Qui ergo vel propter quosdam amicos, vel hæreditatis adeundæ causa, uti sæpe apud Christianos fieri solet, vel propter aliquam aliam mundanam causam Proselyti fiebant, jure Proselytis justitiæ annumerari non poterant. Tribus ceremoniis Proselyti Justitiæ in numerum Judæorum recipiebantur, scil. במילה *circumcisione*, טבילה *baptismo*, & קרבן *sacrificio.* Ita docet Maim. Hilc. Issur. c. 13. n. 1. 4. 5. בשלשה דברים נכנסו ישראל לברית וכו׳ *Tribus rebus Israelitæ ingrediuntur fœdus, circumcisione, baptismo & Korban*, h. e. oblatione. *Eodem quoque modo si Gentilis vel Christianus ad fœdus admitti voluerit, & hospitari sub alis Majestatis divinæ, & propterea receperit in se jugum legis, necesse habet, ut circumcidatur, ut baptizetur, ut offerat Korban. Si fœmina est, baptismus & Korban sufficiunt, quia dicitur* (Num. 15: 15.) Sicut vos, ita peregrinus. *Quod per circumcisionem, baptismum & Korban vos estis, id etiam secundùm generationes per circumcisionem, baptismum & Korban est Proselytus. Korban autem illud est holocaustum jumenti, vel duorum turturum, vel duorum pullorum columbæ, & par alterutrius est unum holocaustum. Sed quoniam hodierno tempore, templi defectu, Korban offerri nequit, necessaria tantummodo sunt circumcisio & baptismus.* Sed antequam alicui circumcisio vel baptismus conferebatur examinandus erat futurus Proselytus, Num spe lucri, honoris, vel metu compulsus Proselytus fieret. Et si vir fuerit, An amore virginis alicujus Israelitidis fortè illectus: si fœmina, Num amore juvenis Israelitici capta religionem Judaicam amplecti velit? Ita ait Maimon p. 2. libri *Jad*, Hilcoth אסורי ביאה c. 13. n. 14. כשיבוא הגר או הגיורת להתגייר בודקין אחריו שמא בגלל ממון שיטול או בשביל שררה שיזכה לה או מפני הפחד בא להכנס לדת. ואם איש הוא בודקין אחריו שמא עיניו נתן באשה יהודית ואם אשה היא בודקין שמא עיניה נתנה בבחור מבחורי ישראל. *Cum venerit Proselytus aut Proselyta ut amplectatur Judaismum, inquisitione*

sitione institutâ pervestigant, quâ de causâ hoc faciat? Num fortè divitias inde speret, vel hanc putet esse viam perveniendi ad dignitates, vel an faciat ex metu? Et si vir est, inquirunt, an amore puellæ Israelitidis sit captus? Si fœmina, idem faciunt & quærunt, an amore juvenis alicujus ex Israelitis flagret. Si nulla talis causa remoram injicere possit, ulteriùs pergunt, eique ob oculos ponunt gravitatem præceptorum Legis, & persecutiones atque tribulationes, quibus hodie obnoxii sunt. Si hisce non absterreatur, illico eum recipiunt, & de præcipuis fidei Judaicæ articulis instruunt: postea pœnas, quæ peccatoribus infligentur, & præmia, quibus pii coronabuntur, ob oculos ponunt. Tandem multa alia futuris Proselytis proponunt, quæ legi possunt in *Lex. Talmud. Buxtorf.* R. גור.

Si post hæc omnia constans in proposito suo maneat, sine longiori mora eum pro Proselyto recipiunt, & è vestigio circumcidunt. Circumcisione peractâ, sanguine circumcisionis eum conspergunt. Quomodo circumcisio illa fieri soleat, videri potest in Synagoga Buxtorfii *cap.* 4.

An si Ægyptii vel Æthiopes, qui modò circumcisi fuerunt, Proselyti justitiæ facti fuissent, etiam opus habuissent circumcisione? Imo. Illi quidem physicè non habuerunt præputium; habuerunt tamen præputium in genere morum: & propterea ipsorum præputium tantùm sauciabatur.

Quando vulnus circumcisionis curatum est, baptizatur, & ipso stante in aquâ, tres à latere denuo ipsi recensent pleraque præcepta legis. Si mulier sit, mulieres eam in aquam demergunt usque ad collum; judices verò foris stant, & proponunt ipsi præcepta singula, quamdiu in aquâ moratur. Baptismus perficitur non privatim, sed in præsentiâ trium testium. Quare? Ut illi de Proselytismo recepto testari possint. Et quia ad hoc negotium perficiendum requiritur Domus judicii, neque Sabbatho, neque die festo, neque noctu quis baptizari potest. Proselytum minorennem baptizant ex decreto Senatûs.

Sacrificium Proselyti olim erat Holocaustum jumenti, aut duo Turtures, aut duo Pulli columbarum in Holocaustum. Verùm hodie propter abolitionem legum ceremonialium, & per consequens etiam sacrificiorum, requiritur in viris tantùm Baptismus & Circumcisio; in fœminis verò tantùm Baptismus: at mulier gravida, facta Proselyta, non necesse habet filium suum baptizare, postquam eum peperit.

III. *Tertiò quæritur.* An temporibus Davidis & Salomonis receperunt Proselytos justitiæ?

Resp. Sanhedrin maximum illis temporibus non recepit tales Proselytos, sed quidem Synedrium minus. Quare? Sanhedrin temporibus Da-

vidis non recepit, ne fortè præ metu tales fierent; Salomonis verò, ne fortè intuitu felicitatis & magnificentiæ, in quibus Israelitæ tum vivebant, Proselyti fierent. Ita ait Maim. Hilc. Issur. c. 13. n. 15. לא קבלו בית דין גרים כל ימי דוד ושלמה. וכו' *Domus judicii*, vel Synedrium, *non recepit Proselytos toto tempore Davidis & Salomonis: Davidis tempore quidem, ne fortè præ metu converterentur; Salomonis autem, ne fortè intuitu regni, felicitatis & magnificentiæ, in quibus Israelitæ vivebant, eorum fieret conversio. Quicunque enim se convertit à Gentilismo ad Judaismum propter rem aliquam vanam & mundanam, eum Senatus summus in numero Proselytorum justitiæ habere nequit: licet autem ita sit, ac Domus judicii nullos tum temporis Proselytos fecerit; nihilominus Proselyti perquam multi sunt facti ætate Davidis & Salomonis, idque à Senatu inferiori.* Etiamsi Sanhedrin tales Proselytos non receperit, non tamen tales à Senatu inferiori receptos rejecit, sed eos toleravit, experimentum facturus de eorum conversione.

IV. *Quartò quæritur.* An Jethro cum totâ familiâ factus fuerit Proselytus?

Resp. Hoc pro certo habent Judæi. Sic R. Mose Gerundensis in Parascha יתרו ait: ותכן שהלך שם לגייר את משפחתו וחזר למשה ועודנו בהר סיני *Certum est, quod Jithro istuc iverit, ut familiam suam perduceret ad Judaismum, & rediit ad Mosen, quum adhuc in monte Sinai esset.*

V. *Quintò quæritur.* Quibus privilegiis gavisi fuerint Proselyti justitiæ.

Resp. Iisdem ferè quibus Judæi nati: nam illi fiebant cooptatione, quod Judæi habebant nativitate. In specie gaudebant 1. Jure civitatis & omnibus privilegiis, quæ Judæis exinde competebant.

2. Gaudebant jure Sacrorum. Fortassè *dices*, Gentiles & Proselyti domicilii etiam non arcebantur à Sacris: nam licebat illis etiam in subdiali Templi Deum orare, spontaneas oblationes & holocausta offerre, &c. Hæc discimus ex exemplo *Heliodori*, qui recuperatâ, precibus Oniæ, sanitate, Hierosolymis sacrificium obtulit, & vota magna nuncupavit Deo, 2. *Macchab.* 3: 35. & *Vitellii* apud Joseph. l. 18. *Antiq. Jud. cap.* 7. qui cum Herode Tetrarcha & amicis Hierosolymam ascendit, sacrificaturus Deo, in festivitate Judæorum publicâ, quæ tum instabat.

Resp. 1. Gentiles & Proselyti inquilini orabant non in Templo sed in subdiali templi, quod vocabatur Gentium; sed cæteri Proselyti orabant cum cæteris Judæis in templo. 2. Non sacrificabant omnis generis sacrificia, sed tantùm holocausta, quum Proselyti justitiæ cum aliis Judæis etiam alia sacrificia pacifica & pro peccatis &c. obtulerint. Sic ait Maimon p. 3. l. Jad. Hilc. Maase Hakkorvanoth c. 3. n. 2, 3. ואחד אנשים ואחד נשים או עבדים מביאין כל הקרבנות וכו' *Et viris, & fœminis, & servis licet,*

net; ut oblationes, quas velint, afferant. Sed à Gentibus non accipimus, nisi holocausta tantùm: sacrificia enim pacifica vel frumentacea sacra, vel sacrificia pro peccatis, sive ex ignorantia sive ex proæresi, commissis, planè ab iis non accipiunt. Quod si pacifica accipiant, accipiunt quidem, non tamen ut pacifica offerunt, sed ut holocausta; idque propterea, quod cor ejus ad Deum directum vident. Qualium ergo sacrorum jure gravisi fuerint Proselyti justitiæ? *Resp.* Quæ Judæorum propria fuerunt, & ad quæ Gentiles & Proselyti inquilini non admittebantur; scil. de esu agni Paschalis *Exod.* 12: 48. De sacrificiis pacificis & expiatoriis *Num.* 15: 14. De pensitatione sicli. De ultimo privilegio ait Maimon p. 1. l. Jad. Hilc. Schekalim c. 1. n. 7. הכל חייבים ליתן מחצית רשקל כהנים לוים וישראלים וגרים ועבדים משוחררים--אבל הכותים שנתנו מחצית השקל אין מקבלין מהם *Dimidium sicli omnes tenentur solvere, Sacerdotes, Levitæ, Israelitæ, Proselyti, & servi manumissi. — At dimidium sicli, si Gentiles offerant, ab iis accipiendum non est.*

3. Proselyti potuerunt ducere Israelitidem, & vice versâ. Non tamen Sacerdos vulgaris, vel Summus unquam Proselytam ducere potuerunt. Ita ait Maimon in Hilc. Melachim c. 8. n. 4.

4. An Proselytus potuerit fieri membrum Synedrii magni? Non. An inferioris Synedrii? Imo, si natus esset matre Israelitide.

VI. *Sextò quæritur.* Quales Proselyti intelliguntur per eos, qui *Act.* 2: 5. vocantur ἄνδρες εὐλαβεῖς *Viri religiosi* Hierosolymis habitantes?

Resp. Intelliguntur Proselyti justitiæ: nam vocantur 1. Judæi, quomodo nunquam appellantur Proselyti inquilini. 2. Habitârunt Hierosolymis, ubi non licitum fuit Proselytis inquilinis habitare. Hoc infrà ex Maim. probabimus.

II. Proselyti *inquilini* Hebraicè dicuntur גרי תושב. Quare vocantur tales *inquilini?* Maimon. in Hilc. אסורי ביאה c. 14. n. 7. scribit: ולמה נקרא שמו תושב לפי שמותר לנו להושיבו בינינו בארץ ישראל *Et quare vocatur Proselytus inquilinus? Quia licitum nobis est permittere, ut inter nos habitet in terra Israëlis.* Etiam vocantur גרי שער *Proselyti portæ*, ex *Deut.* 24: 21. vel חסירי אמות העולם *Pii gentiles seculi*; vel צדיקי אמות העולם *Justi gentiles seculi*, erantque tales, qui neque circumcidebantur, neque baptizabantur; sed quibus tantummodo locus habitandi inter Judæos concedebatur sub quâdam ex his conditionibus. 1. Ut sibi caverent ab idololatria gentilium, & ab ejus cultu abstinerent. 11. vel ut septem Noachi præcepta observarent, quorum sex dicuntur tradita Adamo & septimum Noacho, suntque hæc. 1. על עבודה זרה *de cavenda idololatria.* 2. על מרכות השם *de benedictione Dei.* 3. על שפיכות דמים *de effusione sanguinis*, sive homicidio.

4.

4. על גילוי עריות *de non revelandâ turpitudine*, ſive de fornicatione. 5. על הגזל *de rapina*. 6. על הדינים *de judiciis*. 7. על אבר מן החי *de membro animalis vivi* non comedendo. Hæc leguntur in Sanhedrin *fol.* 56. *a*. III. Vel qui etiamſi aſſentiatur ſe idola non culturum, & cætera præcepta Moſaica obſervaturum, edit nihilominus cadavera, quæ tamen *Levit*. 22: 8. prohibita fuerunt: *Morticinium aut diſcerptum ne comedito.*

Tales inquilinos Proſelytos pro tempore tantùm receperunt, ſcil. tunc, cùm adhuc Jubilæi eſſent in uſu: ſed ab eo tempore, quo ex Palæſtina ejecti in aliis locis habitârunt, nullos tales pro Proſelytis agnoverunt. Ergo *Matt*. 23: 15. fit mentio Proſelyti juſtitiæ, & non inquilini, quando Chriſtus ait: *Væ vobis Scribæ & Phariſæi, quoniam circumitis mare & terram, ut faciatis unum Proſelytum, & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo magis quàm vos eſtis.* Sed *Deut*. 14: 21. Moſes inquilini meminit, cum ait: *Peregrino qui eſt in portis tuis dabis illud*; quod Onkelos ita transfert, לתותב עריל *Inquilino præputiato*; & Jonathan לגיור עריל *Peregrino præputiato*. Talis inquilinus dicitur fuiſſe Naaman, ſecundùm *Sanhed*. c. 11. תנו רבנן נעמן גר תושב היה *Tradunt magiſtri, quod Naaman fuerit Proſelytus inquilinus.* Hinc apparet quod aliquis potuerit fuiſſe Proſelytus inquilinus, etiamſi non habitaverit inter Judæos.

VII. *Septimò quæritur*. An Proſelytis inquilinis licitum fuit habitare Hieroſolymis?

Reſp. Non fuit licitum; ſed omnia alia totius terræ Sanctæ loca iis patebant. Ita teſtatur *Maim*. p. 3. l. *Jad. Hilc.* בית בחירה c. 7. n. 14. אין נותנין בתוכה מקום לגר תושב *Proſelyto domicilii non concedunt habitandi locum in urbe Hieroſolymâ.* Quare? Propter loci ſanctitatem. Propter eandem cauſam in ea non ſinebant pernoctare mortuum, aut tranſportari per eam oſſa hominis, &c. Quæ idem Maimon ibidem deſcribit. *Vide de duabus ſpeciebus Proſelytorum plura in diſſ. Slevogti.*

III. Proſelyti *Mercenarii*, Hebraicè שכירים dicti, medii cenſentur inter inquilinos & gentiles. *Exod*. 12: 44. *Mercenarius* & *inquilinus* apertè contradiſtinguuntur; *Inquilinus aut Mercenarius ne veſcitor Paſchate.* R. Levi Barzelonita ſic deſcribit Proſelytum mercenarium, qui circumciſus quidem ſed non baptizatus eſt: ſed fallitur in eo: nam inquilinus non fuit circumciſus; multò minus mercenarius, qui longè infra inquilinum collocatur. Ideo Hottingerus in *Theſ. Philol. pag*. 19. per *mercenarios* veriſimiliùs intelligit mechanicos peregrinos, qui patriâ relictâ inter Judæos habitârunt artis mechanicæ addiſcendæ cauſâ. Hi etiam quodammodo Proſelyti erant; quia illis à Judæis leges & conditiones erant præſcriptæ, quibus ſervatis, tutò illis in Palæſtinâ habitare, artem mechanicam addiſcere,

Digitized by Google

cere, & operam suam Israelitis locare licuit. Multi nullam hujus tertiæ speciei mentionem faciunt, sed Moses *Exod.* 12: 45. ejus meminit. Proselyti Inquilini & Mercenarii ad Judæos ut plurimum accedebant intuitu sæcularis & privatæ alicujus commoditatis.

VIII. *Octavò quæritur.* An Judæi magni æstimârunt Proselytos?

Resp. Proselytos justitiæ utpote præstantissimos quodammodo æstimârunt; sed cæteros nihili fecerunt. In genere de Proselytis hoc utuntur proverbio, quod Maim. in Hilc. Issur. c. 13. n. 18. sic proponit; קשים להם גרים כנגע צרעת לישראל *Duri sunt Proselyti Israelitis sicut plaga lepra*, vel כספחת *sicut apostema;* quia plerique propter levem aliquam causam resiliebant, & seducebant præterea Israelitas, inter quos continuò versabantur. Dicuntur fuisse causa confecti vituli aurei, & plagæ illius, quæ ob desiderium carnium Israelitis inflicta fuit. Deinde quia ex gentilibus nati sunt, ideo credunt eorum liberos plerumque esse pessimos: nam ex Maacha, quam Proselytam fecit David, prodiit Absalom, qui & patrem ex Regno ejecit, & cum ejus uxoribus fornicatus fuit. Etiamsi Judæi Proselytos non magni æstimârint, non tamen licuit eos contemnere, & vitam anteactam his aut similibus verbis exprobrare; *Heri idololatra fuisti, nunc vero subiisti alas præsentia Divinæ*, &c. Attamen sibi ab illis quoddammodo cavebant, tum de non ad præstantissimum publicum munus promovendo: non enim Proselytus eligebatur in Sanhedrin; tum etiam in communi commercio cum illis exercendo. Hinc suos his verbis admonebant (Vide *Casaub.* adverf. *Baron. pag.* 27.) *Vel ad decimam usque generationem à Proselytis cave.* Hæc de Proselytis dicta sufficiant. Vide plura in *Lex. Talmud. Buxt.* & in *Thes. Philol. Hottingeri* locis suprà citatis.

DISSERTATIO VIGESIMA SECUNDA, DE

NASIRÆIS & RECHABITIS.

I. *Nomen Nasiræi est origine Hebraicum.*

II. *Nasiræi & Nazareni differunt scriptione & significatione.*

III. *A quibusdam rebus se abstinebant Nasiræi.*

IV. *Causa motiva Nasiræatûs recensentur.*

V. *Nasiræi speciali vestitu ab aliis fuerunt distincti.*

VI. *Nasiræi fuerunt Nativi vel Votivi.*

VII. *Quomodo Josephus vocetur* Nasiræus inter fratres suos, *Gen.* 49: 26.

VIII. *Ex Nasiraatu Judaico non benè probatur Monachatus.*

I. *Rechabitæ non fuerunt Judæi sed gentiles.*

II. *Ratio datur quare Jonadab speciales vivendi leges posteris suis præscripserit.*

INter Judæos fuerunt nonnulli, qui non opinionibus, sententiisque; sed tantùm certâ quâdam vitæ disciplinâ à reliquo populo diversi fuerunt. Illi Nasiræi & Rechabitæ fuerunt vocati. De utrisque has sequentes quæstiones movebimus.

I. *Primò quæritur.* Unde vox Nasiræi derivetur?

Resp. Nasiræi, Hebraicè נזירים, descendunt à נזר *separavit, abstraxit, continuit se à re aliquâ*: inde derivantur Nasiræi, qui ita vocantur quasi פרושים *separati:* quia ab aliis hominibus certo vitæ genere erant separati. Hinc נזירות significat *Separationem* vel *Nasiraatum.*

II. *Secundò quæritur.* An Nasiræus sit idem cum Nazareno, cujus mentio fit *Matth.* 2: 23. ubi *Christus dicitur habitâsse in urbe Nazareth, ut impleretur, quod per Prophetas dictum est Nazarenus vocabitur?*

Resp. Multum hæc duo nomina ab invicem differunt, tum respectu scriptionis, tum etiam respectu significationis. 1. Respectu scriptionis נזיר *Nasiræus* scribitur per *Zain*, sed נוצרי notatur per *Tsade*, à נצרת *Nazareth*, urbe Galilææ, in quâ Christus habitavit; & hoc iterum à נצר *surculo, Jes.* 11: 1. Quia Christus quasi surculus coram Patre suo crescebat.

2. Respectu significationis etiam differentia est. Nasiræus enim se separabat per votum aliquod, vel alienâ destinatione ab utero separatus erat: sed Christus Nazarenus dicitur, quia in urbe Nazareth habitabat. Hinc *Actor.* 24: 5. Paulus vocatur *pestis & princeps hæresis Nazarenorum*: non quod Christiani illi, per contemptum vocati Nazareni, sic nominati fuerint, quia speciali voto se separaverunt à quibusdam rebus: sed Paulus vocatus est princeps Nazarenorum, h. e. incolarum in urbe Nazareth. Postea quidam simul conjungentes Mosen & Christum, Legem & Evangelium, Baptismum & Circumcisionem, vocati sunt Nazareni. Horum fit mentio *Act.* 15: 1. *Quidam docebant fratres: Nisi circumcidamini ritu Mosis, non potestis servari.* Hi unà cum Evangelio legum ceremonialium observationem urserunt. Vide *Dubia Evangel. Spanhemii parte* 2. *pag.* 264.

III. *Tertiò quæritur.* A quibus se abstinebant Nasiræi?

Resp. Ab his sequentibus. 1. A vino, ab omni potu inebriante, ab aceto vini, & à potu è maceratis uvis composito: in summa ab omni re,

quæ

quæ ex vite viniferâ fiebat. 2. Sinebant crescere comam sive capillos capitis: omnibus enim diebus voti Nasiræatûs novacula non ascendebat super caput. 3. Ad cadaver mortui accedere non licebat; imo propter patrem, matrem, fratrem aut sororem non licitum erat se polluere. Quod si repentino casu aliquis mortuus fuisset, ita ut se ipsum polluerit, tunc die septimo caput suum radebat, & die octavo duos turteres, aut duos pullos columbæ ferebat ad Sacerdotem ut expiationem ageret, &c. *Num.* 6: 3, 4, 5, 6, 7, 9, 10. & seqq.

IV. *Quartò quæritur.* Quæ causæ nonnullos moverunt ut fierent Nasiræi?

Resp. Pietas, religio, spes vitæ sanctioris, &c. nam votum Nasiræatûs in se suscipiebant, ut liberiùs vacarent legi discendæ, benignitati Dei expendendæ, & ut se totos Deo ejusque cultui traderent. Quoniam verò vinum tali studio sæpe impedimento esse solet, ideo à potu illo inebriante se abstinere debebant. Hinc etiam, quia solitudo meditationi rerum sacrarum admodum apta est, Pharisæi primitùs à communi plebe & mundanis negotiis se separabant.

V. *Quintò quæritur.* An Naziræi etiam speciali vestitu fuerunt distincti?

Resp. Nasiræi induti fuerunt vestitu, scil. extrinseco, hirsuto & piloso. De Johanne Baptista, qui ab ipso utero Nasiræus putatur fuisse, scribitur *Matt.* 3: 4. *Indumentum erat è pilis camelinis.* Etiam Prophetas in V. T. tali veste indutos fuisse discimus partim ex exemplo Eliæ, 2. *Reg.* 1: 8. Quærentibus enim, qualis esset habitus viri, respondebant; *Vir est pilosus, & cingulo pelliceo accinctus;* partim ex *Zach.* 13: 4. ubi vestitus Prophetæ describitur fuisse *toga pilosa*, sive villosa. Hinc Elias, eligens Elisam in Prophetam, אדרתו *togam suam*, scil. extrinsecam & pilosam, ei injecit, in signum se eligere eum in Prophetam. אדרת designat aliquando vestem, vel pretiosam valde, qualis est Regum purpura, ut *Jonæ* 3: 6. de Rege Ninive dicitur ויעבר אדרתו מעליו ויכס שק *& deposuit togam suam magnificam à se; & operuit se sacco*, sive ut Hieronymus transfert; *& mutavit Rex purpuram suam;* vel nonnunquam denotat vestem egregiè vilem & vulgarem, maximè cum subnectitur שער. Hâc posteriori significatione sumitur *Zach.* 13: 4. *Ita erit die illo ut erubescant isti Prophetæ quisque à visione sua quum prophetaverit, neque induant togam villosam ut mentiantur.* Ubi præterea docetur etiam Pseudo-Prophetas (ut simplicitate illâ populum fallerent) ad imitationem verorum Prophetarum, simili veste indutos fuisse. Vide Fullerum *Miscell. sacr. l.* 4. *c.* 7. Nasiræi ergo, præterquam quod barbam & capillos siverint crescere, videntur vilissimo genere vestimenti, ad denotandum rerum humanarum contemptum, usi fuisse.

Digitized by Google

VI. *Sextò quæritur*. Quotuplices fuerunt Nasiræi?

Resp. Duplices; Nativi, vel Votivi. Nativi alienâ destinatione Nasiræi fiebant. Talis fuit Samson, *Judic*. 13 : 5. ubi Angelus ita alloquitur matrem: *Tu concipies & paries filium, ad cujus caput non admovebis novaculam, quia Nasiræus Dei erit puer ille ab utero*. Hic seipsum non separaverat, sed Deus eum separaverat, & quidem ab utero. Talis nativus etiam creditur fuisse Johannes Baptista: nam de eo *Luc*. 1 : 15. dicitur: *Vinum siceramque non bibet, & Spiritu S. implebitur à ventre matris suæ*.

Votivi Nasiræi erant, qui propriâ destinatione seipsos separabant. Horum conditiones & leges describuntur *Num*. 6. Tales votivi Nasiræi vel pro tempore erant tales, & tum vocabatur *Nasiraatus dierum*; vel toto vitæ curriculo tales manebant, & tum dicebatur *Nasiraatus sæculi*. Priorum fit mentio *Act*. 18 : 18. in exemplo Pauli: *Paulus totondit caput Cenchreis: habebat enim votum*; & *cap*. 21. *vers*. 23, 24. in exemplo quatuor virorum, qui voto se obstrinxerant. Sed quamdiu ille Nasiræatus temporalis sive dierum durabat? Lex tempus illud præcisè non determinavit, sed Rabbini 30. diebus seu mense uno definiverunt: tum quia Absalom trigesimo die cæsariem suam tondebat; tum quia *Num*. 6 : 5. ubi de Nasiræis agitur, habetur יהיה *erit*, quæ vox numericè denotat 30. Hoc tempore completo, caput, præmissis oblationibus, in ostio oracularis tabernaculi radebant, & cæsariem igni victimæ pro salute supposito injiciebant; atque ita votum absolvebant. Quod si, ante completos 30. dies, cadaveribus pollui eos contigisset, caput tondebant, & denuò capillos nutriebant, ac dies 30. numerabant. Paulus, assumtis quatuor aliis votum habentibus, cùm totondisset caput Hierosolymis, ingressus est templum, denuncians expletionem dierum sanctificationis, usque dum oblata fuit pro unoquoque oblatio. *Vide Lex Schindleri Rad*. נזר.

VII. *Septimò quæritur*. An Josephus fuerit propriè Nasiræus? Et quomodo dicatur *Genes*. 49 : 26. & *Deut*. 33 : 16. נזיר אחיו *Nasiræus inter fratres suos?*

Resp. Josephus non fuit Nasiræus propriè dictus, qualis describitur *Num*. 6. Sed alio respectu. Multi contendunt illud nomen illi tribui, vel quod comam diu aluerit in carcere, & ibi intonsus instar Nasiræi delituerit; vel quod moribus & innocentiâ separatus fuerit à fratribus; vel quod ab iisdem separatus fuerit loco & conversatione, sive in domo paternâ, sive secessu suo in Ægyptum, sive morâ suâ in aulâ Pharaonis: quæ tamen omnia falsa videntur. Sed vera ratio desumitur ab ejus sanctitate & ὑπεροχῇ, quâ eminuit præ fratribus, & inter fratres, atque velut *corona* fuit

fuit & decus commune fratrum. Accommodatè ergo legunt LXX. cum נזיר אחיו *Deut.* 33: 16. reddunt per δοξασθεὶς ἐπ' ἀδελφοῖς *glorificatus in fratribus.* Josephus ergo vocatur Nasiræus, h. e. *separatus*, quia supra fratres suos respectu sanctitatis, respectu dignitatis & potestatis longè eminuit. Vide *Spanh. Dub. Evang. p.* 2. *dub.* 93.

VII. *Octavò quæritur.* An ex Nasiræatu Judaico benè probetur Monachatus Pontificius.

Resp. Nullo modo. Nam 1. Monachi nec *Nativis* Nasiræis respondent, nec *Votivis.* Non *Nativis*, quia nec divino edicto tales sunt, nec destinatione parentum legitimâ & Deo probatâ. Non *Votivis*, quia istorum professio utplurimùm temporaria erat, Monachorum verò est perpetua, 2. De Nasiræis extant præcepta divina in Scripturâ, & exempla laudata. De Monachis verò est altum silentium. 3. Nasiræi soli Deo erant sacri, sed Monachi hominibus, quorum regulas profitentur, quos patronos venerantur; imo velut tutelaria numina, à quibus nomen, instituta, vitæ genus, vestem, tesseram, & alia mutuantur. 4. A Nasiræis nec humana instituta sunt observata, nec cum appendicibus monasticis observata, nec ab illis vel perfectio prætensa, vel merita jactata, vel opera supererogatoria conficta, quæ Deum de gradu dejiciunt, & hominem inflant. Vide plura apud *Spanhemium loco suprà citato.*

DE RECHABITIS.

Rechabitæ, sicuti Nasiræi, etiam certâ vitæ disciplinâ à cæteris Judæis diversi fuerunt Hebraicè vocantur בני רכב *Filii Rechab*, vel בני בית הרכבים *Filii domûs Rechabitarum.* Horum œconomia & vivendi consuetudo describitur *Jer.* 35: 5, 6, 7. *Quumque proposuissem coram filiis familiæ Rechabæorum scyphos plenos vini, & pocula; dixi eis, bibite vinum. Qui dixerunt non sumus bibituri vinum: nam Jonadab filius Rechabi pater noster interdixit nobis, dicendo, ne bibitote vinum, vos, aut filii vestri unquam. Et domum ne ædificatote, & semen ne seritote, vineamque ne conseritote, neque esto vobis: sed in tentoriis habitetis omnibus diebus vestris, ut vivatis diebus multis in superficie terræ, ubi inquilini estis, &c.*

I. *Quæritur.* Utrum Rechabitæ fuerint Judæi, an Gentiles?

Resp. Rechabitæ non fuerunt Judæi vel Israelitæ, sed Gentiles, descendentes ex Jethro socero Mosis. Jonadab filius Rechab fuit primus institutor præcepti de abstinendo à vino, &c. Hic Jonadab absque dubio fuit idem, cujus mentio fit 2. *Reg.* 10: 15, 23.

Digitized by Google

II. *Porrò quæritur.* Quare Jonadab speciales vivendi regulas posteris suis præscripsit.

Resp. Jonadab fuit vir probus, reverendus, & potens. Hic in memoriam revocans se inter Israelitas esse peregrinum, hominesque corruptioni esse obnoxios, & ad ebrietatem aliaque vitia naturâ esse proclives, interdixit posteris suis vinum: & ne nimiùm confiderent bonis temporalibus noluit eos inhabitare & possidere ædes, &c. In genere Jonadab hæc quatuor præcepta posteris suis tradidit. 1. Ne vinum biberent. 2. Ne agros colerent. 3. Ne seminarent vel vineas plantarent. 4. Ne domos ædificarent vel possiderent, sed ut viverent sub tuguriis. Sed *versu* 11. dispensâsse in uno leguntur: nam metu hostium intra Jerusalem cœperunt domos inhabitare. Hâc dispensatione ostenderunt Jonadabi præceptum fuisse tantùm humanum institutum, à quo, occasione sic se offerente, potuerunt dispensare. Quando præcisè hic Jonadab hanc specialem vivendi disciplinam instituerit, vel quando illius posteri, vocati Rechabitæ, ab hâc vivendi disciplina cessêrint, clarè ex historiis non potest demonstrari; ideoque contenti illis, quæ *Jer.* 35. de Rechabitis scribuntur, hic subsistimus.

DISSERTATIO VIGESIMA TERTIA,

DE

SCRIBIS & HERODIANIS.

I. *Nomen Scribæ sumitur vel Politicè vel Ecclesiasticè.*

II. γραμματεῖς Scribæ *magis in theoria;* & Νομικοὶ *vel* Νομοδιδάσκαλοι Legisperiti *magis in praxi videntur versati.*

III. *Scriba non est nomen Sectæ, sed est nomen muneris & officii.*

IV. *Prima origo Scribarum videtur ad Esram referenda.*

V. *Auctoritas Scribarum describitur.*

VI. *Scribæ ubique per totam Judæam habitabant.*

VII. *Scribæ ex qualibet tribu fuerunt oriundi.*

VIII. *Vestitus Scribarum fuit peculiaris.*

I. *Herodiani non constituerunt peculiarem Sectam.*

II. *Sed videntur ita vocati: quia erant servi aut domestici aulæ Herodianæ.*

QUia in sacrâ & profanâ historiâ sæpiusculè Scribæ, qui Hebraicè סופר, Græcè γραμματεὺς vocatur, mentio fit; ideo de eo has quæstiones tractabimus.

I. *Primo quæritur.* Quid Scriba propriè denotat?

Resp. Nomen Scribæ est vel nomen politicum vel ecclesiasticum.

Digitized by Google

Politicè Scribæ denotant apud Talmudicos. 1. מלמדי תינוקות *Praeceptores puerorum*, qui docent pueros legere & ſcribere. *Vide Lexic. Talmud. Buxt.*

2. Significant Scribas inferiores ſive Notarios, qui acta privata pro populo conſcribunt: hi 2. *Macch.* 5: 42. vocantur γραμματεῖς τῦ λαῦ *Scribæ populi*. Etiam de Herode dicitur, quod *Matth.* 2: 4. congregaverit γραμματεῖς τῦ λαῦ *Scribas populi*. Sed præſtat per hos intelligere publicos doctores, qui coram populo Legem & Prophetas explicabant.

3. Politicè denotant Scribas ſuperiores & regios, qui ſcribendo regibus ſive magiſtratui operam præſtant, & res geſtas, acta publica, cenſus & reditus conſcribunt. Tales 2. *Reg.* 12: 10. vocantur סופרי המלך *Scribæ Regis*. Inter hos erant Seja 2. *Sam.* 20: 25. & Saphan 2. *Reg.* 22: 3.

Eccleſiaſticè Scribæ ſignificant. 1. Criticum ſacrum, qui criticè circa S. Scripturam verſatur, ſcil. eam priſtino nitori reſtituendo, & à corruptione conſervando. Tales fuit Eſras, qui *Eſra* 7: 6. vocatur סופר מהיר *Scriba celer*. Tales fuerunt Ben Aſcher & Ben Naphtali, atque Maſorethæ, qui à Talmudicis vocantur סופרים *Numeratores*: quia literas, verſus & voces Veteris T. numerârunt.

2. Denotant Prophetas, publicos Profeſſores & Doctores, Legis Interpretes & Expoſitores, qui S. Scripturam exſcribebant, & populo eandem interpretabantur. Tales erant publici Doctores, qui Legem coram populo legebant, exponebant, & dubia, quæ in Moſe occurrere videbantur, ſolvebant. *Matth.* 7: 29. Chriſtus dicitur docuiſſe cum ἐξυσίᾳ *& non ut Scribæ*. Hinc probatur quod Scribæ etiam docuerint: propterea Scribæ in Novo T. (ubi intelliguntur hi poſteriores doctores) ferè vocantur νομικοὶ, *Luc.* 7: 30. *Phariſæi* καὶ οἱ νομικοὶ *& Legisperiti* conſilium Dei ſpreverunt; & *cap.* 5: 17. vocantur νομοδιδάσκαλοι; *Phariſæi* καὶ νομοδιδάσκαλοι *& Legis doctores &c.*

II. *Secundò quæritur.* An accuratè loquendo γραμματεῖς *Scribæ* & νομικοὶ ſive νομοδιδάσκαλοι *Legisperiti* in Novo T. ſunt iidem?

Reſp. 1. In Novo T. nonnunquam hæ voces promiſcuè pro iiſdem ſumuntur: ex. gr. qui *Matth.* 22. *verſ.* 35. & *Luc.* 10: 25. vocatur νομικὸς *Legiſperitus*, ille *Marc.* 12: 28. nominatur γραμματεὺς *Scriba*.

2. Si tamen accuratè diſtinguamus, dicendum eſt quod γραμματεῖς *Scribæ* magis in Theoriâ fuerint verſati, ſcil. in exſcribendis & corrigendis codicibus ſacris, in exponenda Lege, & dubiis, ex Lege ortis, ſolvendis. Putantur ergo ſimiles fuiſſe Profeſſoribus Academicis, qui magis theoretici quàm practici eſſe ſolent. Sed νομικοὶ *Legiſperiti* magis fuerunt occupati

Digitized by Google

pati in Praxi & quæstionibus practicis, tangentibus conscientiam & mores vivendi. Fuerunt ergo similes Concionatoribus, qui dogmata theoretica, quæ in Academiis didicerunt, ad praxin revocant, & populum de fide & vitâ piâ instruunt. Aliquando in Novo T. utrisque eadem tribuuntur: nam *Luc.* 11 : 46. Legisperiti dicuntur homines onerâsse oneribus difficilibus portatu, quæ tamen ipsi noluerunt attingere; ejusdem criminis etiam Scribæ rei peraguntur, *Matth.* 22 : 4.

Deinde Scribæ sæpe etiam munere politico fungebantur, & præter Legem Traditionibus nimiùm confidebant: sed Legisperiti tantùm muneri sacro, scil. legis expositioni, & iis, quæ ab eâ dependebant, vacabant, rejectis Patrum Traditionibus. Vide *Spanh. Dub. Evang. part.* 2. *p.* 400.

III. *Tertiò quæritur.* Utrum Scriba fuerit nomen Sectæ, an nomen officii?

Resp. Non fuit nomen Sectæ: nam tres tantùm Sectæ fuerunt inter Judæos, scil. Pharisæorum, Sadducæorum, & Hessæorum; sed fuit nomen muneris & officii publici. Postmodum in genere litterati & docti, qui legis erant periti, ejusdemque meditationi & expositioni vacabant, vocabantur Scribæ, quorum alii Pharisæorum, alii Sadducæorum, alii Hessæorum dogmata sequebantur, & approbabant. *Act.* 23 : 9. dicuntur *Scribæ surrexisse ex partibus Pharisæorum.* Singulæ ergo Sectæ suos Scribas habuerunt. Vide *Hotting. Thes. Philol.* p. 75. & 76.

IV. *Quartò quæritur.* Quando Scribæ primùm orti sint?

Resp. Origo Scribarum ab omnibus non eadem constituitur. 1. Quidam initium arcessunt à promulgatione Legis, quâ traditâ Scribis opus fuit, qui Legem scriberent & interpretarentur. 2. Alii referunt originem Scribarum ad tempora Davidis, qui cultum Dei instaurâsse, & multa circa ministeria sacra instituisse legitur, 1. *Chron.* 23. & 24. 3. Nonnulli Scribarum originem ad Josaphatum referunt, qui Sacerdotes & Levitas per omnes civitates ad docendum populum misisse legitur, 2. *Chron.* 17. 7, 8, 9. Alii 4. Scribas non diu ante Christum unà cum Pharisæis ortos esse volunt, & simul introductos à Sammai & Hillel. Denique 5. verisimiliùs multi originem Scribarum referunt ad tempora Esdræ, qui unà cum Viris Synagogæ magnæ operam suam adhibuit in voluminibus sacris describendis, & interpretandis; adeo ut Esdras à Judæis dicatur את ברק התורה *rupturam legis* restituisse. Hinc vocatur in Libro Esdræ סופר מהיר *Scriba celer*; & qui deinceps ipsius vestigiis institerunt, legemque explicârunt, etiam vocati fuerunt Scribæ. Ab Esdrâ ergo videtur

tur vera origo Scribarum nata. Vide *Spanhem. Dub. Evang. part.* 2. p. 403.

V. *Quintò quæritur.* Quanta fuit Scribarum auctoritas & potestas?

Resp. Auctoritas eorum fuit similis Magorum auctoritati inter Chaldæos. Sicuti Magi inter Chaldæos, sic Scribæ inter Hebræos magni fiebant. Potestas eorum erat magna, & quodammodo etiam judiciaria: Christus enim *Matt.* 20: 18. se tradendum prædicit τοῖς ἀρχιερεῦσι καὶ γραμματεῦσι, *Principibus Sacerdotum & Scribis:* nam procul dubio quidam ex præstantioribus in Sanhedrin fuerunt assumti,

VI. *Sextò quæritur.* Ubi Scribæ habitârunt: An Hierosolymis tantùm; an verò etiam in plerisque Judææ urbibus?

Resp. Scribæ fuerunt dispersi per totam ferè Judæam. Saltem in omnibus locis, ubi Synagogæ erant, videntur Scribæ habitâsse, *Matth.* 15: 1. In terrâ Gennesaret leguntur fuisse Scribæ, qui Hierosolymis habitabant. Præterea Novum T. testatur eos etiam in aliis locis fuisse, & Christum diversis temporibus interrogâsse, & tentâsse.

VII. *Septimò quæritur.* Ex quâ tribu Scribæ fuerint oriundi?

Resp. R. Salomo Jarchi *Gen.* 49: 3. (citante Drusio de 3. *sect. p.* 85.) putat Scribas fuisse oriundos ex tribu Simeonis, cum ait: *Non sunt pauperes scribæ & docentes pueros, nisi ex tribu Simeonis.* Huic assentitur Jonathan paraphrastes, ita scribens: *Dividam tribum Simeonis ut sint Scribæ, docentes in Synagogâ Jacobæorum.* Fortassè verum est, quod tales pauperes Scribæ, docentes pueros, ut plurimùm fuerint ex tribu Simeonis; sed cæteri Scribæ, quorum Novum Test. meminit, ex omnibus tribubus sine discrimine fuerunt. Idem paraphrastes Jonathan *Genes.* 49: 10. constituit Scribas ex tribu Juda, ex quâ, secundùm ipsius opinionem usque ad adventum Messiæ constituentur: ita enim ait: *Neque Scribæ docentes legem, de filiis filiorum ejus usque dum venerit Messias.*

VIII. *Octavò quæritur.* Quali veste Scribæ fuerint induti?

Resp. Spanhemius *Part.* 2. *Dubior.* p. 401. ex Epiphanio Hæresi 15. eorum habitum describit, & ait eos gestâsse στολὰς, vel ἀμπεχόνας, pallia quædam τέσσαρα πτερύγια quatuor angulos habentia, ex quibus pendebant ῥοΐσκοι corymbi, vel potius globuli punicorum malorum specie, & pro veste illos usos dalmaticis, sive tunicis manuleatis, vel colobiis sive tunicis sine manicis, purpurâ clavatis, quales postmodum sub birro presbyteri inter Christianos gestare cœperunt.

Digitized by Google

DE HERODIANIS.

HΡωδιανοὶ *Herodiani* nomen habent ab Herode magno, Antipatri filio. Eorum fit mentio *Matth.* 22: 16. *Marc.* 3: 6. *& cap.* 12. *vers.* 13.

I. De Herodianis *primò quæritur*: An peculiarem sectam constituerunt?

Resp. Quidam Patres statuunt Herodianos Religionem ex Paganismo & Judaismo conflatam, & ab Herode introductam, elegisse & defendisse; Hoc probant ex verbis Christi *Marc.* 8: 15. ubi discipulis suis mandavit, ut *sibi caverent à fermento Pharisæorum, & fermento Herodis.* Sed hæc sententia jure merito ab aliis rejicitur: tum quia tantùm tres sectæ inter Judæos fuerunt; tum etiam, quia nulla probabili ratione asseritur Herodianos sic fuisse vocatos, quia fermento Herodis fuerunt inquinati.

II. *Secundò quæritur.* Quare ab Herode vocentur Herodiani?

Resp. Non est eadem omnium sententia. 1. Quidam eos sic vocatos volunt, quia Herodem pro Messiâ agnoscebant, quoniam apud Judæos alienigenarum primus regnabat. Sed hæc opinio non videtur vera: tum quia hic Herodes, quum hæc agerentur, jam obierat; tum etiam quia genti Judaicæ fuit maximè invisus.

2. Alii arbitrantur eos ab Herode appellatos fuisse Herodianos, quia colligebant & censebant tributa Cæsari solvenda, quibus colligendis Rex Herodes ab Augusto constitutus putatur. Hæc opinio ex nonnullorum sententia videtur ex Textu confirmari, quia de tributo Cæsari solvendo Christum interrogabant.

3. Drusius in *Præteritis ad Nov. T. p.* 45. vult Herodianos fuisse Græcos, quos Herodes secum ex deserto adduxerat, quosque in terrâ illâ foverat. Sed hæc Drusii opinio multis refutatur à Buxtorfio in *Lex. Talmud.* ubi ostendit Drusium esse deceptum voce יונים, quam putavit punctandam esse per יְוָנִים *Græcos*, cum per יוֹנִים, *columbas* punctari debeat. Referunt Herodi fuisse columbas domesticas, vocatas Herodianas: quia eas Herodes ex deserto adduxerat. Hæ edoctæ erant acclamare Herodi קירי קירי h. e. Κύριε, Κύριε, *domine, domine.* Vide plura apud Buxtorfium.

Denique 4. alii verosimilius statuunt Herodianos ita vocari, quia erant milites, sive servi aulæ Herodianæ. Hæc ultima opinio, quæ à nobis etiam

Digitized by Google

etiam approbatur confirmatur ex Evang. Hebr. & Test. Syriaco: in illo Herodani vocantur עבדי הורודום *servi Herodis*, in hoc ܥܒܕܐ ܕܗܪܘܕܣ *domestici Herodis*. Hi à Pharisæis ideo videntur adsciti, ut in quamcumque partem Christus respondisset, irretitus teneretur. Si enim censum Romanis solvendum esse negaret, tum tanquam seditiosus puniri poterat: si vero solvendum diceret, in *Herodis* malevolentiam incurreret, qui & ipse libenter illorum jugum excussisset. Vide notas Bezæ ad *Matthæi caput* 22.

DISSERTATIO VIGESIMA QUARTA,

Quæ est pars prima

DE

REGIBUS JUDÆORUM.

I. *Quatuor ætates regiminis Judaici recensentur.*
Prima *ætas erat penes Patresfamilias.*
II. Secunda *penes Judices.*
III. Tertia *penes Reges quorum* 20. *duabus*, *&* 19. *decem tribubus præfuerunt.*
IV. Quarta *ætas fuit varia: penes* 15. *duces è posteris Davidis*, *penes* 5. *Macchabæos ex tribu Levi*, *& penes* 12. *Reges.*
V. *Disputatur utrimque rationibus: An Deus concesserit Judæis Regem ex conniventia & permissione; uti olim illis permisit polygamiam & divortium; an verò ex speciali mandato ipsis mandaverit eligere Regem? Posterius videtur affirmandum.*

Regimen Judaicum diversis temporibus fuit variis obnoxium mutationibus; non semper similes personæ ad clavum imperii sederunt. Quibusdam temporibus Patresfamilias vel Duces; aliis verò Reges gubernârunt. In genere Res Judæorum ab Adamo usque ad excidium Templi per Titum Vespasianum factum, sive usque ad annum Christi 72. in quatuor ætates dividi possunt. *Prima* ætas fuit potestatis Patriæ, quæ fuit quasi infantia innocens. *Secunda* fuit potestatis Judiciariæ, quæ fuit velut adolescentia vegeta. *Tertia* fuit potestatis Regiæ, quæ fuit veluti ætas virilis. *Quarta* denique ætas fuit potestatis Variæ, scil. Ducalis, Sacerdotalis & Regiæ, quæ fuit velut senectus & interitus regiminis Judaici.

Digitized by Google

I. *Prima* regiminis Judaici ætas erat penes Patresfamilias, sive penes Patres singularum familiarum: illi enim, & eorum primogeniti post excessum priorum exercebant regimen Ecclesiasticum & Civile. Erant simul quasi Reges & Sacerdotes in propriis familiis, maledicebant vel benedicebant suis, exhæreditabant, vel etiam morte filios suos afficiebant. Noach, *Genes.* 9: 25. dicebat: *Maledictus sit Canaan, servus servorum sit fratribus suis.* Abraham *Genes.* 21: 10. *Ejecit Hagar & Ismaëlem ex ædibus.* Juda *Genes.* 38: 24. *Quum audivisset quod Thamar nurus sua scortata esset, dixit: producite eam ut comburatur.* E contrà Isaac Jacobo, & Jacob Judæ benedixit. Hic status regiminis duravit usque ad tempora Mosis; sed ante ipsius tempora gubernârunt primò Patresfamilias, deinde Patriarchæ, qui vulgò decem constituuntur ante diluvium, & his versibus includuntur:

Adam, Seth, Enos, Cainan, Melaleelque.
Jared, Enoch, vivax Mathusla, Lamechque, Noachque.

Viginti quatuor Patriarchæ post diluvium numerantur, quorum duodecim, qui Jacobo clauduntur, vocantur priores, duodecim verò cæteri posteriores, qui omnes ex Jacobi lumbis descenderunt. Posteriorum meminit Stephanus *Act.* 7: 8. ubi ait Jacobum duodecim Patriarchas genuisse: h. e. totidem principes tribuum. *Priores* Patriarchæ post diluvium in seqq. versibus continentur:

Semus, & Arphaxad, Sala, Heber, deindeque Peleg;
Regu, pòst Serug, Nahor, Thare, Abra, Isa, Jacob.

Posteriores comprehenduntur his versibus:

Rub, Simeon, Levi, Jud, Dan, Naphthali, Gad, Aser, Isas;
Zebulon, & Joseph, Benjamin atque minor.

II. *Secunda* ætas regiminis Judaici erat penes Judices, & circitèr quadringentos durabat annos, incipiebatque à temporibus Mosis, & exspirabat in Samuele. Tantùm enim in sacris Aaron, ejusque postèri gaudebant jure & titulo sacerdotum; sed Moses in civilibus populum gubernabat. Hinc enim *Deut.* 33: 5. vocatur *Rex in Jeschurun* sumptâ voce Regis in latâ significatione. Judices hi in rei veritate erant quidem Reges, ipsorumque potestas similis erat Regum potestati, sed communiter, nomine tum temporis usitato, Judices vocabantur. Uno mortuo non statim alius eligebatur, sed aliquando longa erant interstitia inter mortem unius & electionem alterius. Plerumque Judices tantùm eligebantur tempore maximarum turbarum vel bellorum civilium, & populo liberato ab illis turbis iterum Judices privatam vitam vivebant: hoc apparet in Gideone. Postquam enim liberâsset Israelitas è manibus Midianitarum, dese-

Digitized by Google

deſeruit regimen ſuum; & cum offerrent, dixit; *Non habebo dominium in vos, neque filius meus habebit dominium in vos, Judic.* 8: 23. Eo tempore, quo non erant Judices, res magni momenti determinabantur à Sanhedrin. Exemplum Samuelis, qui 1. *Sam.* 7: 15. populum omnibus diebus vitæ ſuæ dicitur judicâſſe, fuit extraordinarium. Nomina Judicum his verſibus memorabilibus includuntur.

Moſes, Joſua, & Othoniel, Ehudque, Debora,
Gideon, Abimelech, Thola, Jair, Jephthaque, & Ebzan,
Elon, pòſt Abdon, Samſon, Eli, Samuelque.

III. *Tertia* ætas regiminis Judaici durabat uſque ad captivitatem Babylonicam circitèr 520. Annos, eratque penes Reges. Horum tres priores, ſcil. Saul, David, & Salomon ante Regni diviſionem duodecim tribubus præerant, & in univerſos Jacobi poſteros dominium exercebant: ſed regno per Roboamum ſciſſo in duas partes, ſive in Judæos & Iſraelitas, alii Reges illos, & alii hos gubernabant. Judæis, ſive duabus tribubus præfuerunt viginti Reges, quorum primus fuit Roboam, filius Salomonis, & ultimus Zedekias, duravitque hoc regimen Annos circiter 409. Iſraelitis ſive decem tribubus præfuerunt tantùm novendecim Reges, quorum primus fuit Jeroboam, aulicus Salomonis, ultimus verò Hozea; & duravit hoc regimen Annos circiter 259. *Viginti* ergo Reges, duabus tribubus, & *novendecim* decem tribubus præfuerunt. Illi, ſcil. tres priores Reges generales, & XX. Reges Judæ his verſibus memoriæ causâ comprehenduntur.

Saul, David, Salomon: dein Judæ noſcito Reges:
Roboam, Abia, atque Aſſa, Joſaphat, Iôram.
Achaſias, Athalia, Joas, Amazia, Azaria,
Jotham, Achas, Ezechia, Manaſſe, ac filius Ammon,
Joſias, Joachas, Jojakim, Joachin, Zedekias.

Novendecim Reges Samariæ Iſraelitis præpoſiti ſunt ſequentes:
1. Jeroboam. 2. Nadab. 3. Baëſa. 4. Ela. 5. Zamri. 6. Amri. 7. Achab. 8. Achazias. 9. Joram. 10. Jehu. 11. Joachas. 12. Joas. 13. Jeroboam, filius Joas, ſecundus hoc nomine. 14. Zacharias, filius Jeroboami. 15. Sallum. 16. Menahem. 17. Phaceja. 18. Pekak. 19. Hozeas.

IV. Jam ſequitur *quarta & ultima* ætas, quæ erat poteſtatis Variæ: nam in hâc ætate non ejuſdem dignitatis homines gubernârunt, ſed aliquando penes Duces, alioſque, nonnunquam penes Reges dominium fuit. Hæc

Digitized by Google

aetas incepit post captivitatem Babylonicam, & duravit usque ad Titum Vespasianum, circiter Annos 595.

In hâc aetate Variâ, fuerunt *primò* quindecim Duces è posteris Davidis descendentes, scil. 1. Zorobabel. 2. Resa Mesullam. 3. Johannes, filius Resae. 4. Judas *cognomento* Hyrcanus. 5. Joseph. 6. Simei. 7. Matathias *cognomento* Eli. 8. Maath. 9. Nagge. 10. Helli. 11. Nahum. 12. Amos, *cognomento* Syrach. 13. Matathias *cognomento* Siloah. 14. Joseph *Junior.* 15. Johannes Hircanus, qui fuit postremus Judaeorum dux è posteris Davidis.

Secundò. Fuerunt quinque Macchabaei sive Assamonaei, qui ex tribu Levi descenderunt, scil. 1. Matathias Macchabaeus. 2. Judas Macchabaeus. 3. Jonathan, frater Judae. Hic fuit primus Princeps & Pontifex simul. 4. Simon, frater Jonathae. 5. Johannes Hircanus, frater Simonis.

Tertiò. Fuerunt in hâc aetate duodecim Reges, scil. 1. Aristobulus, qui primus post Regem Sedechiam Rex fuit, & diadema regium capiti suo imposuit, teste Josepho *lib.* 13. *Antiq. Jud. cap.* 19. Hic fuit primus Rex & Pontifex simul. 2. Alexander Jannaeus. 3. Alexandra Regina. 4. Hircanus. 5. Aristobulus. 11. Hircani Frater. 6. Hircanus. 7. Antigonus. 8. Herodes Ascalonita, sive Herodes magnus. Hic secundùm supputationem Alstedii in Thesauro Chronol. Anno Mundi 3913. Hierosolymam expugnavit, & sceptrum à Judaeis abstulit, Antigono securi percusso, & Sanhedrin sublato. 9. Archelaus, Herodis magni filius. Hujus octavi & noni Matthaeus *cap.* 2. *vers.* 22. meminit. 10. Herodes Antipas, qui Christum in passione irrisit. 11. Herodes Agrippa. 12. Agrippa junior, Agrippae superioris filius, ultimus ex lineâ Herodis. In hoc defecit regnum Judaeorum. *Vide plura apud Alstedium in Chronologiâ sect.* 9.

Nos primâ, secundâ & quartâ regiminis Judaici aetate omissâ, praecipuè de tertiâ, utpote florentissimâ & praestantissima, scil. Regum aetate, agemus. In Veteri-T. triplicium Regum fit mentio; Melchisedek erat Rex & Sacerdos; David Rex & Propheta; & Saul aliique erant tantùm Reges. Non solùm haec munera conjuncta fuerunt in Melchisedecho, Davide, aliisque inter Judaeos; sed etiam inter Gentiles tales fuerunt: Virgilius *Aeneid. lib.* 3. de Rege Anio refert:

Rex Anius, Rex idem hominum Phoebique Sacerdos.

Servius in notis ad haec verba ait: *Majorum haec erat consuetudo, ut Rex esset etiam Sacerdos & Pontifex.* Alex. Neapolit. *lib.* 2. *cap.* 6. de Trismegisto

gisto refert, quod fuerit vocatus Ter maximus, quia erat Philosophus maximus, Sacerdos maximus; & Rex maximus. Nos cæteris muneribus, Regiæ majestati aliquando conjunctis, omissis, tantùm de Regibus quà Regibus, & quidem Judæorum sive Israelitarum agemus, insistentes vestigiis Schickardi in משפט המלך, & has sequentes quæstiones movebimus.

V. *Primò quæritur.* Utrum Reges Israelitis in terrâ Sanctâ fuerint præpositi secundùm Sacram Scripturam, & speciale Dei mandatum; an verò tantummodo ex conniventia & permissione?

Resp. Non est eadem omnium Judæorum sententia. Nonnulli statuunt Israelitas Saulem in Regem petiisse secundùm præceptum Dei; alii verò defendunt, Deum Israelitis tantùm concessisse, & permisisse eligere Regem, sicuti permisit polygamiam & divortium. Hi posteriores sententiam suam quibusdam rationibus conantur probare.

Ratio 1. Quia Israelitæ non indigebant Rege; nam Deus ipsis abundè sufficiebat, & satis sine Rege eos gubernare poterat. *Resp.* Si hæc sequela valeret; ergo nec Ducibus, nec etiam Collegio magno Sanhedrin indiguissent: quia Deus ipsis sufficiebat, & satis sine illis eos gubernare poterat. Præterea Deus *Deut.* 17: 15. videtur Israelitis legem de eligendo Rege dedisse, cum ait; שום תשים עליך מלך *Ponendo pones super te Regem.*

Ratio 2. Regimen regium videtur pugnare cum libertate populi Judaici, cujus conditio non fuit regi ab alio. *Resp.* Ergo nec ulli regimini subjecti esse debuissent. Deinde Regum potestas non derogabat libertati Judæorum: quia Reges non secundùm libidinem suam, sed secundùm legem Divinam subditos gubernare debebant.

Ratio 3. Reges multa mala pepererunt Israelitis: ergo Deus ex conniventiâ tantùm Israelitis videtur Reges permisisse: nam David fuit causa pestilentiæ, Salomon idololatriæ, &c. *Resp.* Verum quidem est quod Reges quorundam malorum per accidens causæ fuerint, sed per se multa bona etiam effecerunt. David hostes Dei devicit, cultum Dei instituit, Levitas, Sacerdotes, Cantores, &c. ordinavit. Salomon Templum ædificavit, Proverbia edidit, pacem in toto regno servavit, &c.

Ratio 4. Samuel 1. *Sam.* 8: 6. factum populi Regem petentis detestatur: ergo petitio Regis non placuit Deo, nec fuit secundùm præceptum Divinum. *Resp.* Samuel increpat populum, non quia Regem eligebat, sed quia illegitimè & indignâ murmuratione, contemnendo Samuelem, diffidendo Deo, & confidendo nimiùm suis futuris Regibus, eum expetebat.

Hæc

Digitized by Google

Hæ rationes allatæ ita quidem solvuntur, nihilominus contraria sententia etiam clarè ex *Deut.* 17. non potest probari: nam *verf.* 14. & 15. videtur tantùm esse conditionalis concessio, quæ à Deo variis modis limitatur: sic enim ait Textus: *Si dixeris, constituam super me Regem, sicut omnes gentes. Tantùm constituito super te Regem, quem elegit Jehova; è medio fratrum tuorum, non poteris tibi præficere virum extraneum.* Utraque sententia nititur suis rationibus; nobis tamen ea videtur magis probabilis, quæ statuit Israelitas petendo simpliciter Regem non peccâsse, sed eatenus peccâsse, quia non legitimo modo Regem petierunt; & per consequens Judæi videntur postulâsse Regem secundùm jus Divinum, & non ex solâ permissione aut conniventia.

DISSERTATIO VIGESIMA QUINTA,

Quæ est pars secunda

DE

REGIBUS JUDÆORUM.

VI. *Reges eligebantur vel modo ordinario per electionem Synedrii maximi, vel modo extraordinario per Urim & Tummim. Quid eadem denotent, certò determinari non potest.*

VII. *In Rege eligendo respiciebant ad* sexum, *ad* patriam *& ad* genus vitæ.

VIII. *Unctio habebat locum in inauguratione Regis, qui in formam* O *ungebatur, cum Pontifex fuerit unctus in formam* X *Græcorum.*

Rex tamen per illam unctionem non accipiebat vim physicam sanandi morbum regium.

IX. *Rex legibus divinis fuit subjectus, sed legibus humanis ferè solutus.*

X. *Reges Israelitarum nunquam puniti sunt, nec etiam jure potuerunt puniri, multò minus flagellari.*

VI. S*Ecundò quæritur.* A quibus Reges Judæorum fuerint electi?

Resp. Reges duobus modis electi fuerunt; vel modo ordinario, vel extraordinario. Ordinario modo electio fiebat per Sanhedrin, h. e. per Synedrium maximum, constans LXXI. Viris. Hoc Sanhedrin institutum est à Deo, *Num.* 11: 16. *Congrega mihi* LXX. *viros de senioribus Israël,* &c. quibus si Moses, qui fuit

fuit præses, addatur, sunt LXXI. Hi negotia magni momenti, religionem scil. rempublicam, pseudo-prophetas, bellum, pacem, fœdera &c. concernentia, gubernabant & determinabant. Inter ea magni momenti negotia etiam electio Regum meritò numerabatur: & propterea eadem non sine causâ huic Sanhedrin competebat. *Vide de hoc Sanhedrin infrà dissert.* 46.

Nonnunquam modo extraordinario, & non per votorum electionem, sed per os Prophetæ, vel per Urim & Tummim Reges eligebantur. Hoc asserit Aben Esra ad *Deut.* 17:15. אשר יבחר על פי נביא או משפט האורים והטעם לא אשר תבחר אתה *Quem elegerit* Deus *per os Prophetæ; vel indicio URIM; adeoque sensus est, non quem tu ipse elegeris.* Stante templo primo in rebus dubiis & gravioribus Pontifex, mediantibus Urim & Tummim in pectorali collocatis, Deum consulebat, qui responsum in Pontificis pectorali ostendebat. *Vide Annot. Belg. ad Num.* 27:21. Modum, quo oraculum responsa dabat, describit *Rambanus Hal. Kele Hammikdasch cap. ult.* Pontifex stabat facie suâ versus arcam, & consulens retro illum, vultu ad tergum sacerdotis directo, rogabatque voce submissâ, ex. gr. Ascendamne aut non ascendam? Confestim Spiritus sacer induebat Pontificem respicientem ad pectorale, in quo cernebat responsum, quod responderet illi, qui per Pontificem oraculum consulebat. Non Idiotæ, sed Rex, aut Senatus, aut vir aliquis honoratus voluntatem Dei tali modo sciscitabatur. Sic Josua, stans coram Eleasaro, Deum per ipsum mediantibus Urim consuluit, *Num.* 27:18, 19, 20, 21.

Quid propriè Urim & Tummim & denotant? *Resp.* Variæ sunt Auctorum sententiæ, præcipuas tantùm breviter hic enumerabimus. 1. Quidam putant Urim & Tummim fuisse nomen Dei tetragrammatum Jehova. 2. Vel duos lapides lucidissimos à Deo immediatè productos, & Mosi datos. 3. Alii existimant fuisse duodecim gemmas pectorali Pontificis impositas. 4. Aut duo simulachra manu Dei affabrè facta. 5. Alii denique arbitrantur illa verba Urim & Tummim ita materialitèr pectorali fuisse inscript. אורים *Urim* & תמים *Tummim* Latinè significant *luces* & *perfectiones:* prius à luce habuit nomen, quia ad quæsita indicanda, extraordinariam lucem accipiebat, & quasi miraculosè fulgebat; posterius verò est quasi effectio, & executio lucis, h. e. consilii Divini, quod per Urim significabatur. *Vide Buxt. in Lex. Talm.* Ut ut sit, nihil certi, quia Scriptura tacet, hic determinari potest: saltem Pontifex non auribus sed oculis voluntatem Dei in pectorali ex Urim & Tummim cognoscebat. Sed nescimus, an Pontifex responsum cognoverit ex literis Alphabethi,

quæ in pectorali conspiciebantur: nam *Exod.* 28 : 21. docemur *Nomina duodecim tribuum* arte sculptoriâ gemmis pectoralis fuisse incisa. Etiam ignoramus an idem Pontifex responsum ex ipsa configuratione gemmarum illuminatarum inter opacas, & speciem literarum per elevationes exhibentium, expiscari potuerit. Saltem Pontifex, inspiciendo pectorale suum, responsum Divinum cognoscebat, & qualis Rex eligendus esset petenti indicabat. Hoc oraculum Urim & Tummim cessavit sub templo secundo. Sed *rogabit* fortè aliquis; An non *Ezra cap.* 2. *vers.* 63. prædicitur, quod *sub templo secundo sacerdos staret cum Urim & Tummim? Resp.* Ille locus intelligitur vel de futuro sæculo, vel de sacerdote digno, qui Urim & Tummim gestaret. Vide plura apud *Schickardum* in משפט המלך.

VII. *Tertiò quæritur.* Ad quænam respexerint in Rege eligendo?

Resp. Præcipuè ad hæc tria; ad *sexum* scil. ad *patriam*, & ad *genus vitæ.* 1. Ratione *sexus* non eligebatur fœmina in Reginam: nam *Deut.* 17: 15. dicitur, *Ponendo pones supra te Regem*, non Reginam. Similiter in Gallia lege cautum est ne Regina succedat: è contra Sueci & Angli collum fœmineo sexui aliquando submiserunt. Contrà hæc *objici* potest exemplum Athaliæ, matris Ahaziæ 2. *Reg.* 11: 1. qui filio suo successit, & regno Judæ septem annos præfuit. *Resp.* Verum est, illa quidem regnavit, non tamen de jure sed facto, & sanguine Regio interfecto imperium vi tyrannicâ invasit.

2. Ratione *patriæ* eligebatur Judæus natus, non factus sive Proselytus. Sicuti sunt cives nati & facti, sic fuerunt in Terra Sancta Judæi nati & facti. Secundùm Legem Dei non licitum erat eligere extraneum, *Deut.* 17: 15. *E medio fratrum tuorum statuito super te Regem, non poteris tibi præficere virum extraneum*, &c.

Genus vitæ etiam considerabatur: nam mechanici, ut sutores, sartores, alutarii, lanii, tonsores, textores, &c. non eligebantur in Reges; imo si vel unico die in tali opificio versati fuissent, inidonei censebantur. Quare tales homines mechanici inidonei censebantur ad suscipiendum regimen regium? *Resp.* Propter duas rationes. 1. Quia homines in vili & sordido opificio sæpe etiam servile ingenium contrahere solent. 2. Ne tales Reguli populo tandem contemptui essent: nam populus jugum hominis æqualis vel inferioris vix ferre potest. Artes mechanicæ admodum contemnuntur à Judæis: & propterea vix vigesimus, etiamsi res domi sit angusta, artem mechanicam exercet; sed plerique Judæi usurâ vel mercaturâ vitam sustentant.

Contra hoc tertium requisitum fortè aliquis excipiet; Annon legimus in Veteri T. nonnullos infimæ sortis homines regnâsse? Annon Saul fuit

Digitized by Google

fuit agaso, & David opilio? *Resp.* 1. Fuerunt extraordinaria exempla: sed hîc loquimur de eo quod communiter fieri solebat. 2. Deus speciali illâ electione, quâ eos specialiter elegit, eos nobilitavit. Præterea Saul rem domi angustam amplitudine lacertorum quodammodo compensavit. *Vide plura apud Schickardum.*

VIII. *Quartò quæritur.* Quibus ceremoniis Reges recenter electi inaugurarentur?

Resp. Præcipua ceremonia inaugurationis fuit unctio: & propterea Reges Judæorum vocati fuerunt Reges uncti. Hinc Reges Galliæ ad imitationem Regum Israëlis etiam solent ungi. In quibus partibus corporis? Circa caput, pectus, humeros & brachia; eâ tamen unctione non conceditur Regibus Galliæ vel Angliæ vis physica sanandi peculiares morbos, vel ulcera quædam. Reges Galliæ & Angliæ quosdam peculiariter affectos aliquando attingere solent, sed à Deo est restitutio sanitatis.

Unctio Regum Judæorum fiebat oleo, non vulgari, sed confecto ex quatuor speciebus aromatum, scil. ex מר *myrrha*, קנמון *cinnamomo*, קנה *calamo*, & קדה *cassia*, uti scribitur *Exod.* 30: 23. Unctio hæc, dicente Schindlero in *Lex. pag.* 1043. tali modo fiebat; *Fundebatur de unguento primùm super caput Regis: deinde in formam coronæ inter supercilia oculorum ejus ungebatur: tandem, quod in vase erat reliquum infundebatur ejus capiti: quia vas erat plenum, ut inde ungi & fundi posset.* Salomo 1. *Reg.* 1: 34. dicitur unctus à Zadoko Pontifice, & Propheta Nathane, quorum alterum affudisse oleum, alterum inunxisse putat Schickardus. Non parciùs sed largiter oleum affuderunt. De Pontifice Aarone legitur *Psal.* 133: 2. *A capite Aaronis in ejus barbam usque, imo ad oram vestimenti defluxisse.* Hîc legimus etiam Pontifices fuisse unctos, sed eorum unctio parumper differebat à Regum unctione. 1. Reges in formam O sive coronæ inter supercilia ungebantur, sed Pontifices in formam X Græcorum sive in formam crucis. 2. Omnes & singuli Pontifices ungebantur, sed non omnes Reges, verùm illi tantùm de quorum successione oriebatur dissensio, vel oriri posset. Quare in tali occasione unctio Regum observabatur? *Resp.* 1. Ut removerent æmulationes. 2. Ut populus certus esset hunc & non illum in Regem esse electum. Hinc Salomo, etiamsi David pater unctus esset sibi & posteris suis, ob seditionem fratris Adoniæ unctus legitur 1. *Reg.* 1: 5. Joasus propter Athaliam, 2. *Paral.* 23: 11. & Joachasus propter fratrem Jehojakim 2. *Reg.* 23: 30.

Communiter Unctio boni ominis causâ ad scaturiginem fontis coram populo fiebat. Unde hoc probatur? Ex exemplo Salomonis, de quo

Digitized by Google

David 1. *Reg.* 1:33. mandavit, ut filium Salomonem Regem eligendum deducerent ad Gihon, rivum extra sed prope urbem Jerosolymam scaturientem, & in torrentem Kidron se exonerantem.

Electionem & Unctionem duo praecipuè sequebantur. 1. Congratulatio populi hisce vocibus יחי המלך *vivat Rex*, 1. *Reg.* 1:34. 2. Distinctio vestium. Romanorum Reges purpurâ, sed Judaeorum saepe splendidâ sive albâ veste induti fuerunt: hinc Judaei suos nobiles vocant חורים *albatos*. *Jacob.* 2:2. scribitur: *Si ingrediatur vir veste splendidâ* sive albâ: propterea etiam Christus *Luc.* 23:11. ab Herode vestitus est veste splendidâ sive albâ, quia Christum tanquam Judaeorum Regem deridebat: sed milites Pilati, more Romano, Christo, quasi ficto Regi, chlamydem purpuream induerunt; *Matth.* 27:28. *Et quum exuissent eum, circumposuerunt ei chlamydem coccineam.*

IX. *Quintò quaeritur.* An Reges Judaeorum fuerint soluti legibus?

Resp. 1. Legibus particularibus humanis Reges non fuerunt obstricti. 2. Legibus divinis aequè obstricti fuerunt ac subditi; imo arctiùs eas observare tenebantur: quia aliis bono exemplo praeire, & transgressores enormes punire debebant. Hinc Reges, ut Legem altiùs menti imprimerent, totum Pentateuchum, vel secundùm alios, binos Pentateuchos describere fuerunt jussi, *Deut.* 17:18. *Sed erit quum insidebit solio regni sui, ut describat sibi duplum Legis &c.* Si parentes Regi nullum exemplar Legis reliquissent, duo exemplaria ex sententiâ Maimonidis exscribere tenebatur: unum asservabat in thesauris suis; alterum verò nunquam removebat à se, nisi cum tegeret pedes suos, vel iret ad balneum, aliaque loca impura. Hâc in re Leges Regem arctiùs ad pietatem astringebant quàm ullum subditorum: nam vulgaris Israelita, si literarum rudis esset, legem ab alio scriptam sibi emebat, quod Regi fuit illicitum. Quod Reges Legibus Divinis etiam obstricti fuerint apparet ex diversis exemplis Regum. David enim adulterium & homicidium committendo, & Salomo alienos Deos colendo, &c. gravia peccata commiserunt: prior hoc fatetur *Psal.* 51:6. *Tibi, tibi soli peccavi*, &c. Rex Uzzia 2. *Chron.* 26:16, 20. cum ingressus esset Templum Jehovae, ut adoleret super altare suffitus, leprâ percussus est, & ejectus est à Sacerdotibus ex Templo; imo ex Regiâ, & in separata domo habitavit, sicuti Moses *Levit.* 12:46. mandaverat. Legibus ergo Divinis Reges obstricti fuerunt, quod etiam probatur ex *Deut.* 17:16. ubi illis specialia praecepta de uxoribus, equis, & opibus non multiplicandis sunt data, quae tamen de facto nonnunquam transgressi fuerunt. Judaei à Lege fratriandi (quae describitur *Deut.* 25:6,7,8, 9. *Ut*

Digitized by Google

9. *Ut quis defuncti fratris viduam aut duceret, aut ne publicè calceum sibi extrahi & in os spui pateretur*) ne populo contemptui esset, Regem immunem fecerunt. Sed à Legibus Divinis eum immunem reddere non potuerunt. Poëta Owenus l. 3. ad verba Psalmi 51. *Tibi soli peccavi*, hæc tali disticho inclusit.

Subditus in Legem peccat, Regemque Deumque.
Rex peccat soli (Rex quia nempe) Deo.

X. *Sextò quæritur.* An Rex Judæorum si peccâsset, jure à Judicibus pœna affici potuerit?

Resp. Schickardus multis conatur ex Rabbinis probare Regem non tantùm potuisse in jus vocari, sed etiam pœnâ aliquâ affici. Sed à quibus? A Sanhedrin sive Synedrio maximo, Hierosolymis congregato. Propter quæ delicta? Propter hæc tria, scil. si uxores, si equos, vel si divitias nimiùm multiplicaret. Quali pœnâ, an capitali? Non capitali: negant enim Judæi Regem potuisse occidi à Sanhedrin; sed pœnâ vulgari, h. e. vapulatione sive flagellatione, cujus meminit Moses *Deut.* 25: 2. *Quadragenis plagis percutiet eum.* Hâc pœnâ Paulus 2. *Cor.* 11: 24. se quinquies à Judæis punitum esse asserit, accipiendo singulis vicibus quadraginta plagas minùs una. De hac pœna *vide Buxt. de Abbr. in dedicat. & infra dissert.* 49.

Unde Schickardus hoc paradoxum probat, scil. quod Reges, si peccarent, potuerint à populo pœnâ flagellationis puniri?

Resp. Hoc conatur probare. 1. Ex Maimonide *Hal. Melach. cap.* 3. §. 4. לא ירבה לו נשים מפי השמועה למדו שהוא לוקה וגו' *Ne multiplicet Rex sibi uxores: ex orali traditione hauserunt; licere usque ad* XVIII. *ducere; ut si superadderet vel unicam, vapularet. Ne multiplicet sibi equos, nisi quantum ad currus sufficit: si verò duceret vel unicum ante se ad pompam, ut cæteri Reges solent, vapularet. Ne multiplicet sibi opes, argentum & aurum, ut relinquat in privatis thesauris, ultra id quod erogandum est ministris: si excedit, vapulat.* 2. Probat ex Tractatu Sanhedrin *cap.* 19. ubi ducentæ & septem culpæ enumerantur, & inter eas tres de Regibus, quæ etiam flagellationem merentur, scil. si uxores, equos, aut opes multiplicarent. 3. Ex exemplo Herodis, qui se coram Sanhedrin sistere debuit, ut rationem daret quare Ezechiam latronem cum sociis, inconsulto Hyrcano, ad supplicium rapuisset; & propterea parùm aberat, nisi aufugisset, quin morte punitus fuisset. Vide *Joseph. lib.* 14. *Antiq. c.* 17.

Verum recta ratio & auctoritas Regum videntur contrarium probare: fatemur quidem quosdam antiquos & recentiores Judæos hoc asserere, sed

Digitized by Google

sed absque ullo fundamento. Unde quæso probabunt tale jus unquam concessum fuisse illi Sanhedrin? Quando Sanhedrin tale quid in Reges suos tentavit? David adulterium & homicidium commisit; sed an unquam vapulasse legimus? E contrà *Psal.* 51:7. ait: *Tibi, tibi soli peccavi.* An non esset contra Regiam majestatem seipsum instar facinorosi projicere, & se percutiendum subditis suis dare?

Sed regerit Schickardus illam flagellationem non fuisse pœnam infamem, sed instar mulctæ, quæ etiam à nobilissimis citra infamiam exigitur. Verum enim vero hæc pœna fuit aliquo modo infamis, sed non in tali gradu sicuti jam: imminuit tamen honorem & gravitatem alicujus. Nam Præses τῦ Sanhedrin, si ita vapularet, indignus semper æstimabatur, qui unquam in priorem statum restitueretur. An non Rex omnibus derisui fuisset, si ita in terram projectus flagellatus fuisset?

Deinde Schickardus fatetur se nulla exempla adferre posse, ex quibus talem Regum pœnam probare possit: sed ait se loqui de jure & non dè facto. Verùm de jure quæstio est. Nos negamus tale jus concessum fuisse illi Sanhedrin, & nullibi ex S. Scriptura tale jus probari potest. Tantumdem fidei hic merentur Hebræi, quantum cum certum uxorum numerum, scil. XVIII. qui licitus esset Regi, ridiculâ consequentiâ colligunt. Ipse Maimon fatetur se hunc uxorum numerum ex traditione accepisse; similiter etiam de pœna Regibus infligenda. Sed Judæi in traditionibus allegandis pessimè sæpe contra S. Scripturam eunt. Probant tamen Verpæ sententiam suam ex *Tract. Talm. Sanhed. cap. 2. pag.* 19. *a* אמר רב יוסף לא שנו אלא מלכי ישראל אבל מלכי בית דוד דן ודנין אותן דכתיב בית דוד כה אמר דינו לבקר משפט: *Ait Raf Joseph, non intellexerunt nisi de regibus Israël: at reges familiæ Davidicæ judicant & ipsi judicantur, quia scriptum est* (Jerem. 21:12.): *O Domus David, judicate manè judicium.* Sed absurda hæc probatio satis ipsos Judæos refutat. Abarbanel explicat vocem *manè*, h. e. ut judices sint sobrii, & non cibo vel potu saburrati. De plagis verò Regi infligendis ne γρῦ quidem in dicto loco habetur.

Præterea si Lex excalceationis non habuerit locum in Regibus, quia cum aliqua ignominia erat conjuncta; ergo nec talis flagellatio. Ratio est: quia extractio calcei absque ulla culpa exercebatur, sed non flagellatio: nam hæc propter delictum aliquod infligebatur; & per consequens Rex, ne populo contemptui esset, non potuit ita vapulare.

Denique Casaubonus *ad Annal. Eccl. Exercit.* 13. *num.* 5. negat exemplum Herodis suprà allatum hic obstare, eò quòd cum Herodi dicta dies esset, adhuc juvenis & privatus fuerit.

Con-

Digitized by Google

Concludimus ergo Reges Judæorum nunquam jure vel facto ita fuisse punitos, vel puniri potuisse: & per consequens nemo ex jure vel consuetudine Hebræorum potest probare vel Reges de solio esse detrudendos, vel simili pœna afficiendos, vel ullo modo capite privandos, prout Milton in defensione populi Anglicani facit, cum ait; *Reges Hebræorum judicari posse atque etiam ad verbera damnari.* Ergo regicidium est licitum. Sed antecedens est falsum, & consequentia nullo modo ex tali antecedente, si vel verum esset, procederet. In sequenti Dissertatione Leges Fundamentales Regni Judaici, à Mose *Deut.* 17. latas, ordine describemus; ut ex illis constet Reges Legibus Divinis etiam fuisse subjectos, eosque non potuisse pro libitu populum Judaicum gubernare, nisi velint transgressores Legum Divinarum fieri, & simul privari illis benedictionibus, quas Deus Regibus *versu* 20. promisit, scil. *vitæ longævæ, & derivationis regni in posteros.*

DISSERTATIO VIGESIMA SEXTA,

Quæ est pars tertia & ultima

DE

REGIBUS JUDÆORUM.

XI. *Sex sunt Leges fundamentales Regni Judaici, quarum* prima *est: Non multiplicabit equos.*

XII. Secunda *est: Non reducet populum in Ægyptum.*

XIII. Tertia *est: Non multiplicabit sibi uxores. Judæi putant Regi* 18. *fuisse licitas. Concubinæ non fuerunt meretrices, sed uxores inferioris conditionis. De* 700. *uxoribus & 300. concubinis Salomonis disseritur.*

Confirmatio matrimonii Judaici fusè describitur, additâ figurâ æneâ.

XIV. Quarta *est: Non valde multiplicabit sibi argentum & aurum. Rationes illius legis adduntur.*

XV. Quinta *est: Rex exscribet sibi duplum legis. Et difficultas solvitur quæ ex* 2. *Reg.* 22. 11. *objicitur.*

XVI. Sexta *Lex fundamentalis est: non elevabit cor suum supra fratres.*

XI. SEptimò *quæritur.* Quæ fuerunt Leges fundamentales regni Judaici?

Resp. Leges fundamentales, à Deo Regibus Judæorum mandatæ, describuntur *Deut.* 17. Earum *prima* legitur *versu* 16. לא ירבה לו סוסים *Non multiplicabit sibi equos.*

Tar-

Targum, quod Jonathæ vocatur, hunc textum de duobus tantum equis intelligit, cum ait: לא יסגון ליה על תרין סוסון דלמא ירכבון רבבנוי עליהון ויתגאון ויתבטלון מפתגמי אורייתא: *Ne multiplicentur ei suprà duos equos, ne equitent principes ejus, & superbiant, & cessent à verbis Legis.* Selomo Jarchi numerum quidem non determinat, sed ait לא ירבה סוסים אלא כרי מרכבתו *Non alat plures equos quàm sufficiunt ad currum.* Et alii addunt; *Non habeat Rex duplices vel triplices, ut aliquando ad hos, aliquando ad alios currus aptare per vices possit.*

De hâc lege *quæritur.* Quare Deus interdixit multiplicare equos?

Resp. 1. Ne Reges in multitudine equorum nimiùm superbirent: propterea Maimon scribit, *prohibitum fuisse vel unicum equum phaleratum ante vel juxta currum incedentem alere.* 2. Ne nimiùm confiderent equis. 3. Ne quasi ad emendum equos populum in Ægyptum ducerent. In Ægypto enim erant equi præstantissimi, & sæpe mercatores eò proficiscebantur ut emerent equos, ut discimus ex exemplo Salomonis, 1. *Reg.* 10: 28. *Egressus equorum Salomonis erat ex Ægypto.* Propter has rationes non licitum fuit Regi multiplicare equos. David Kimchi in *Comm.* ad 1. *Reg.* 4: 26. Salomonem hujus peccati accusat, cum ait; אמרו חכמים ז״ל כי עבר על לא ירבה לו סוסים וכו׳ *Dixerant Doctores b. m. Salomonem violâsse hanc legem de non multiplicandis equis: illa enim vetat equos multiplicari supervacaneos. Cum verò Rex duodecim millia equitum haberet, & quadraginta millia præsepiorum equilium. Multos ergò aluit equos non necessarios. Et cui bono tot equites & equos comparavit, cum nulla bella gereret?*

Sed rogabit nonnemo; Quot equi in dicto loco conceduntur?

Resp. Hoc absolutè dici non potest, sed pro ratione pacis vel belli numerus debuit minui vel augeri. Saltem Salomo tempore pacis alens quadraginta millia equorum (1. *Reg.* 4: 26.) videtur contra hoc præceptum mirum in modum peccâsse; & è contrà Paraphrastes Chaldæus, statuens tantùm duos equos in textu intelligi, videtur in numero equorum assignando nimiùm hallucinari.

XII. *Secunda* Lex Regni legitur ibidem, לא ישיב את העם מצרימה *Non reducet populum in Ægyptum.* Quare Deus illum reditum vel illam reductionem interdixit? *Resp.* 1. Ne ibi equos emerent, & sic fastum augerent: immediatè enim in textu additur *ad emendum equos.* 2. Ægyptii erant summi peccatores, & si Reges iterum eò reduxissent populum, facilè populus potuisset seduci ad idololatriam, &c. Vide *Frischmuth de Rege elig.* 3. Ne beneficium liberationis ex Ægypto parvi facerent, sicuti sæpissime fecerunt, *Exod.* 14: 11. & 16: 3. &c.

XIII. *Ter-*

Digitized by Google

XIII. *Tertia* Lex Regni Judaici invenitur *versu* 17. לא ירבה לו נשים *Non multiplicabit sibi uxores.* Ratio additur in Textu: *ne declinet cor ejus.* Nam uxores facilè seducunt maritos suos. Sic Eva seduxit Adamum, & Salomo in gratiam uxorum, 1. *Reg.* 11: 1. Idolis Astaroth, Camos & Milcom columnas & altaria ædificavit. Adhuc alia similia exempla ex sacris & profanis proferri possent, sed simus hoc tempore contenti recitando vulgatum illum versiculum:

Adam, Samsonem, Petrum, Davidem, Salomonem,
Decepit mulier. Quis modò tutus erit?

Quot uxores secundum legem Judaicam Regi impunè fuerunt concessæ?

Resp. Octodecim: sic Targum Jonathæ ait; ולא יסגון ליה נשין על תמנסרי *Neque multiplicentur ei uxores ultra octodecim.* Similiter Maimon *Hal. Melach.* c. 3. §. 4. מפי השמועה למדו שהוא לוקח י״ח נשים ואם הוסיף אחרת ובעלה לוקה: *Ex orali auditione didicerunt, accipere* 18. *uxores: at si vel unicam superadderet atque maritaret, vapulare.* Vide plures probationes in *Schickardo p.* 70.

Unde quæso hic numerus probatur? *Resp.* Salomo Jarchi in Comm. ad *Deut.* 17: 17. probat hunc numerum ex 2. *Sam.* 12: 8. לא ירבה לו נשים אלא שמנה עשרה שמצינו שהיו לו לדוד שש נשים ונאמר לו ואם מעט ואוסיפה לך כהנה כהנה: *Non multiplicabit sibi uxores ultra octodecim: invenimus enim quod David habuerit sex* (sic censet cum Hebræis Vatablus, sed Drusius Davidi octo adscribit) *& tamen illi dicitur* (sc. 2. *Sam.* 12: 8.) *si parum est, addam tibi sicut illa sicut illa*, h. e. bis totidem. Eodem modo etiam alii Rabbini probant. Sed quis non videt hoc absurdissimè probari? Nam pronominis repetitio non definitè rem certam, nec certum numerum, sed indefinitè rem aliquam similem denotat, uti exempla *Jos.* 7: 21. *Judic.* 18: 4. satis demonstrant. Refutat etiam hanc probationem Abarbanel.

Quæritur; An inter 18. uxores Regi quasi concessas etiam concubinæ numerentur? Judæi hoc affirmant.

Porrò *quæritur*; An concubinæ fuerunt meretrices? Et an scandalum præbuit alere concubinam? *Resp.* 1. Non fuerunt meretrices, nec ipsarum liberi fuerunt spurii, sed fuerunt uxores. 2. Nullum scandalum præbuit: etiam viri pii eas alebant: nam in foro soli non erat peccatum. De foro poli hîc non disputamur: nam secundùm illud omnem polygamiam tam inter Patriarchas quàm inter Reges usitatam damnamus. Contrariam tamen sententiam Judæi & multi Christiani defendunt.

Adhuc *quæritur*: Quæ fuit differentia inter veras uxores & inter concubinas Veteris T.

Digitized by Google

Resp. 1. Uxores superiori gradu fuerunt habitæ quàm concubinæ.

2. Illarum filii erant heredes, sed harum filii erant tantùm legatarii, vel accipiebant quædam dona pro toto patrimonio, uti *Gen.* 25: 6. de Abrahamo legitur, præcipuè quando fuerunt concubinæ *servæ*, vel *extraneæ*; sed concubinarum ingenuarum, h. e. Israeliticarum liberi etiam succedebant in hereditatem. Vide Seldenum *cap.* 3. *de successionibus Hebræorum.*

3. Uxores solenniter certis adhibitis ceremoniis ducebantur, sed concubinæ fuerunt ductæ absque ceremoniis.

4. Uxores ducebantur per sponsalia & per dotem, sed concubinæ tantùm per sponsalia absque dotis scriptione & assignatione. Vide *Buxt. de Sponsalibus pag.* 11. & *Schickardum in* משפט המלך *cap.* 3. Concubinæ ergo fuerunt uxores: nam non est verosimile Davidem decem, & Salomonem trecentas aluisse meretrices; cum meretrix ex Lege fuerit prohibita. Deinde concubinæ sæpe vocantur uxores, 2. *Sam.* 15: 16. *Et reliquit Rex decem uxores* (h. e. concubinas,) *ad custodiendam domum.*

Tandem *quæritur*: Nonne Salomon alendo septingentas uxores & trecentas concubinas (1. *Reg.* 11: 3. *Adeo ut essent ei fœminæ principes septingentæ, & concubinæ trecentæ.*) Legem Dei ex sententiâ Judæorum transgressus *est? Resp.* Judæi eum graviter hâc in re transgressum esse asserunt: fuit Rex sapiens sed hîc insipiens.

Verùm *rogabit* nonnemo: Quare Salomon non majorem vitæ & valetudinis suæ habuit rationem? Et quomodo potuit mille uxorum maritus esse?

Resp. 1. Abarbenel putat Salomonem fuisse salacem, libidinosum, & mulieribus deditum; & multas fuisse inter illas mille uxores, quas tantùm semel de vita cognovit: nam postquam Rex aliquam cognovisset, eam putat statim fuisse seclusam, & honoris causâ omnibus aliis viris in æternum prohibitam.

2. Alii arbitrantur Salomonem idem fecisse quod Assuerus, qui congregavit multas virgines, ut videret quænam Regi placitura esset; ut postquam singulas cognovisset, sexaginta ex illis separaret, & segregaret ad coronam regiam, & ex concubinis octuaginta, quod postea etiam fecit. Hinc illustrant locum *Cantic.* 6: 8. ubi Salomoni dicuntur fuisse *sexaginta Reginæ, octuaginta concubinæ, & adolescentulæ multæ.*

3. Alii existimant omnes illas non fuisse ipsius uxores, sed fuisse partim uxores, partim mulieres de vulgo, ad ejus obedientiam destinatas. Fuissent

Digitized by Google

Luces Sabbathinæ. 243.



Matrimonium Judaicum. Pag. 187.



Purgatio Vasorum ante Pascha. 275.



Præparatio et coctio azymorum. 270.



Digitized by Google

ſent ergo quaſi ancillæ & pediſſequæ, quibus aliquando ad voluptatem utebatur, vel quibus etiam nunquam utebatur. Sed prima ſententia nobis placet & ſic non mirum eſt Salomonem 700. uxores & 300. concubinas aluiſſe.

Occaſione Uxorum Regis, breviter hic adjiciemus communem confirmationem matrimonii Judaici.

In hâc primâ figurâ repræſentantur confirmatio matrimonii inter Judæum & Judæam. In hac confirmatione hæc ſequentia conſideranda veniunt.

1. Confirmatio fit communiter ſub dio in plateâ vel horto; ideo hîc nubes cœli ſuprà conſpiciuntur. Quare ſub cœlo? Ut inſtar ſtellarum in cœlo multiplicarentur. Non tamen fit ſine aliquo tegumento: ſed quatuor viri ſive pueri tenent conopœum, ſive tegumentum aliquod, quatuor perticis alligatum, ſub quo matrimònium confirmatur, ut hîc videre eſt.

2. Rabbinus aliquis ſolet matrimonium confirmare, qui hîc togâ indutus ſub conopœo adſtat ſponſæ.

3. Sponſus veſtes ſuas Sabbathinas, & ſponſa veſtes nuptiales induit, ac magnificentiſſimè ſeſe ornat. Mulieres oculis ſponſæ obtendunt velum. Quare? Ne ſponſum præ pudore & modeſtiâ adſpiciat, ad exemplum Rebeccæ, *Gen.* 24: 64. *Rebecca verò ſublatis oculis ſuis, quum videret Jiſakum dejecit ſe de camelo.* 65. *& accepto peplo operuit ſe.* Sponſa ſtat à latere dextero ſponſi. Quare? Quia *Pſal.* 45: 10. habetur; *Aſtat conjux ad dexteram tuam.* Ita hîc ſponſa velatis oculis ad dextram ſponſi ſtans, pudore quaſi ſuffuſa, conſpicitur.

4. In ſummis feſtivitatibus etiam mœſti eſſe debent. Quare? Propter Urbis & Templi deſolationem. Hinc *primò* ſponſus inſtar lugentis in capite geſtat atram umbellam vel cucullum, & ſponſa caput pullo palliolo involvit. *Secundò;* Sponſus cyathum vini, poſtquam ex eo biberunt, parieti allidit ſi virginem ducat; & terræ ſi viduam, etiam ob eandem cauſam. *Tertiò;* Sponſus veſtibus Sabbathinis ſuperaddit longum pallium, ſicuti lugentes incedere ſolent. Hic conſpicitur ſponſus tali pallio, & cucullo in capite ornatus & ſtans ad ſiniſtram ſponſæ.

5. Sponſus & ſponſa faciem obverſam ad Meridiem, & tergum verſus Septentrionem habent. Quare? Benedictonis ergò: nam in Talmude docent Rabbini; *Qui lectum ſuum inter Meridiem & Septentrionem*

Digitized by Google

ita collocat, ut vultum Meridiei obvertat, illi multos nascituros filios.

6. Sponsa ter sponso circumducitur (ut gallus gallinaceus gallinam circumit) Quare? Quia *Jer.* 31:22. habetur; *fœmina ambit virum.* Tum sponsus sponsam acceptam semel quoque circumducit. Interea adstantes benedictionis ergò, in illos conjiciunt frumentum, aliquando ei pecunia pro pauperibus immiscetur, & conclamant פרו ורבו *fructificate & multiplicamini.*

7. Rabbinus manus utriusque conjungit, & à sponso annulum totum aureum, & sine gemmâ accepit, duos testes advocat, quibus eum ostendit, utrum probus sit, & pecuniâ aliquâ æstimandus: tum sponsus in præsentiâ testium indici sponsæ eum induit, & ait: *Ecce annullo hoc desponsata mihi es secundùm ritum Mosis & Israëlis.* Quare annulus debet esse sine gemma? Et unde hoc probant? *Resp.* ad 1. Ne sponsa putaret gemmam eam esse vel spuriam; vel minoris pretii, uti vulgò æstimatur. Ad 2. Quia initiales literæ verborum sequentium, את בתי נתתי לאיש *filiam meam dedi viro*, ferè formant has voces אבן לא יש *Lapis ne sit;* si nempe vox ultima dividatur.

8. Postquam sponsa annulum accepit, statim in præsentia duorum aliorum testium clarâ voce prælegitur instrumentum, & pacta dotalia.

9. Si sponsa sit immunda, statim post matrimonii confirmationem ea à sponso separatur, uti ipse meismet oculis vidi; adeo ut sponsus eam vel digito attingere non audeat, multò minùs eam cognoscere.

10. Vulgò nuptiæ per septiduum solent durare ad exemplum Labanis, qui dixit Jacobo: *Imple septimanam hanc;* & Samsonis, de quo scriptum est: *Si indicaveritis illud septem diebus convivii.* Vide plura *in Synagogâ Buxtorfii c.* 39.

XIV. *Quarta* Lex fundamentalis etiam describitur versu 17. כסף וזהב לא ירבה לו מאד *Argentum & aurum non multiplicabit sibi valdè.* Deus non simpliciter interdicit Regi corradere opes, sed excessum taxat, vetatque *valdè* corradere opes. Deinde non prohibet absolutè multiplicare opes, sed vetat ne *sibi* in peculiari ad fastum multiplicet. Sed quare Deus hanc Legem Regi dedit? *Resp.* 1. Ne nimiùm superbiret, & plùs opibus quàm Deo confideret. Hiskiæ cor propter opes immodicè cumulatas intumuit, *Jes.* 39. & homines propter easdem Dei sui solent oblivisci, *Prov.* 30:9. 2. Ne iniquis exactionibus expilaret suos subditos: hanc rationem dat Abarbenel: לחיותו מבואר שאם ירדף אחר העושר וכו׳ *palam enim est quod si Rex divitiis inhiaret, non justè sed per fas nefasque eas esset conquisiturus.* Si enim Rex sit avarus, detonsa lana non sufficiet, & tandem tentabit pecudes

des deglubere. Iterum hic peccavit Salomo, qui instar lapidum argentum collegit, 1. *Reg.* 10: 27. quapropter populus murmuravit, clam quidem ipso vivente, sed palàm eo mortuo. 1. *Reg.* 12: 4. dicendo: *Pater tuus aggravavit jugum nostrum.* Etiam David tales opes collegit, ut præter eas quas heredibus reliquit, ingentes in ejus sepulchro sint inventæ. *Josephus. lib.* 7. *antiq. c.* 12. ait: *Hyrcanum Pontificem ex sepulchro Davidis tria talentorum millia protulisse, &c.*

XV. *Quinta* Lex occurrit *vers.* 18. & 19. והיה כשבתו על כסא ממלכתו וכתב לו את משנה התורה הזאת על ספר מלפני הכהנים הלוים וגו *Et erit, cum sederit super thronum regni sui, ut scribat sibi duplum Legis hujus è libro qui coram Sacerdotibus Levitis. Eum habeat secum, legatque cunctis diebus vitæ suæ, ut timere discat Deum, custodire Legem, &c.* Deus mandat Regi ut ipse exscribat (vel ut alii volunt, per alium curet exscribi) Pentateuchum, eumque secum ferat, & in eo legat: ratio additur, ut discat Deum timere, Legis verba & instituta observare, &c. Vide plura de Legis exscriptione suprà ad *quæst.* 5. & Frischmuth §. 33. & *seqq.* Sed de modo exscribendi vide *Philol. Hebræum dissert.* 34.

Regeret fortè aliquis, quod mirum sit, si singuli Reges & subditi debuerint exscribere Pentateuchum, quomodo Rex Josias 2. *Reg.* 22: 11. propter Legem à Pontifice Hilkia inventam obstuperit, & vestimenta sua sciderit? An non fuissent plures Pentateuchi præter hunc apud Prophetas, aliosque? *Respondet* Abarbenel, quod Pontifex fuerit lætus, & Rex obstupuerit propter Legem inventam: quia Pontifex ipsum autographum Pentateuchum ab ipso Mose conscriptum inter Templi contignationes invenerat. Hoc videtur confirmari, quia non simpliciter dicitur תורה sed התורה cum he notificativo; quasi diceret, illum ipsum librum Divinum, quem Moses scripsit, & quem hactenus frustra quæsivimus. Præterea hanc Abarbenelis sententiam confirmat illud quod legitur 2. *Paral.* 34: 14. *Hilkias invenit librum Legis Domini per manum Mosis*, h. e. illum librum, qui à Mose scriptus fuit.

XV. *Sexta & ultima* Lex fundamentalis regni Judaici invenitur *versu* 20. לבלתי רום לבבו מאחיו *Ne elevet cor suum supra fratres.* Rex non debuit subditos suos tanquam servos æstimare, nec cogitare se meliori sanguine esse natum; sed è contrà debuit sæpe recordari Deum facilè posse regnum suum alteri tradere. Non tamen Rex tenebatur ita se humiliare, ut respectum & auctoritatem apud populum aliquo modo deponeret: sed è contrà quando in publicum prodibat, vestibus honestioribus, aliisque ornamentis se ornabat. Maimon *H. Melach. cap.* 2. ait, *quod Rex quotidie ton-*

Digitized by Google

tonderetur. Has sex Leges fundamentales Rex tenebatur observare; & si eas observaret, Deus promittit *Deut.* 17:20. duos fructus scil. *vitam longævam, & regni in posteros derivationem.* Hos fructus, propter legum fundamentalium transgressionem, percepisse Salomonem negat Kimchi: nam tantùm quinquaginta duos annos vixit, & filio suo duntaxat sextam regni partem reliquit.

DISSERTATIO VIGESIMA SEPTIMA, *DE* SUMMO PONTIFICE.

I. *Circa Templum fuerunt Sacerdotes, Levitæ & Nethinim. His omnibus erat præpositus Pontifex.*

II. *Pontifices jure ex familiâ Aharonis debebant eligi.*

III. *Aliquando Pontifices præter jus ex aliis familiis fuerunt electi.*

IV. *Jus eligendi Pontifices erat penes Sanhedrin, sed postea Reges nonnulli usurpârunt jus eligendi & deponendi Pontifices.*

V. *Pontifex ungebatur oleo, sed Sacerdotes aspergebantur tantùm oleo. Pontifex indutus erat octo vestibus, cum sacra ministraret, sed Sacerdotes tantùm quatuor. Etiam Pontifex quando die expiationis Sanctum Sanctorum intrabat quatuor vestes inducebat.*

VI. *Octo vestes fusè describuntur.*

VII. *Pontifici licitum fuit vestes lacerare infrà circum pedes, sed aliis Sacerdotibus etiam suprà.*

VIII. *Pontifex non ducebat viduam, nec duas uxores simul; sed Sacerdos ducebat viduam & duas habebat eodem tempore uxores.*

IX. *Duæ differentiæ statuuntur inter Pontificem & Sacerdotes.*

X. *Pontifices & Sacerdotes respectu consecrationis & officii conveniebant in multis.*

XI. *Uno eodemque tempore non fuerunt secundùm legem duo Pontifices.*

XII. *Objectio desumpta ex Marc.* 14: 1. *Ubi* Pontifices dicuntur quæsivisse occasionem capiendi Christum, *solvitur.*

I. Circa Templum fuerunt tres gradus Ministrorum, sive triplices Ministri, scil. Sacerdotes; Levitæ, quorum officium in initio erat portare Tabernaculum de loco in locum; & Nethinim, hoc est *dati*, quia erant dati in servitium populo. Officium Nethinæorum erat findere ligna, & haurire ac apportare aquam. *Ezræ* 8: 20. dicuntur traditi ministerio Levitarum. His omnibus præfectus summus Pontifex fuit. Proxi-

Digitized by Google

Proximus regiæ dignitati honos in Pontifice fulsit: hinc Rabbinorum vetus verbum Israelitas tribus quasi coronis fuisse decoratos, Regno, Pontificatu, & Lege De Primâ coronâ egimus, sequitur jam secunda, de quâ has sequentes quæstiones movebimus.

II. *Primò quæritur.* Ex quâ tribu & familiâ Pontifices fuerunt electi?

Resp. Aharon primus Pontifex à fratre investitus, & in deserto consecratus, fuit ex tribu Levi: sed mortuo Aharone non quilibet Levita, sed ex familiâ tantùm Aharonis Pontifices jure eligebantur. Aharoni fuerunt quatuor filii, Nadab, Abihu, Eleasar & Ithamar, *Exod.* 6: 22. Horum duos priores Deus propter oblationem ignis alieni exanimavit, *Lev.* 10: 1, 2. propterea patri successit in Pontificatum tertius filius Eleasar, *Num.* 20: 26. Hunc Moses patris Aharonis vestibus (scil. Pontificalibus) induit. Deus (*Exod.* 6: 24.) ejus filio Phineæ successionem pollicetur, quoniam hastâ Zimri & Cosbi transfixerat, *Num.* 25: 13. Qui (mortuo patre, *Jos.* 24: 33.) etiam successit, & *Judic.* 20: 28. munere summi Pontificis functus est. Horum successores usque ad captivitatem Babylonicam describuntur 1. *Chron.* 1: 4. & versibus seqq. Summum Sacerdotium jure debebat continuari in lineâ primogeniti Aharonis: cæteri verò ejus posteri vocabantur simpliciter sacerdotes, vel sacerdotes secundani.

III. Annon aliquando ex aliâ familiâ, quàm ex Eleazari aut Ithamari Pontifices fuerunt electi?

Resp. Alcimus Anno Mundi 3782. ex posteris Levi quidem, (quod tamen à Cunæo negatur) sed non ex Eleasaro vel Ithamaro descendens, ab Antiocho Epiphane fuit suffectus: quapropter Onias, Oniæ III. Pontificis filius, per indignationem in Ægyptum ad regem Ptolomæum Philometorem aufugit, ut templum illic conderet, ubi templo condito per triennium Pontificem usque ad mortem egit. Vide *Joseph. Antiq. Jud. l.* 24. *c.* 8. ubi Alcimum vocat Jacimum, aitque eum ex Aharonis progenie quidem ortum fuisse, sed non ex successione Pontificatùs. Post Alcimum etiam Judas Macchabæus, Mattathiæ Assamonæi filius, extraneus, ex posteris tantùm Levi & non Eleasari, nullo successionis jure, à populo fuit electus: & sic tandem plures extranei ex Assamonæis ad dignitatem Pontificatûs fuerunt electi, quorum nonnulli à Josepho dicto loco citantur, ubi sic ait: *Herodes accepto à Romanis regno non amplius ex Assamonæo genere creavit Pontifices, sed eum honorem quibusvis ex sacerdotum ordine concessit, etiam obscuris.* Hinc videmus Pontifices sæpenumero præter jus & æquum etiam ex aliis familiis fuisse electos.

IV. Se-

IV. *Secundò quæritur.* Penes quos fuit jus summos Pontifices eligendi & deponendi?

Resp. Jus eligendi & Pontifices deponendi fuit penes Sanhedrin 70. Virorum, in quorum judicio & potestate totum hoc negotium, quantumcunque erat, positum fuit. *Vide Cunæum l.* 2. *c.* 1. Sed ab initio Aharon & Eleasar jussu Dei investiti sunt à Mose Propheta, *Exod.* 28: 1. *Num.* 20: 26.

An non sæpe Reges hoc jus eligendi & deponendi usurpârunt?

Resp. Nonnunquam Reges Jure Pontifices deposuerunt: sed sæpe contra jus & fas eos elegerunt & exauctorârunt. Salomo Rex & Propheta, 1. *Reg.* 2: 27. Pontificem Abjatharem, quia in factione Adoniæ politicè peccaverat, deposuit, ne ampliùs Pontifex esset. Simiter Saul, sed injustè, Achimelechem, quia Davidem exceperat, deposuit & interfecit, 1. *Sam.* 22: 16. Aliquando Pontifices simul Reges fuerunt, ut Aristobulus II. Alexandri Jannæi Filius; & Antigonus, Aristobuli Filius, quorum ille à Cn. Pompejo pellitur; hic verò ab Herode Antipatris filio Ascalonitâ interficitur. Etiam Anælus, Aristobulus Alexander, Jesus, Simon Boëthus ab Herode fuerunt electi & depositi. Similiter Archelaus, Valerius Gratus, aliique hoc jus injustè usurpârunt. Sed omnium pessimus fuit Herodes Agrippa, qui cum pauca ex honesto & bono, pleraque autem contra Leges & mores majorum gereret, multos Pontifices creavit & amovit; sic Jonathas Annæ F. Simon Boëthi F. Matthias Annæ F. ab Herode Agrippa electi & remoti sunt. Tandem illa consuetudo in jus mutata videbatur: nam Claudius jus Pontificem eligendi concessit Agrippæ Herodi Chalcidensium Regi mortuo Agrippâ fratre: ea propter ab eodem Herode Chalcidensium Rege hi sequentes Pontifices fuerunt creati & depositi, scil. Josephus Camydi F. Ananias, (hunc Paulus *Act.* 23. parietem dealbatum vocat) Ismaelus, Josephus, Anna, Jesus Mnaseæ F. Jesus Gamalielis F. Matthias Theophili F. *Vide Alstedii Chronologiam.* Et sic hoc jus injustum usque ad extrema belli Judaici permansit.

V. *Tertiò quæritur.* In quibus summi Sacerdotes sive Pontifices à Sacerdotibus vulgaribus sive secundanis respectu *consecrationis* & respectu *officii* differebant?

Resp. 1. Respectu *consecrationis* in his sequentibus differebant. 1. Summi Sacerdotes ungebantur oleo, & quidem in formam X Græcorum, sive in formam crucis inter supercilia, cùm Reges fuerint uncti in formam O, sive in formam coronæ. Hinc Pontifex *Levit.* 4: 5. vocatur הכהן המשיח

Sacer-

Sacerdos unctus. Jonathan transfert כהנא רבא *Sacerdos magnus* vel *summus.* Aben Ezra disertè ait: *Sacerdos magnus ipse est Sacerdos unctus.* Lyranus adhuc clariùs proponit: *Sacerdos unctus est Sacerdos magnus, quia inferiores Sacerdotes non ungebantur.* Oleum unctionis non erat vulgare, sed confectum ex myrrha, cinnamomo, calamo odorato, & casia, secundùm mandatum Dei *Exod.* 30: 23, 24. Mosi datum. Oleum effundebatur in caput Aharonis, *Levit.* 8: 12. abundanter: nam à capite ejus descendebat in barbam & oram togæ talaris, *Psal.* 133: 2.

Secundani Sacerdotes tantùm aspergebantur oleo, mixto sanguine sacrificii, *Levit.* 8: 30. In his præfigurabatur unctio nostri Salvatoris supra alios, *Psal.* 45: 8. *Propterea unxit te, ô Deus, Deus tuus oleo alacritatis ultra consortes tuos.* Nam sive unctionem Salvatoris nostri consideremus extensivè sive intensivè, longè ea superat unctiones aliorum. Extensivè, Aharon fuit unctus Sacerdos, Saul unctus Rex, Elisa unctus Propheta, Melchisedec Rex & Sacerdos, David Rex & Propheta; sed Salvator fuit unctus in Prophetam, Sacerdotem & Regem. Intensivè si consideretur, ea etiam superat alias unctiones: Christus enim erat unctus & plenus gratiâ, *Joh.* 1: 14. & ex ipsius plenitudine nos tantùm participamus *vers.* 16. *Vide Godvvin. l. 1. c. 5.*

2. Pontifex octo vestibus fuit indutus cum sacra ministraret; gregarii verò Sacerdotes tantùm quatuor: sic docet Misna Tractatu *Joma. c.* 7. §. 5. כהן גדול משמש בשמנה כלים וההדיוט בארבעה בכתנת ומכנסים ומצנפת ואבנט מוסף עליו כהן גדול חשן ואפוד ומעיל וציץ *Sacerdos magnus in octo vestibus ministravit, gregarius in quatuor: in tunica, & femoralibus, & tiara, & baltheo. Sacerdos magnus his addidit pectorale, & Ephod, & pallium, & laminam.* Hæc octo vestimenta vocantur à Talmudicis בגדי זהב *vestimenta aurea,* non quod singulis aurum intextum fuerit, sed quod cæteris ornatiora & splendidiora fuerint. Hæc octo vestimenta induit Sacerdos magnus, quando extra Sanctum Sanctorum ministrabat: nam cum illud intraret, quatuor tantùm vestibus albis, & ex lino tantùm contextis usus fuit, quæ vocantur בגדי לבן *vestes albæ:* ita inquit Maimonides in Cele Hammikdasch *cap.* 8. ex Joma: בגדי לבן הם ארבעה כלים ששמש בהן כהן גדול ביום הכפורים וארבעתן לבנים ומן הפשתן לבדו הן: כתנת ומכנסים ואבנט ומצנפת *Vestes Laban* (sive albæ) *fuerunt indumenta quatuor, quibus indutus Pontifex sacra faciebat die jejunii. Erant autem ea albi coloris, atque ex lino tantum: nimirum tunica, bracha, cingulum, & infula.* Hæc sententia evincitur verbis, quæ *Levit.* 16: 4. leguntur, ubi Aharon ingressurus Sanctum Sanctorum has vestes induere tenebatur; *Tunicam lineam sanctam*

ctam induito; & bracha linea sunto super carnem ejus; & balthea lineo accingitor; & infula linea tegitor. Mox *versu* 32. addit, *Expiationem sacerdos faciet, & induet vestes lineas, vestes sacras.* Pontifex finito expiationis festo illas vestes deponebat, nec unquam eas ampliùs induebat.

Hæ quatuor vestes non sunt eædem cum quatuor prioribus, quas Pontifex extra adytum gerebat, etiamsi iisdem nominibus nominentur, nam priores ex pretiosiore lino erant, & baltheus fuit opere Phrygiano; utrobique quidem scil. *Exod.* 28. & *Levit.* 16: 32. lineæ vestes sunt, quæ describuntur, sed posteriores vocantur בגדי חבר *vestes lineæ*, scil. lini vulgaris, cum priores nominentur שש *byssus*, scil. exquitissimi generis. Josephus, etsi vir fuerit genere Sacerdotali ortus, hîc hallucinatur, quum ait Pontificem indutum fuisse veste Ephod & Coschen cum adytum intraret. *Vide Cunæum l. 2. c. 1.* cujus verba sic sonant: *Talmudici ea vocant* בגדי זהב vestimenta aurea, *non quod intextum omnibus aurum esset, sed quod ornatiora essent ..... Neque verò dicat aliquis, ex octo illis indumentis, priora quatuor videri eadem esse cum illis, quorum usum ante diximus fuisse peculiarem in Sancto Sanctorum. Nam & ex pretiosiore lino erant, quæ Pontifex extra adytum gerebat, & balteus fuit opere Phrygiano. Quæ manifestè cernet, qui contulerit, quæ leguntur in Exodi* capite vigesimo octavo & *quæ extant in Levitici* capite decimo sexto. *Nam etsi lineæ sint, quæ describuntur utrobique, tamen* בד *vulgare linum est, cum* שש *byssus exquisitissimi generis sit.*

Pontifex ergo semper octo illis vestibus aureis extra Sanctum Sanctorum, & in Sancto Sanctorum quatuor tantum vestibus lineis indutus administrabat: sed gregarii Sacerdotes quatuor vestibus aureis (uti suprà eas descripsimus) munus suum obierunt. Si Pontifex, vel alius quis Sacerdos plures aut pauciores vestes, quam Lex imperat, adscivisset; si emplastrum vulneri impositum inter carnem ejus & vestes latuisset; si vestes ruptura deformâsset; aut sordes inquinâssent, ministerium irritum fuisset. Vide hoc probatum ex Gemara à *doctiss. Sheringhamio in Joma pag.* 168. ubi etiam vestium Sacerdotalium aliqualem addit descriptionem. Has supradictas vestes summus Sacerdos non gerebat per urbem nisi necessitate urgente: ita Simeon Sacerdotalibus vestibus indutus obviam Alexandro Magno ivisse dicitur, eumque ad clementiam movisse.

Expli-

Digitized by Google



Veſtes Sacerdotales.

Digitized by Google

Explicatio hujus Figuræ.

VI. Hic conſpiciuntur octo diverſæ veſtes cum totidem Sacerdotibus, qui tali veſte, qualis juxta eos ſingulos depingitur, veſtiti ſunt. Vulgares Sacerdotes, quando in Sanctuario miniſtrabant, quatuor prioribus veſtibus induti erant, ſed Summi Pontifices quatuor poſteriores veſtes in Sanctuario (non in Sancto Sanctorum) miniſtrantes, unà cum quatuor prioribus induebant. Quatuor ergo veſtes priores fuerunt communes tam pro Sacerdotibus vulgaribus, quàm pro Pontifice ſummo; ſed quatuor poſteriores erant tantùm pro ſummo Pontifice.

Prima veſtis eſt מִכְנָסַיִם *femoralia*, Exod. 28:42. *Fac eis femoralia linea ad tegendum carnem nudam: à lumbis uſque ad ima ſunto.* Habet formam dualem propter duas ejus partes. Igitur hæc femoralia erant lineæ braccæ, quibus Sacerdotes femora & pudenda velabant. Targum Jonathanis ad *Ezech.* 44:18. ait: *quod ſupernè circa cor conſtringerentur.* Infernè ipſa genua attingebant, imo includebant; uti hodiernæ braccæ virorum, quæ etiam ipſa genua tegere ſolent. Hæc femoralia tegebant nudam carnem, & à parte anteriori erant clauſa, ac inſtar crumenæ linteis circa lumbos ligebantur. Neſcio quare Vir aliquis eruditus carpat hæc verba: *infernè ipſa genua attingebant, imo includebant;* cum illæ braccæ fuerint datæ ad *tegendum carnem nuditatis à lumbis uſque ad ima;* vertentibus ſic Junio & Tremellio. An non braccæ meliùs potuerunt tegere carnem nudam infernè concluſæ, quàm ſi apertæ fuerint. Et ſi, fatente Auctore, S. Scriptura hòc non determinat, quare ergo ille hoc determinat & limitat? Braccæ ita concluſæ nullo modo Sacerdotibus ſacra obeuntibus fuerunt impedimento, quo minùs Sacra peragere potuerint. Et non debebant eſſe impedimento, uti ait Aben Ezra.

Secunda veſtis eſt כתונת *tunica*, Exod. 28:40. *Filiis Aharonis facies tunicas.* Tunica Sacerdotalis erat indumentum lineum, totius corporis velamen: aliter vocatur camiſia. Tunica erat talaris, & duplici ſyndone conſtabat; etiam contexta erat ad modum retis. Joſephus *l.* 3. *c.* 8. *Antiq. Jud.* ait: *eam fuiſſe manicatam, ſtrictimque corpori adhæſiſſe.* In ſuperiori parte erat foramen, cui Sacerdos caput imponebat; adeo ut hæc tunica reſpectu partis ſuperioris ipſam carnem tetigerit, & totum corpus ad pedes uſque operuerit. Manicæ hujus tunicæ eâdem quidem materiâ conſtabant, quâ tunica; ſed ei erant aſſutæ.

Digitized by Google

Tertia vestis est אבנט *balthens*, Exod. 28: 40. *Filiis Aharonis facies balthees.* Baltheus erat cingulum 3. sive 4. digitos latum, & 32. ulnas longum; eo Sacerdotes cingebant tunicas, ut magis agiles, magisque expediti essent, cum ad opus progredi deberent: nam tunicæ solutæ & laxatæ brachiis incommodassent. Erat variis floribus figurisque instar operis plumarii acu pictus, contextura ejus erat cava, ut serpentis exuvium, aut marsupium longius putares, inquit Sheringamius in Joma. Duæ extremitates balthei dependebant ornatûs causâ à lumbis deorsum. *Vide Josephum l. 3. c. 8. Antiq. Jud.*

Quarta vestis est מצנפת *cidaris*, *tiara*. Sunt qui hanc vestem solius summi Pontificis esse contendunt, sed contra Misnæ & Josephi authoritatem. Hæc tiara erat fascia linea, quæ multis contorta voluminibus caput instar capitii cinxit, & in occipitio redimiculo constricta fuit. Extrinsecè fuit tecta lino præstantissimo & subtilissimo ne suturæ conspici possent. Tiara duobus ligamentis sub mento ligabatur, ne tempore ministerii de capite in terram caderet.

Quinta vestis, quæ cum reliquis seqq. propria erat summo Pontifici, est מעיל *pallium* Exod. 28: 31, 32, 33. *Facies pallium ipsius amiculi, totum hyacinthinum. In cujus medio sit os transmittendo capiti ejus: limbus esto ori illius circumquaque opere textili, velut os loricæ esto illi, ne laceretur. Et facies in fimbriis ejus malogranata hyacinthina, & purpurea, & coccinea dibapha in fimbriis ejus circumquaque, & tintinnabula aurea circumquaque, &c.* Est vestis hyacinthina, exterior, oblonga & talaris. Non habet manicas sed foramina tantùm per quæ brachia extenduntur. Huic vesti sive pallio appensa erant 72. tintinnabula aurea, & totidem mala punica; adeo ut inter duo tintinnabula unum fuerit malum, & vicissim inter duo mala unum tintinnabulum. Quare? Ut sonus Sacerdotis magni, cum adiret Sanctuarium, vel exiret, audiretur *Exod.* 28: 35. Suprà habet unicum foramen, non transversum, sed in longum descendens à tergo & antè usque ad medium pectus,

Sexta vestis est אפוד *Ephod*, *amiculum*, *superhumerale*; Exod. 28: 4. *Hæ autem sunt illæ vestes quas facturi sunt, pectorale sacrum, & amiculum, &c.* Est vestis facta ad modum pectoris tegens tergum & latera à collo usque ad lumbos, sed anteriorem pectoris partem relinquit vacuam, & habet lacunam ad latitudinem & altitudinem spithamæ, ut ei insereretur pectorale, vestis septima. Imæ parti alligatæ sunt duæ longæ zonæ, quibus cingebantur lumbi Pontificis, ut vestes pressius corpori adhærerent, utque illis pectorale inniteretur. Hæc vestis ex variis coloribus auro intermixto

Digitized by Google

to fuit contexta, & ab utraque parte supernè habuit superhumerale: in utroque fuit gemma pretiosa, & unicuique gemmæ inscripta erant sex nomina tribuum. Vide ejus formam *Exod.* 28: 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12.

Septima vestis est חשן *pectorale*, Exod. 28: 4. quod vocatur *Exod.* 28: 15. חשן המשפט *pectorale judicii*, quia per ipsum Sacerdos magnus divinum responsum accepit, & judicium de bello & pace, cæterisque ad salutem Reipublicæ spectantibus, edidit. Græcis etiam dicitur λόγιον *rationale*: quia ad pectus, rationis quasi sedem, fuit appositum. Salomo Jarchi ad *Exod.* 28: 4. vocat pectorale תכשיט כנגד הלב *Ornamentum è regione cordis*. Erat sanè ornamentum propter immane pretium luculentissimum, collo appensum, & ad pectus usque pendulum. Hoc pectorale erat quadratum & duplicatum ad magnitudinem spithamæ, duodecim habebat gemmas quæ in quatuor ternarios ordines dispositæ erant, & quibus arte sculptoriâ nomina duodecim tribuum incisa erant. Etiam illi pectorali imposita erant Urim & Tummim, per quæ Pontifex responsum à Deo accipiebat. Tota ejus forma unà cum annulis & catenulis describitur *Exod.* 28: 15, 16, 17, 18, 19, 20, 21, 22, 23, 30. *Facies sacrum pectorale juris opere artificiosissimo, sicut opus amiculi facito illud: ex auro, hyacinthino, & purpureo, & coccineo dibapho, & Xylino internexo facito illud. Quadratum esto, duplicatum: spithama unius longitudine sua, & spithama unius latitudine sua. Et inseres ei insitivos lapides, lapides ordinibus quatuor: ordo, pyropus, topazius, & smaragdus, hic ordo primus. Hic autem ordo secundus, chrysoprasus, sapphirus, & adamas. Et hic ordo tertius, cyanus, & achates, & amethystes. Hic denique quartus ordo, beryllus thalassius, & sardius, & jaspis: impacti fundis aureis sunto insitionibus suis. Hi autem lapides sunto cum nominibus filiorum Israelis duodecim, secundùm nomina eorum: sculpturis tanquam sigilli secundùm cujusque nomen sunto pro duodecim tribubus. Et aptabis ad illud pectorale sacrum catenas æquabiles, opere tortili, ex auro puro: factisque pro illo sacro pectorali duobus annulis aureis*, &c. *Deinde pones in sacro illo pectorali Urim & Tummim*, &c.

Octava vestis est ציץ *lamina, bractea*, & quidem aurea, duos digitos lata quæ frontem Pontificis ad aures usque cinxit. *Exod.* 39: 30. vocatur *coronamentum sanctum*: ei inscriptæ erant hæ duæ voces קדש ליהוה *Sanctitas Jehovæ*. Hæc lamina vittâ hyacinthinâ ad tiaram Pontificiam, h. e. vestem quartam, adstringebatur. In figurâ hâc lamina illa duobus modis conspicitur, vel separata à tiarâ (h. e. capitio sacerdotali) unà cum vittis, vel conjuncta tiaræ. Eam laminam mandavit Deus *Exod.* 28: 36, 37, 38.

Facies bracteam ex auro puro: & insculpes ei sculpturis tanquam sigilli SANCTITAS JEHOVÆ. *Quam appones cum vitta hyacinthina, ita ut sit super ipsam cidarin: è regione anterioris partis ipsius cidaris esto. Sic erit super frontem Aharonis*, &c. Hæc de vestibus Sacerdotalibus dicta sufficiant.

VII. Circa vestes adhuc unicum dubium solvendum est, quod elicitur ex *Matt.* 26: 65. de Caipha Pontifice, quia ad Messiæ augustam vocem vestes suas lacerâsse dicitur. Hinc quæritur; An Pontifici licitum fuerit vestes suas lacerare? Et an Caiphas hîc non contra Legem *Levit.* 21: 10. datam fecerit; sicuti Interpretes plerique volunt? *Resp.* Pontifici licitum quidem fuit vestes disrumpere, sed infrà tantùm circum pedes; non verò suprà & ad sinum pectoris: verùm cæteris sacerdotibus licuit vestes lacerare à summâ parte deorsum. Ita determinatum est in fine Tractatus Horajoth. Ergo Caiphas, si vestes suas disrupit infrà circum pedes, non peccavit contra legem à Judæis latam.

VIII. 3. Pontifex nec viduam, nec per divortium repudiatam, nec meretricem unquam secundùm Legem *Levit.* 21: 14. datam ducebat, sed solùm virginem: verùm cæteris Sacerdotibus tantùm duæ posteriores fuerunt interdictæ; viduam verò, si placeret, ducere impunè poterant. Præterea nefas fuit Pontifici duas uxores simul in matrimonio habere: quod si haberet, cum alterutra divortium erat faciendum ante diem expiatonis. Ni id fecisset, obire piaculare sacrum solenni illo die in templi adytis nequivit: sed cæteris Sacerdotibus plures uxores ducere licitum fuit. *Vide Cunæum l. 2. c. 3.*

IX. Respectu *officii* inter Pontificem & gregarios Sacerdotes hæ fuerunt differentiæ. 1. Pontifex solenni expiationum festo, quod die decimo mensis Tisri celebratum quotannis fuit, Sanctum Sanctorum solus intrabat; cæteri verò Sacerdotes nunquam illud intrârunt.

2. Pontifici non licitum fuit se polluere ob ulla cadavera in genere, nec in specie ob cadavera patris vel matris, *Levit.* 21: 11. sed cæteris Sacerdotibus talis Lex non fuit data.

X. *Quartò quæritur.* In quibus Pontifices & Sacerdotes vulgares respectu consecrationis & respectu officii conveniebant?

Resp. I. Respectu *consecrationis* in his sequentibus conveniebant.

1. Utrique debebant esse liberi à vitio corporis, *Lev.* 21: 17.
2. Utrique conveniebant ad portam tentorii conventus, *Exod.* 29: 4.
3. Utrique debebant aquâ lavari. *ibid.*
4. Utrique per oblationem sacrificiorum consecrabantur, *Exod.* 29.

5. Ju-

Digitized by Google

5. Jugulato ariete ſanguis imponebatur infimæ auriculæ, pollici manus dextræ, & pollici pedis dextri tam Pontificis, quàm cæterorum Sacerdotum, *Exod.* 29:20. *Vide Godvviin in Moſe & Aharone l.* 1. *c.* 5.

II. Reſpectu *officii* etiam conveniebant in his ſequentibus.

1. Utrique adolebant in altari holocauſti, & in altari ſuffitûs, atque ſacrificia offerebant, 1. *Chron.* 6:49.

2. Utrique judicabant de leprâ, *Lev.* 13:2. Cæteras convenientias brevitatis cauſâ tranſilimus.

XI. *Quintò quæritur.* An non aliquando uno tempore fuerunt plures Pontifices?

Reſp. Eodem tempore ſecundùm legem tantùm fuit unicus ſummus Pontifex, qui cæteris præpoſitus fuit. Mortuo Aharone ſucceſſit Eleaſar, mortuo Eleaſaro ſucceſſit Phineas, & ſic deinceps.

Contra hanc ſententiam objici *primò* poteſt, quod *Luc.* 3:2. habetur; ubi *verbum Dei ſub Pontificibus maximis Annâ & Cajaphâ dicitur factum eſſe ad Johannem Zachariæ filium in deſerto.*

Reſp. 1. Nonnulli putant tum temporis res eccleſiaſticas ita fuiſſe turbatas & confuſas, ut eodem tempore duo ſimul Pontifices fuerint, qui per vices eo munere fungebantur; unus uno, alter verò altero anno; quod videtur probari ex *Joh. cap.* 11. *verſ.* 49. 51. & *cap.* 18. *verſ.* 13. ubi Cajaphas dicitur fuiſſe Pontifex illius anni, & *Act.* 4:6. vocatur Anna Pontifex.

2. Vel dicendum eſt ſummo Pontifici adjunctum fuiſſe Vicarium, qui tempore pollutionis vices Pontificis ſupplebat: nam Pontifici polluto non licuit intrare Sanctum Sanctorum, & nihilominus decimo die menſis Tiſri aliquis debuit intrare. Hic Vicarius vocatus fuit סֶגֶן *Segen*; ſic ait Elias Thisbites; המשנה לכהן גדול נקרא סגן *Secundus à Sacerdote magno vocatur Segen.* Talis Vicarius videtur fuiſſe Zephania, qui *Jerem.* 52:24. vocatur ſecundanus Sacerdos, reſpectu Serajæ primarii Sacerdotis. Ita nonnulli interpretantur verba *Luc.* 3:2. & ajunt Annam fuiſſe Vicarium Cajaphæ. Ut ut ſit, alterutra reſponſio eſt vera. Si ultimis corruptis temporibus ſimul fuerunt duo Pontifices, qui per vices hoc munere fungebantur, hoc factum eſt contra Legem, & invitis Judæis: nam hoc tempore Romani Pontificatum concedebant, quibus volebant.

XII. Adhuc *ſecundò* objici poſſet, quod videantur fuiſſe plures Pontifices eodem tempore; quia *Marc.* 14:1. ἀρχιερεῖς *Pontifices* & Scribæ dicuntur quæſiviſſe occaſionem capiendi Chriſtum.

Reſp. Omnes Sacerdotes, ex duobus filiis Aharonis, Eleaſaro ſcil. & Itha-

Digitized by Google

Ithamaro descendentes, divisi sunt à Davide in viginti quatuor sacerdotales familias sive ordines; sexdecim ex posteris Eleasari, & octo ex posteris Ithamari, uti legere est 1. *Chron.* 24. Singuli ordines per vices hebdomadatim ministrabant, & unicuique Ordini erat præpositus aliquis summus sive primarius Sacerdos, belgicè dictus *Overpriester*, à quo totus ille Ordo deinceps denominabatur. Fuerunt ergo 24. primarii Sacerdotes 24. Ordinibus præpositi, & tales hîc dicuntur quæsivisse occasionem capiendi Christum. Zacharias *Luc.* 1:5. dicitur fuisse ex classe Abiæ, hoc est, ex octavâ classe, ut videre est 1. *Chron.* 24. ubi omnes 24. classes enumerantur. Electâ aliquâ ex 24. classibus, fiebat iterum sortitio in illa Classe, & per sortem constituebantur singulorum Sacerdotum munera, scil. quis accenderet holocausta, quis mactaret bestias, quis faceret suffitum, &c. Sic Zachariæ, *Luc.* 1:9. per sortem concessum est munus faciendi suffitus.

Plura hîc de Pontifice & Sacerdotibus addi possent, scil. quomodo Pontifex septem diebus ante diem expiationis à domo suâ ad Conclave Parhedrorum separatus fuerit, &c. Præterea quæ vitia Pontifices & Sacerdotes indignos reddiderint, quo minus offerre potuerint, &c. sed ea brevitatis causâ omittimus. Consulat curiosus Lector de prioribus Tractatum *Joma*, & de posterioribus *Seldenum de Success. in Pontificatum Hebr. l.* 2. *c.* 5.

DISSERTATIO VIGESIMA OCTAVA,

Quæ est pars prima

DE

NUMMIS & PONDERIBUS

in S. Scriptura usitatis.

I. *Varia nomina Veteris & N. T. recensentur, quæ denotant possessiones, divitias & rem nummariam.*

II. *Siclus fuit nummus apud Hebræos, Chaldæos & Syros, ad quem reliqui nummi examinabantur.*

III. *Siclus habet rationem ponderis vel monetæ.*

Siclus est vel sacer, *vel* profanus.

Sacer valet semi imperialem.

IV. *Christus venditur est 30. sacris siclis.*

V. *Sicli sacri etiam usibus profanis destin*

destinabantur.
VI. *Ratio datur quare sacer vocetur.*
Profanus valet dimidium sacri.
Siclus est communis, Judaeo-Christianus & proprius.
VII. *Sicli vel literis Hebraicis vel Samaritanis fuerunt insigniti.*
Triplex siclus in figura exhibetur.
Siclus dividitur in semissem, trientem & quadrantem.
VIII. *Siclus ratione ponderis explicatur, & variis exemplis illustratur.*

I. DE Nummis, quorum S. Scriptura meminit, acturi, priùs nomina generalia, quibus divitiæ, possessiones & res nummariæ in S. Codice denotantur, recensebimus: deinde nomina specialia nummorum tam Veteris quàm N. T. ordine explicabimus. Priora nomina generalia divitias, possessiones & res nummarias denotantia, sunt sequentia.

1. און *robur*, *opes.* Opes sic vocantur, quia vel robore, vel iniquitate, aut molestia, & labore acquiruntur; aut quia homines robur suum in iis collocant. Apud *Hozeam c.* 12. *v.* 8. dicitur, מצאתי און לי *Inveni divitias mibi*, vertente sic Pagnino & Kimchio in Comm. און כמו הון h. e. און *idem est quod* הון *divitiæ.*

2. הון *substantia*, *opes*, Ezech. 27: 33. ברב הוניך *Multitudine opum tuarum.*

3. מִקְנֶה *Possessio*, ea propriè, quæ pecuniâ acquiritur: sed *Jes.* 30: 23. pro pecoribus sumitur, ירעה מקניך *pascent pecora tua*: nam Veterum possessio præcipuè in pecoribus consistebat.

4. חַיִל *robur*, *exercitus*, *opes*; *Gen.* 34: 29. כל חילם *omnes opes eorum.*

5. חֹסֶן *robur*, *thesaurus*, *opes*, quia robur & firmamentum hominis sunt; *Ezech.* 22: 25. חסן ויקר יקחו *opes & res pretiosas capiunt.*

6. נְכָסִים *opes*, sic *Jos.* 22: 8. בנכסים רבים *cum opibus multis.*

7. עֹשֶׁר *divitiæ*, 2. *Paral.* 1: 11. ולא־שאלת עשר *& non petiisti divitias.*

8. סְגֻלָּה *segullah*, propriè significat *peculium*, h.e. quod homini carum & pretiosum est, atque in delitiis asservatur: sed ad personas restrictum denotat populum Dei à Deo singulariter electum, sic *Exod.* 19: 5. והייתם לי סגלה מכל העמים *Utique eritis mihi peculium præ omnibus aliis populis.* Verùm duobus in locis sumitur pro re nummariâ, auro scilicet & argento, aut rebus pretiosis, 1. *Chron.* 29: 3. *In domo Dei mei est mihi* (*segullah*) *peculium*, *aurum & argentum*, & Eccl. 2: 8. *Segullah* (peculium) *Regum.*

9. זָהָב *aurum*, quæ vox aliquando in genere denotat opes & facultates, *Deut.* 17: 17. *Rex ne multiplicet sibi aurum*, h. e. opes. Deinde significat vel

Digitized by Google

vel aurum infectum & & non laboratum, 1. *Reg.* 10: 11. *Classis Hirami Ophirâ afferebat aurum;* vel aurum factum & paratum artificis manu: sic sumitur in omnibus locis, in quibus vasa, instrumenta, aliaque ad usus profanos vel sacros ex auro dicuntur facta. Denique denotat in genere pecuniam *Jesa.* 46:6. *Qui prodigunt aurum ex marsupio.* Aurum varia habet synonyma, quæ quasi ejus genera & attributa sunt. α. Vocatur פָּז *pâz*, aurum solidum, & benè purgatum, *Psal.* 19: 11. *desiderabilia* מזהב ומפז רב *præ auro & auro solido plurimo.* β. Vocatur זהב מוּפָז *aurum solidum*, h.e. optimum & depuratissimum, 1. *Reg.* 10: 18. γ. חָרוּץ, ab exscindendo sic dicitur: quia è terræ penetralibus exscinditur, *Proverb.* 8: 10. מחרוץ נבחר *præ auro selecto.* δ. כֶּתֶם *aurum insigne, aurum purgatissimum*, *Psal.* 45: 10. בכתם אופיר *in auro ophirino.* Tale aurum etiam vocatur מִכְתָּם. David *Psalmos* 16. 56. 57. 59. 60. tali titulo insignivit. Quare? Ob insignem eorum materiam; quasi diceres, Psalmos aureos, h. e. maximè insignes & illustres. ε. אוֹפִיר *aurum ophir*, h. e. aurum præstantissimum ex Ophir (regione Indicâ orientali remotissimâ auriferâ) allatum, *Job.* 22: 24. ζ. בֶּצֶר *aurum lectissimum*, quasi ab igne munitum; aut quòd sit hominis munimentum, *Job.* 22: 24. η. סָגוּר *aurum optimum*, à claudendo & custodiendò sic dictum, *Job* 28: 15. *Non datur* סגור *aurum asservatum.*

10. כֶּסֶף *argentum*, vel infectum *Job* 28: 1. *Est argento eductio*; vel factum & elaboratum, 1. *Chron.* 28: 15. *Candelabra argenti*; vel signatum, h. e. pecunia, 1. *Reg.* 21: 6. *Cedo mihi vineam tuam argento*, h. e. pecuniâ. כסף etiam denotat in genere opes & facultates, *Genes.* 31: 15. *Etiamne comedendo comederit argentum nostrum?*

11. In Novo T. etiam voces nonnullæ occurrunt rem nummariam denotantes; paucas earum attingemus, ut ממון. Μαμμωνᾶς, *Mammona, pecunia, opes, divitiæ, facultates*; *Matth.* 6: 24. ὐ δύνασθε Θεῷ δυλεύειν καὶ μαμμωνᾷ. *Non potestis Deo servire & mammonæ*: & *Luc.* 16: 19. cum unico m. invenitur; *Facite vobis amicos* ἐκ τῦ μαμωνᾶ τῆς ἀδικίας *ex mamona injusto.* Drusius putat ממון derivari ab אָמַן, factâ contractione literæ א. pro מאמונא: & sic vocabuntur divitiæ, quia homo in iis confidit. Quidam affine ipsi faciunt מום *vitium*: quia Mammon dicitur de divitiis per sordidum lucrum acquisitis. Alii adducunt Græcorum μαιμάω *vehementer, sollicitè cupio*: quòd pecunia avidè desideretur & expetatur. Nonnulli dicunt ממון esse, quasi dicas מה אתה מונה אינו כלום *quod tu numeras id nihil est.* Vide *Lex. Talm. Buxtorfii.* Mamona ergo apud Matthæum & Lucam denotat divitias, lucrum, aut thesauros, quæ nonnunquam ab homini-

nibus inſtar Dei honorantur & coluntur. Mamona Veteres etiam pro Numine, ſive pro Deo vel Dea pecuniæ habuerunt: quia crediderunt aliquod Numen pecuniæ præeſſe. Talis pecuniæ præſes ac Deus apud Ægyptios creditus atque cultus fuit Serapis, ſive Oſiris, ideo dictus δωτὴς ἐάων *dator bonorum, propriorum & peculiarium.*

12. χαλκὸς, *as, nummus aneus.* Hæc vox in genere ſignificat quidem æs, ſed in duobus ſequentibus locis ſumitur pro pecuniâ; *Matt.* 10: 9. *Ne comparetis as in zonis veſtris*: & *Marc.* 12: 4. *Spectabat quomodo turba immitteret in gazophylacium as*, h. e. pecuniam æneam. Hæc ſunt præcipua nomina, quæ in V. & N. T. denotant poſſeſſiones, divitias & rem nummariam. Si quis plura deſideret, etiam Talmudica & Rabbinica, vel nonnullorum præcedentium copioſiorem explicationem, adeat doctiſſimi *Waſeri librum* 1. *de Nummis Hebræorum.*

II. Jam ſequuntur primò explicanda Nomina ſpecialia Nummorum, quorum in Veteri T. mentio fit. Sicuti apud Latinos uſitatiſſimæ monetarum ſpecies fuerunt *Denarius* & *Seſtertius*; apud Græcos verò *Drachma*, *Mina*, *Talentum*; ita apud Veteres Hebræos, Chaldæos & Syros maximè uſitatus fuit *Siclus*, qui etiam fuit regula & cynoſura, ad quam reliqui nummi examinabantur: ideo de eo primo loco agemus.

III. *Siclus* ab Hebræis שֶׁקֶל, à Chaldæis & Syris תקלא vel מתקלא vocatur, & derivatur à שקל vel תקל *appendit, ponderavit, libravit.* Græci vocant σίκλον & σίγλον, aliquando δίδραχμον, &c. De eo hæc ſequentia annotabimus.

1. Siclus habuit rationem ponderis & monetæ. Primò de ſiclo pondere hic breviter in genere, & poſtea in ſpecie nonnulla proferemus. Veteres Hebræi, Chaldæi & Syri ponderabant pecuniam, h. e. ex pondere ſummam ejus colligebant; non verò diſcretè numerabant uti nos. Hoc dilucidè probatur ex variis Veteris T. locis, ut Gen. 23: 16. *Abraham appendit Hephroni argentum.* Exod. 22: 17. *Pecuniam pendito, prout eſt dos virginum.* Similiter 1. *Reg.* 20: 39. *Eſd.* 8: 25, 26, 29, & 33. *Job.* 28: 15. & in aliis nonnullis locis. Hinc *Matt.* 26: 15. legimus primarios Sacerdotes triginta nummos argenteos Judæ non numeraſſe, ſed ponderaſſe. Et in illius prophetia, *Zach.* 11: 12. dicitur; *Appenderunt mercedem meam, triginta argenteos.* Hunc morem Romani olim, & adhuc hodie Barbari nonnulli obſervant.

2. Siclus nummus eſt vel *Ethnicus* inter Ægyptios & Perſas uſitatus; vel

Digitized by Google

vel *Hebraicus*, qui non fuit aureus, æneus vel ferreus, sed tantùm argenteus. Judæi quidem nummos aureos & æneos habuerunt, sed aliis nominibus insignitos. De siclo Hebraico, vocato שקל הכסף, tantum agemus.

3. Siclus Hebraicus est vel *sacer*, vel *profanus*. Siclus *sacer* vocatur שקל הקדש *siclus sanctitatis*, lege à Deo fuit institutus, & ad res sacras sive ecclesiasticas, scil. ad Tabernaculi vel Templi structuram, ornatum, &c. fuit adhibitus. Ejus meminit Moses *Exod.* 30: 13. *Hoc danto quisquis transit in numeratos* מחצית שקל בשקל הקדש *dimidium sicli secundùm siclum sanctitatis (viginti obolorum est hic siclus) dimidium sicli oblationem Jehovæ.* Quare Israelitæ quotannis dimidium sicli solvebant? Profitebantur hâc semisicli solutione se Dei peculium esse, neque alium habere Regem vel Dominum præter Deum. *Profanus* siclus dicitur שקל של חול *siclus communis*, vel שקל המדינה *siclus provincialis*, vel שקל המלך *siclus regius*. Is & ante & post latam Legem in usu fuit, & solum ad res civiles & politicas fuit adhibitus. Hujus fit mentio 2. *Sam.* 14: 26. *Et cum Absalom tondebat capillos capitis sui — ut penderet capillos capitis sui ducentis siclis* באבן המלך *pondere regio.* LXX. אבן per σίκλον expresserunt, hoc modo, ἐν τῷ σίκλῳ τῷ βασιλικῷ.

4. Siclus *sacer* valet semissem Thaleri imperialis, h. e. 25. sestertios secundùm nostram supputationem: unde bini tales sicli integrum Joachimicum sive Imperialem efficiunt, h. e. 50. sest. Ergo siclus sacer constituit semiunciam argenti; nam justum Thaleri pondus est unciale. Ergo 50. sicli argentei, quibus (*Levit.* 27: 3, 16.) æstimabatur mas à nato viginti annos, usque ad sexagenarium, faciunt 25. Imperiales; & 20. Sicli (*versu* 5.) quibus æstimabatur mas à nato quinque annos usque ad natum viginti annos, faciunt decem Imperiales.

IV. *Quæritur.* An triginta sicli, quibus venditus fuit Christus à Judâ Iscariote, etiam fuerint sicli, & quidem sacri?

Resp. Imo fuerunt sicli: nam vocantur ἀργύρια; & familiare fuit Hebræis, quorum idiotismos Evangelistæ, etsi Græcè scripserint, non paucos retinuerunt, siclos subintelligere in illis locis, in quibus argenteorum fit mentio, ut *Matth.* 26: 15. Deinde fuerunt sicli sacri, non profani; quia illi, scil. primarii Sacerdotes, quibus siclus sacer peculiariter à Deo commendatus fuit, dicuntur cum Judâ de pretio proditionis convenisse. Ergo Salvator noster venditus est quindecim Imperialibus, h. e. 37. flor. & 10. sest. nostrâ supputatione: & tali pretio *Matt.* 27: 7. emerunt agrum figuli

Digitized by Google

figuli ad sepulturam hospitum, sive peregrinorum, velut Romanorum & aliorum, qui illîc fortè morerentur.

V. *Quæritur*. An sicli sacri tantùm usibus sacris fuerint destinati?

Resp. Primariò & præcipuè usibus sacris fuerunt destinati, sed secundariò etiam in rebus profanis fuerunt adhibiti. Hoc *primò* probatur: quia Sacerdotes illis 30. sacris siclis, quos Judas in templum projecerat, emerunt agellum figuli, *Matt*. 27:7. *Consilio capto, emerunt ex eis agrum illum figuli, ad sepulturam hospitum*. *Secundò*; Judas sibi pretium petiit, & non in usum sacrum: nam ait; τί θέλετέ μοι δοῦναι *quid vultis mihi dare?* Et non est verosimile Judam cogitâsse eos triginta siclos usui sacro destinare. *Tertiò*; Primarii Sacerdotes noluerunt eos 30. siclos ærario suo sacro inferre; si verò sicli sacri tantùm usibus sacris fuissent destinati, quare non libentiùs eos ærario sacro intulissent, quàm agrum emissent? *Quartò*; siclus sacer fuit adhibitus ad Tabernaculi vel Templi reparationem, ornatum, & ad S. ministerii apparatum, &c. Sed illi qui illa reparabant aut ornabant, non erant omnes personæ sacræ, quæ nummos sacros ad usus sacros tantùm adhibebant; sed iis victum & amictum emebant, &c. Si igitur opificum labor siclis sacris erat redimendus, si sacerdotes, sibi, suisque, necessaria iisdem comparabant, non potuit fieri, quin sicli sacri etiam ad profanos & politicos usus fuerint adhibiti.

VI. Porrò *quæritur*; Quare ergo siclus sacer vocetur sacer?

Resp. 1. Vel quia pro redemptione ad sacros usus primariò erat datus, scil. ad reparationem Tabernaculi, ad S. Ministerii apparatum, &c. 2. Vel quia S. Ministerii auctoritate fuit cusus.

5. Siclus *communis* sive *profanus* tantùm dimidium sicli sacri valet, sive quadrantem Imperialis: unde quaterni tales sicli profani Thalerum Imperialem efficiunt. Siclus igitur profanus valet secundùm nostram supputationem 12. sestertios dimidium. Ergo mille sicli argenti, quos Abimelech (*Gen*. 20:16.) Abrahamo dedit, faciunt 250. Imperiales; 400. sicli, quos Abraham pendit Ephroni pro Saræ sepulturâ, faciunt centum Imperiales; 20. sicli, quibus Josephus à fratribus (*Gen*. 37:28.) venditus est mercatoribus Midianitis, faciunt quinque Imperiales; 80. sicli, quibus (2. *Reg*. 6:24.) Elisæi tempore vendebatur asini caput, faciunt 20. Imperiales. Et sic omnes summæ siclorum, sive sacrorum sive profanorum eodem modo à quovis facillimè possunt supputari.

6. Siclus ratione efficientis fuit triplex; *Communis*, Hierosolymitanus dictus, qui non alicujus regis nomine, hujus vel illius, fuit consignatus. Sed qualibus figuris & literis talis siclus fuit consignatus? *Resp*. Ab unâ

 parte.

parte continebat *Urnulam* Mannæ plenam, aut ollam incensionis cum circumscriptis his verbis שקל ישראל *Siclus Israelis*, h. e. Israeliticæ reipublicæ; ab alterâ verò parte continebat *Virgam* illam admirabilem, inter plurimas virgas in Tentorium conventus illatam, germen producentem, florem emittentem, & amygdala producentem, *Num.* 17: 8. cum istis verbis ירושלים הקדשה *Jerusalem Sancta.*

Secundus siclus fuit *Judæo-Christianus*, factus ut putat Alstedius *in præcognitis*, à Judæis ad fidem Christianam conversis. Hæc in unâ parte imagine Salvatoris nostri insignitus fuit unà cum literis ישו h. e. *Jesu*, abjecto per Apocopen literâ ע, quæ propter difficultatem pronuntiationis sæpe abjici solet; altera verò pars in totum his sequentibus vocibus fuit repleta, משיח מלך בא בשלום ואור מאדם עשוי חי *Unctus rex venit cum pace & lux de homine facta est vita.* In quibusdam pro quatuor ultimis vocibus hæ tres substituuntur, אלהים אדם עשוי *Deus homo factus est.* Tales duos nummos, scil. Communem & Judæo-Christianum, literis hodiernis Hebraicis insignitos, possideo; sed prior est argenteus, & posterior æneus.

Tertius denique siclus est *proprius*, gerens alicujus regis nomen: ex. gr. Davidis & Salomonis tempore sicli argentei sunt excusi, in quorum altero latere exprimebantur hæ voces ירושלים עיר הקדש *Jerusalem urbs sanctitatis* unà cum depictâ arce inter ירו & שלם; in altero verò latere notabantur hæc verba דוד המלך ובנו שלמה המלך *David Rex & filius ejus Salomo Rex.*

VII. *Quæritur.* Qualibus literis nummi fuerint communiter insigniti? An Samaritanis? Et si Samaritanis: An inde non probetur antiquas literas, quibus Sacer Codex conscriptus est, fuisse Samaritanas?

Resp. Inveniuntur nummi Hebraicis, & alii Samaritanis characteribus insigniti: sed inde non sequitur, ergò Sacer Codex literis Samaritanis est conscriptus. Nam temporibus Prophetarum fuit duplex character usitatus, scil. profanus, h. e. Samaritanus, & sacer sive hodiernus Hebraicus. Prior fuit usitatus apud Notarios, Secretarios, aliosque in usibus profanis; sed posterior præcipuè fuit usitatus in rebus sacris. Vide *dissert.* 12. *Philologi Hebræi.*

Explicatio hujus figuræ:

In hâc figurâ triplex ille siclus ab utrâque parte, ordine jam statim

Digitized by Google



tim descriptus, conspicitur. Primus siclus est *communis* sive Hierosolymitanus, ab una parte habens ollam incensionis cum vocibus שקל ישראל *Siclus Israelis*; ab alterâ verò parte Virgam Aharonis, cum circumscriptis vocibus ירושלים הקדשה *Hierosolyma sancta.* Secundus siclus est *Judæo-Christianus*, ab unâ parte signatus facie Salvatoris nostri cum literis ישו *Jesu*; quòd Judæi communiter ita pro ישוע scribere solent; ab alterâ verò parte continet has voces, משיח מלך בא בשלום ואור מאדם עשוי חי *Messias rex venit cum pace, & lux de homine facta est vita.* Tertius siclus est *proprius*, continens ab unâ parte arcem cum vocibus ירושלם עיר הקדש *Jerusalem urbs Sanctitatis*; ab alterâ verò parte has voces דוד המלך ובנו שלמה המלך *David Rex & filius ejus Salomo Rex.*

7. Siclus tripliciter in partes fuit divisus, scil. in *semissem* sive semisiclum, *trientem* & *quadrantem.* *α.* Semissis sive semisiclus Hebraicè vocatur בקע *Gen.* 24:21. *Exod.* 38:26. vel חצי, aut מחצית השקל, *Exod.* 30:13, 15. & 38:26. Hæ voces descendunt à Rad. בקע & חצה *scindere*, *discindere*, vel *dissecare.* Semisiclus itidem, prout integer, fuit sacer vel profanus: sacer dimidium integri sacri, & profanus dimidium profani valebat. Fuit semisiclus sacer, quem singuli vicenarii, & majores viginti annis usque ad annum quinquagesimum, *Exod.* 30:13. *& seqq.* offerre tenebantur: *versu* 15. *Qui dives est, ne augeto, & qui tenuis est ne diminuito de dimidio sicli*, & *versu* 13. vocatur siclus sacer. Ergo singuli solverunt qua-

quandrantem Imperialis. *Gen.* 24: 22. semisicli profani fit mentio: ibi ornamentum aureum, quod servus Abrahami naso Rebeccæ superposuit ad frontem, dicitur fuisse בקע משקלו *semisiclum pondere suo*, scil. profanus: nam sacer tum nondum erat in usu, neque ad sacrum usum hoc ornamentum fuit datum.

β. Triens sicli fuit pars tertia sicli, Hebraicè dicitur שלישית השקל *triens sicli*: talem Nehemias, redux è Babylonia, ad Templi cultusque externi instaurationem & conservationem indixit, *Neh.* 10: 33. *Instituimus nobis præcepta, imponentes nobis trientem sicli quotannis ad cultum domûs Dei nostri.*

γ. Quadratus sicli fuit quarta pars sicli integri, quæ Hebraicè vocatur רבע השקל *quadrans sicli*: ejus fit expressa mentio 1. *Sam.* 9: 8. ubi famulus Saulis רבע שקל כסף *quadrantem sicli argentei* dicitur in manu habuisse, ut eum Viro Dei offerret, qui viam ad asinas inveniendas monstraret.

VIII. Jam de sicli pondere etiam pauca addemus. Siclus in S. Scriptura habet nomen ponderis in argento, auro, ære & ferro: ergo respectu earum materiarum etiam siclum considerabimus.

1. Siclus *sacer* argenti ponderat semiunciam argenti, belgicè 1. *loot*; siclus *profanus* didrachmum, sive quadrantem unciæ, belgicè ½ *loot*. Ergò scutula argentea 130. siclis sacris constans, quam singuli Principes (*Num.* 7: 13.) obtulerunt, pondus habuit 65. unciarum, h. e. 4. librarum & unius unciæ. Verùm capilli Absalomi, qui quotannis detonsi (2. *Sam.* 14: 26.) 200. siclorum profanorum fuerunt, ponderârunt tantùm 50. uncias: nam siclus sacer est duplo major siclo profano.

2. Eadem proportio etiam in auro observatur. Siclus sacer auri ponderat etiam semiunciam auri, h. e. quatuor circitèr Ungaricos Ducatos; profanus quadrantem, h. e. duos. Ergo acerra aurea (*Num.* 7: 14.) decem constans siclis aureis, ponderavit 10. semiuncias, h. e. 40. ducatos. Verùm lingula aurea 50. siclorum profanorum, ab Achane (*Jos.* 7: 21.) surrepta ponderavit 25. semiuncias, h. e. centum ducatos.

3. Eadem planè proportio respectu ponderis observanda est in ære & ferro, quæ observatur in argento & auro. Ergo lorica squammata Goliathi, quæ erat 5000. siclorum æris, scil. profanorum, (1. *Sam.* 17: 5.) ponderavit 1250. uncias, sive 78. libras & 2. uncias æris. Et mucro ferreus hastæ ejus erat 600. siclorum, (*versu* 7.) h. e. 150. unciarum ferri, sive 9. librarum & 6. unciarum. Secundùm hanc supputationem omnia pondera argenti, auri, æris, ferri, aliorumque metallorum, quorum meminit S. Scriptura possunt supputari, & ad nostra pondera reduci.

Digitized by Google

duci. Vide plura apud Waserum, qui pluribus exemplis hæc illustrat.

DISSERTATIO VIGESIMA NONA,

Quæ est pars secunda

DE

NUMMIS & PONDERIBUS
in S. Scriptura usitatis.

IX. Gerah *est nummus argenteus minimus, quorum* 20. *faciunt siclum sacrum.*

X. Agorah *est ejusdem valoris.*

XI. *Ut &* Keschita, *quæ vox significat agnum.*

XII. *Drachma fuit nummus, & quidem aureus, conveniens cum ducato; sed est vox origine Græca.*

XIII. *Mina est antiqua vel nova. Prior valet* 25. *Imperialibus respectu argenti, sed* 200. *ducatis respectu auri. Posterior valet* 60. *siclis sacris.*

XIV. *Talentum est sacrum vel profanum. Utrumque est argenteum vel aureum. Sacrum argenteum valet* 1500. *Imperialibus, sed aureum valet* 12000. *ducatis.*

IX. SEcundus argenteus Veteris T. Nummus, גֵּרָה *Gerah* nominatus, sequitur, qui ponderis & valoris ratione cum siclo comparandus non est: sed ad illum significandum & circumscribendum sæpe adhibetur: ejus fit mentio *Exod.* 30: 13. *Levit.* 27: 25. *Num.* 3: 47. & 18: 16. *Ezech.* 45: 12. In illis S. Scripturæ locis siclus circumscribitur per Gerah; *Siclus sacer est viginti* גרה *obolorum.*

De hoc nummo *Gerah* tria sunt consideranda. 1. Nomen: vocatur גרה *obolus*, à גרר *concidit, secuit;* & sic גרה est quasi minimum monetæ segmentum. Rabbi Jechaias eum vocat מטבע קטנה *monetam parvam.* Hinc videtur vox γρῦ, inter Græcos & Latinos usitatissima, esse nata: nam γρῦ etiam denotat minimum quiddam.

2. Ponderat, omnium ferè Hebræorum judicio, septendecim circiter grana hordei: sic ait R. Levi, Gersomi F. in *Exod.* 30: 13. גרה הוא במשקל יז גרגרי שעורה בינונית *Gerah pondere aequat septendecim grana hordei circiter.*

3. Viginti Geræ respectu valoris efficiunt siclum sacrum, h. e. dimi-

dium Imperialem: ergo singulæ efficiunt 10. obolos: h. e. duitas, quæ belgicè vocantur *een brassenninck*: quia pro tali numero olim una persona lautè excipiebatur.

X. Tertius argenteus Veteris T. nummus vocatur אֲגוֹרָה *agorah;* ejus fit mentio 1. *Sam.* 2: 36. ubi de posteritate Helis prædicitur, ut לַאֲגוֹרַת כֶּסֶף *pro nummulo argenteo* ventura sit incurvatum se coram Tzadoko Sacerdote.

De hoc nummo *agorah* hæc annotanda sunt. 1. אגורה derivatur vel ab אגר *colligere, coacervare;* quia hic nummus ab hominibus solet colligi & coacervari; vel à גרר *concidere*, tanquam si recisam aut concisam, h. e. minutam argenti portiunculam dicas.

2. Ratione ponderis & valoris convenit planè cum numero præcedenti Gera. Non mirum est plures nummos ejusdem ponderis & valoris fuisse in totâ Judæâ usitatos: nam Judæa fuit magna, & in unâ ejus parte hic nummus; in aliâ verò ille fuit usitatus: sicuti adhuc hodie in Germania moris est. Æqualitatem valoris confirmant Rabbini: sic Kimchi & Jarchi in Comm. & R. Jesaias ait ibidem: Litera Aleph in voce אגורה abundat, & idem significat quod Gera. In eadem sententia etiam est R. Selomo Ben Melech in מכלל יופי, cum ait: והאלף נוסף והוא כמו גרה ועניינו מטבע כסף *Et litera Aleph est addita, idemque denotat quod Gerah, & significat monetam argenteam.* Etiam idem asseritur à Paraphraste Chaldæo & ab Interprete Græco, quorum ille utrumque nummum transfert per מעא; hic verò per ὀβολόν. Gera igitur, Agora, מעא & ὀβολὸς sunt ejusdem valoris & significationis: ergo viginti tales nummi valent viginti quinque sestertiis, h. e. siclo sacro.

XI. Quartus nummus, itidem argenteus, & קשיטה *Keschita* vocatus, sequitur: ter ejus fit mentio in V. T. scil. *Genes.* 33: 19. *Emit Jacob portionem illius agri, in quo tetenderat tentorium suum centum* קשיטה *Keschita:* sic *Jos.* 24: 32. ossa Josephi dicuntur sepulta in illa portione agri, quam emerat Jacob centum קשיטה; & *Job.* 42: 11. dicuntur fratres, sorores & amici, singuli nempe, dedisse Jobo unum קשיטה.

Quæritur; Quid denotet Keschita?

Resp. 1. Keschita propriè significat *agnum* vel *agnam*: propterea nonnulli explicant loca superiùs allegata de agnis, scil. quod Jacob illum agrum emerit centum agnis: nam olim ante pecuniæ usum excogitatum solebant permutatione rerum mercari: sic Paraphrastes explicat מאה חורפן *centum agnis.*

2. Sed illâ sententiâ rejectâ judicamus Keschita propriè in locis citatis per

per Metonymiam significare nummos agni vel agnæ imagine consignatos: nam non insolens est nummos imagine bestiarum consignari, & simul nominari à figurâ, quâ signati sunt: ita Athenienses & Romani olim etiam boves & oves, Argivi lupos, & Thessali equos nummis insculpserunt. Hanc opinionem etiam confirmat R. Akiba in *Talm. Tractatu* ראש השנה *cap.* 3. *fol.* 26. qui similiter pretium ejus addit, & ait: *Cum peregrinarer per Aphricam, audivi illic* מעה *pecuniam sive nummum nominare* קשיטה. Hinc discimus Keschita esse nummum; præterea esse nummum ejusdem valoris cum Gerà & Agorâ, duobus præcedentibus; nam Gerà & Agora valent מעה, & hîc etiam: ergo sunt ejusdem valoris: nam quæ conveniunt cum eodem tertio, etiam inter se conveniunt. Hinc sequitur Jacobum portionem illius agri emisse quinque siclis sacris, sive duobus Imperialibus & dimidio, h. e. secundùm nostram supputationem 6. flor. & 5. sestertiis.

XII. Quintus Veteris T. nummus sequitur, qui אֲדַרְכֹּן *Adarcon*, 1. *Chron.* 29: 7. *Ezra* 8: 27. & דַּרְכְּמוֹן *Darcemon*. *Ezra* 2: 69. dicitur, h. e. *drachma*.

Quæritur; An drachma fuit nummus? Si sic; Qualis fuit? Et quando fuit usitatus? Et cujus est originis vox *drachma*?

Resp. 1. Quod Drachma fuerit nummus communibus suffragiis Judæorum confirmatur, qui אדרכון vocant מטבע *monetam*, vel מין מטבע *speciem monetæ*.

2. Drachma apud Hebræos fuit nummus aureus: hinc vocatur ab illis מטבע זהב *moneta auri* vel aurea: etiam 1. *Paral.* 29: 7. & *Ezra* 2: 69. expressè hic nummus de auro dicitur. Hottingerus vult Persas & Arabes Drachmarum nomen argenteis nummis constanter reservâsse; nisi quod postea obolus etiam æneus ita dici cœperit.

3. Ratione ponderis & valoris convenit cum ducato: ergo ponderat octavam partem unicæ auri. Hinc *myrias drachmarum auri*, quam David 1. *Paral.* 29: 7. Salomoni filio suo ad opus domûs Dei reliquit, valet decies mille ducatis: nam singulæ drachmæ constituunt ducatum, h. e. duos Imperiales, sive quinque florenos, si drachma auri in argentum mutetur.

4. Drachma fuit nummus usitatus ante & post tempora captivitatis Babylonicæ: quod ante eam in usu fuerit apparet ex 1. *Paral.* 29: 7. ubi David myriadem Adarconim Salomoni reliquisse dicitur, qui aliquot sæculis ante captivitatem Babylonicam vixit. Etiam postquam liberati fuerunt ex illa captivitate, fit *Ezra* 2: 69. & 8: 27. hujus nummi mentio.

 Deinde

Digitized by Google

Deinde Talmud. Cod. Schekal. etiam hujus nummi meminit: ergo post captivitatem Babyl. nummus drachma etiam fuit usitatus: nam Talmud conscriptum est quingentis annis post Christum. Vide *Hottingerum de Nummis Hebr. pag.* 97.

5. אדרכון *Drachma* est vox origine nec Hebraica, nec Chaldaica, nec Syriaca, sed Græca: Græce e[redacted] dic[redacted] δραχμὴ, vel δαρχμὴ: & hinc voces Hebrææ אדרכון & דרכמון sunt natæ. Græci hunc nummum nominârunt Drachmam, quia tot oboli *τὴν δράκα pugillum* & manum complerent, uti Eustathius in Homerum observat.

XIII. Nominibus nummorum Veteris T. enumeratis, sequitur ut de Mina sive Libra & Talento agamus. Mina Hebraicè מָנֶה *libra, pondo* deducitur à מנה, quod significat 1. *Numerare, computare.* 2. *Quasi numeratum* ac *definitum assignare*: & sic Mina ab utroque & *numerandi* & *assignandi* sensu denominari potest; quia certum ac definitum numerum numismatum continet.

Mina est duplex *antiqua* & *nova.* *Antiqua* continet pondere suo quinquaginta siclos sacros, sive centum profanos, h. e. viginti quinque Thaleros Imperiales respectu argenti, sed duo[redacted]ducatos respectu auri. Ergo quando primores familiarum paternarum quinquies mille minas argenti in thesaurum operis dicuntur contulisse, *Ezra* 2: 69. intelligendum est eos dedisse in thesaurum siclos communes 500000; sacros 250000. h. e. centies vicies quinquies mille Thaleros Imperiales. Sed quando 1. *Reg.* 10: 17. de Salomone dicitur, quod singulis scutis, quæ in domo saltûs Libani posuit, tres minas auri imposuerit, sciendum est eum unicuique scuto imposuisse trecentos siclos auri profanos, centum & quinquaginta sacros, h. e. sexcentos circiter ducatos Ungaricos. Quod singulæ minæ contineant centum siclos probari potest ex 2. *Chron.* 9: 16. collato cum 1. *Reg.* 10: 17. Nam hæ tres minæ auri explicantur ibi de trecentis siclis auri.

+ duo decim

Mina *nova*, sive Ezechielis dicta; quia ille ejus mentionem facit, continet siclos sacros viginti, & viginti quinque, & quindecim, h. e. sexaginta sacros, sive 120. profanos: sic computat suam minam Ezechiel *cap.* 45. *versu* 12. Quod locus Ezechielis de siclis sacris intelligi debeat, apparet ex verbis immediatè præcedentibus, ubi siclus dicitur esse 20. gerarum; nam siclus profanus est tantùm decem gerarum. Ergo talis mina argenti continet 30. Imperiales; & mina auri 240. ducatos.

Quæritur. Quales minæ intelligantur *Luc.* 19: 13. ubi dominus dicitur dedisse servis suis *decem minas?*

Resp.

Digitized by Google

Resp. Possunt intelligi minæ novæ, quarum apud Ezechielem fit mentio: Ergo decem illæ minæ, si argenteæ sint, valent 600. siclos sacros, & 1200. profanos, h. e. trecentos Imperiales; si verò illæ decem minæ de auro intelligantur, efficiunt etiam 600. siclos sacros, & 1200. profanos auri, sive 2400. ducatos Ungaricos.

XIV. Sequitur Talentum, Hebraicè כִּכָּר *ciccar*, Chaldaicè ככרא dictum: hinc Josephus aliique κίγχαρ dixerunt: sed Græci communiter talentum vocant τάλαντον, ἀπὸ τοῦ τλῆναι τὸ βάρος à *sustinendo onus* vel *pondus*. De Talento hæc sequentia sunt observanda.

1. Talentum est Hebraicum vel Syriacum; posterius hîc non considerabimus, estque tantùm quadrans talenti Hebraici communis.

2. Hebraicum talentum, eodem modo ut siclus, est vel sacrum, vel profanum: sacrum est duplo majus profano.

3. Utrumque Talentum est vel argenteum vel aureum, & sic tam de argento quàm de auro in S. Codice usurpatur.

4. Talentum sacrum continet ter mille siclos sacros: profanum ter mille siclos profanos, h. e. 1500. siclos sacros. Quod sacrum Talentum valeat ter mille siclis sacris, clarè demonstratur ex collatione *versuum* 25. & 26. *cap.* 38. *Exodi.*

5. Talentum sacrum argenti facit 1500. Imperiales (h. e. 93. libras & 12. uncias argenti) & profanum 750. Thaleros Imperiales. Sed Talentum sacrum auri valet duodecies mille, & profanum sexies mille aureis ducatis.

6. Ex hac supputatione Talenta argentea & aurea, tam sacra quàm profana, quorum S. Scriptura meminit, possunt ad hodiernam monetam argenteam & auream reduci: ex. gr. Centum Talenta sacra argenti (*Exod.* 38: 25.) quæ à Judæis numeratis per Mosen fuerunt collata, faciunt trecenties mille siclos sacros, h. e. 150000. Thaleros Imperiales.

Decem Talenta profana argenti, si sint Hebraica (2. *Reg.* 5: 5.) quæ Naaman abiens accepit, faciunt tricies mille siclos communes, sive 15000. siclos sacros, h e. 7500. Imperiales.

In Talentis auri tali modo supputatio instituenda est. Viginti novem Talenta sacra auri (*Exod.* 38: 24.) faciunt siclos sacros 87000. & singuli sicli valent quatuor ducatos: ergo 29. Talenta faciunt 348000. ducatos, quibus si addantur sicli sacri 730. qui in auro faciunt 2920. ducatos, erit tota summa 350920. ducati.

Triginta Talenta profana auri, quæ Rex Assyriorum (2. *Reg.* 18: 14.) Eze-

Digitized by Google

Ezechiæ imposuit, faciunt 45000. siclos sacros, h. e. 180000. ducatos, sive tonnam auri cum dimidia, & tricies mille ducatos. *Imposuit autem Rex Assyriæ Chiskiæ Regi Jehudæ trecenta Talenta argenti, & triginta Talenta auri.*

DISSERTATIO TRIGESIMA,

Quæ est pars tertia & ultima

DE

NUMMIS & PONDERIBUS
in S. Scriptura usitatis.

XV. *Nummi Novi T. sunt* λεπτὸν *nummulus minimus, æreus, conveniens cum nostro minimo nummulo, quem nos dutam vocamus.*

XVI. Κοδράντης quadrans, *valet duobus leptis.*

XVII. Ἀσσάριον assarius, *est nummus argenteus, valens vel dimidio vel integro stufero.*

XVIII. Δραχμὴ drachma, *in N. T. est nummus argenteus, ponderans quadrantem sicli sacri argentei.*

XIX. Δηνάριον denarius, *profanus convenit cum drachma, sed sacer facit dimidium siclum sacrum.*

XX. Διδράχμον didrachmum, *valet dimidio siclo sacro.*

XXI. Στατὴρ Stater, *valet duobus didrachmis, sive siclo sacro.*

XXII. Ἀργύριον argenteus, *valet siclo sacro, hoc est, dimidio Imperiali.*

XXIII. *Recensentur nummi in Scriptis Rabbinorum usitati.*

XXIV. *Omnes nummi ad monetam Belgii Fœderati referuntur.*

XV. EGimus de Nummis & Ponderibus Veteris T. sequuntur jam Nummi Novi T. enumerandi; suntque hi sequentes. Primus Nummus vocatur λεπτὸν *nummulus* à λεπτὸς ἡ ὸν *tenuis e.* Ejus fit mentio *Marc.* 12: 42. & *Luc.* 21: 2. *Vidua injecit in gazophylacium* λεπτὰ δύο (*minuta duo*) *quod est quadrans.* Λεπτὸν Rabbinis dicitur פרוטה *Peruta*, h. e. nummulus, sive fragmentum assis; vel שמונא *Schemuna*, h. e. octava pars assis. Syrus Interpres, Latinâ Minutorum voce Syriacè inflexâ, hos nummulos מנין *menin* vocat, quam Tremellius ita transfert: *Injecit duo manin*, assires, *quæ sunt octava.* Λεπτὸν fuit nummus æreus; & propterea Beza transfert per æreola: fuit nummus minimus, quorum octo valent asse, h. e. stufero. Λεπτὸν igitur convenit cum minimo nummo,

Digitized by Google

mo, quem nos dutam vocare solemus: ergo vidua injecit duas dutas.

XVI. Secundus Nummus est Κοδράντης *quadrans*, quæ vox est origine Latina; ejusque meminit Marcus *cap.* 12. *vers.* 42. & Matthæus *cap.* 5. *vers.* 26. *Nequaquam exibis illinc usque dum reddideris ultimum quadrantem.* Hîc intelligitur quadrans Romanus, h. e. quarta pars assis, quem *triuncem* Plinius, & teruncium Cicero à tribus unciis appellant, qui primùm ære cusus fuit ab Imperatoribus, postea etiam plumbo. Quadrantis valor est duplo major nummo præcedenti: sic expressè docet Marcus *cap.* 12: 24. ubi λεπτὰ duo dicuntur idem esse quod quadrans. Ergo quadrans valet duabus dutis, belgicè *een oortgen.*

XVII. Tertius nummus est Ἀσσάριον *assarius*, estque obolus Italicus, descendens à Latinâ voce *as assis.* Christus ejus meminit apud *Matth. cap.* 10. *vers.* 29. *Nonne duo passerculi assario venduntur?* Frequens ejus usus est apud Rabbinos & Syros, qui vocant אסר vel איסר *Assar*, *Assir* vel *Issar.* Beza ad hunc locum ita ait: *Hoc vocabulum* (scil. ἀσσάριον) *Romanum est, cujus mentionem facit Varro. Fuit dimidia pars assis, &c.* Fuit nummus minutus apud Romanos & æreus; sed apud Syros fuit argenteus, tantum pendens, quantum pendunt quatuor grana hordei; unde non tam per מטבע קטנה *moneta parva*, quam per מטבע דכסף *moneta argentea* genus à R. Nathane aliisque exponitur. Valet secundùm Annot. Belg. semisestertio: sed alii ejus valorem augent usque ad sestertium: sic Maimom in הלכות שקלים ait פרוטה *peruta* esse unam octavam assarii: & peruta valet dutâ, uti suprà docuimus: ergo illi duo passerculi dicuntur venditi unico sestertio. In dicto loco explicanda sunt verba Christi proverbialiter de re minimi pretii, & quasi nihili. Christus argumentatur à minori ad majus, à providentia Dei circa aves, ad providentiam circa homines. Vide *Lex. Talm. Buxt. p.* 175. *&* 176.

XVIII. Quartus nummus est δραχμὴ *drachma:* ejus fit mentio apud *Luc.* 15: 8. *Quæ mulier, si habeat drachmas decem, & perdiderit drachmam unam, &c.* Drachma fuit propria moneta Atticorum, & pondere atque valore suo par fuit Denario Romano. Hebræis etiam vocatur זוז *zuz* vel זוזא *zuza*, & testante Elia est רבע שקל הכסף *quadrans sicli argentei.* Syrus suprà vocem δραχμὴν transfert per זוזא. Drachma igitur fuit nummus argenteus, ponderans quadrantem sicli sacri argentei; ergo valet sex sestertiis & duabus dutis. Sed in V. T. denotat nummum aureum, valentem ducato, uti suprà Sectione 8. docuimus.

XIX. Quintus nummus est δηνάριον *denarius.* Sicuti drachma fuit propria

pria moneta Atticorum, sic denarius fuit moneta Romanorum. Hujus meminit Textus sacer variis in locis, ut *Matth.* 18: 28. *Debebat ei centum denarios*, & *cap.* 20: 2. *Pactus cum operariis denario in diem*, & *cap.* 22: 19. *Ipsi obtulerunt ei denarium.* Denarius fuit nummus aureus vel argenteus; sed in dictis locis intelligitur solùm argenteus; qui fuit duplex, sacer vel profanus: sacer fuit duplo major profano: prior vocatur propriè denarius, ejusque fit mentio in duobus prioribus locis; posterior verò est didrachmum, & de eo agitur apud *Matth.* 22: 19. Christus petit ostendi numisma census, quod singuli quotanis solvere tenebantur, & ostendunt denarium, quum quotannis ad cultum sacrum solverint dimidium siclum sacrum, sive didrachmum, ut *Matt.* 17: 24. docetur. Postea Cæsar Romanus eum nummum, quem imagine & nomine suo consignari curaverat, mandavit ut sibi solveretur, ut inde manifestum fieret eos jugo Romano subjectos esse. Denarius igitur profanus est ejusdem valoris cum drachmâ & quadrante sicli sacri: ergo denarius valet sex sestertiis & duabus dutis, sive octava parte Imperialis.

XX. Sextus nummus est διδράχμον *didrachmum*; estque nummus qui duas drachmas continet: & derivatur ex δι, quod est à δὶς *bis*, & δράχμη *drachma*. Matth. 17: 24. *Quum venissent Capernaum, venerunt ad Petrum qui didrachma accipiunt: dixeruntque, Præceptor vester non solvit didrachma.* Qui nati erant viginti annos usque ad 50. pendebant dimidium sicli sacri, *Exod.* 30: 13. Illud hìc vocatur didrachmum, scil. Atticum, quod Judæâ subactâ exegerunt Romani. Ergo didrachmum valet duas drachmas, sive semisiclum sacrum, h. e. duodecim sestertios & dimidium.

XXI. Septimus nummus est στατὴρ *stater*. Ejus meminit Matthæus *cap.* 17. *vers.* 27. *Aperto ore piscis invenies staterem, & illum da pro me & pro te.* Fuit nummus tetradrachmus, h. e. continuit pondus quatuor drachmarum, sive pondus sicli sacri: hoc apparet ex *versu* 24. Singuli enim solvebant didrachmum, & Petrus solvit hunc staterem pro duobus, pro se & Christo: ergo stater valet quatuor drachmis. Hinc sequitur Petrum pro se & Christo solvisse viginti quinque sestertios, sive dimidium Imperialem.

XXII. Octavus & ultimus nummus est Ἀργύριον *nummi argentei*, Belgicè transfertur per *silverlingen*. Bis usurpatur; scil. *Matth.* 26: 15. *Primarii Sacerdotes appenderunt Judæ triginta argenteos*; & *Act.* 19: 19. *Supputârunt pretia librorum, & ascendit argentum myriadum quinque.* Apud Matthæum per argenteos intelliguntur sicli sacri, singuli valentes dimidio

dio Imperiali: ergo Christus venditus est 15. Imperialibus. Ita explicant illum Textum plerique Interpretes. Sed in Actis singuli argentei sumuntur pro drachmis vel denariis, h. e. pro octavâ parte Imperialis. Hinc Beza ita transfert: *Repererunt denariorum quinquaginta millia:* ergo summa librorum exustorum constituit circiter 6250. Imperiales, h. e. 15625. florenos.

Quaeritur; An non Johannes *cap.* 2. *versu* 15. videatur etiam mentionem facere nummi, cum ait: *ἐξέχεε τὸ κέρμα effudit nummulos?*

Resp. Per *τὸ κέρμα* ibi in genere minuta pecunia, & non certi aliqui nummi alicujus certi valoris intelliguntur.

XXIII. Hactenus enumeravimus nummos Veteris & Novi T. breviter etiam attingemus nummos in scriptis Rabbinorum usitatos. Illi sunt hi sequentes. 1. פרוטה *Peruta*, quae vox idem denotat quod λεπτὸν, & valet dutam. 2. שמונא *Schemuna* convenit cum Peruta, & propriè significat octavam partem assis, h.e. unicam dutam 3. מעא *Maha* convenit cum Gera & Agora, valetque decem dutis. 4. זוז *Zuz*, vel זוזא *Zuza* convenit cum drachmâ argenteâ & denario, valetque sex sestertiis & duabus dutis. 5. סלע *Selah* propriè significat *petram*. Veteres nummum à lapide denominârunt; quia ponderibus ex lapidibus factis in numerandis rebus & pecuniis usi fuerunt. סלע fuit ejusdem ponderis & valoris cum siclo sacro: hoc passim Rabbini testantur in Commentariis. Hinc dicunt כל שקל האמור בתורה נקרא סלע במשנה *Quod siclus dicitur in Lege, id Selah vocatur in Misna.* Elias Thisbi ait Selah valere quatuor zuzim, h. e. 25. sestertiis, si scil. pro nummo argenteo sumatur: sed saepe Selah denotat in Misna nummum aureum & aereum. De his omnibus vide uberiùs in libro doctissimo Waseri.

XIV. In commodum studiosorum, singulas summas nummorum antecedentium tam Veteris quam Novi T. hîc post invicem breviter describemus, & ad nostram pecuniam, h.e. ad ducatos, sive ad florenos, sestertios, & dimidias dutas, vulgò *penningen* vocatas, reducemus. Ducatus valet quinque florenis, Imperialis verò duobus florenis cum dimidio. Quinquaginta nostri sestertii valent Imperiali, & centum valent ducato.

	Flor.	*sest.*	*semid.*
1. Siclus *sacer* ponderat semiunciam argenti, & valet — — — —	1 —	5 —	0 —
— *profanus* quadrantem unciae & valet —	0 —	12 —	8 —
2. Gerah. 3. Agora. 4. Keschita valent, scil. singuli — — — —	0 —	1 —	4 —
5. Drachma aurea V. T. convenit cum ducato & va-			

let	5	0	0
6. Mina (h.e. libra) argentea *antiqua* continet pondere 50. ſiclos ſacros, & valet	62	10	0
Aurea continet 200. ducatos, valetque	1000	0	0
Mina *nova* continet 60. ſiclos ſacros, & valet	75	0	0
7. Talenntum *ſacrum* argenteum ponderat 93. libras & 12. uncias, continetque 3000. ſiclos ſacros & valet	3750	0	0
— *profanum* dimidium in pondere & pretio valet	1875	0	0
Talentum aureum *ſacrum* valet duodecies mille ducatis, h. e.	60000	0	0
— *profanum* valet dimidium, h. e.	30000	0	0
Sequuntur nummi Novi T.			
1. Λεπτὸν valet	0	0	2
2. Κοδράντης (*quadrans*) valet	0	0	4
3. Aſſarius valet dimidium ſeſtertium, vel ſecundùm alios integrum ſeſtertium	0	1	0
4. Δραχμὴ (*drachma*) argentea valet	0	6	4
5. Denarius argenteus	0	6	4
6. Didrachmum	0	12	8
7. Στατὴρ, *ſtater* valet	1	5	0
8. Argenteus *Matth.* 26: 15. valet	1	5	0
Argenteus *Act.* 19: 19. valet	0	6	4
Addatur etiam pretium nummorum in Rabbinis uſitatorum			
1. Peruta. 2. Schemuna.	0	0	2
3. Maha valet	0	1	4
4. Zuz valet	0	6	4
5. Selah valet	1	5	0

Ex hâc tabellâ omnes pecuniarum ſummæ Veteris & N. T. magnæ & parvæ, facillimo negotio à quovis ad noſtram monetam reduci poſſunt. Hæc de nummis dicta ſufficiant,

DIS-

DISSERTATIO TRIGESIMA PRIMA, DE

MENSURIS CUBICIS V. & N. T.

I. *Mensuræ Cubicæ V. & N. T. enumerantur. Quæ omnes secundùm capacitatem ovorum supputantur; eaque sunt vel* aridorum, *vel* liquidorum.
II. קב Kab *continet mensuram* 24. *ovorum.*
III. עומר Gomer *comprehendit ova* 43.
IV. סאה Sea *est* 144. *ovorum.*
V. איפה Epha *continet ova* 432.
VI. לתך Lethech *comprehendit ova* 2160.
VII. חומר Chomer, *est onus asini, continetque ova* 4320.
VIII. כור Corus *est ejusdem quantitatis cum Chomer.*
IX. X. XI. *Mensuræ N. T. sunt* χοῖνιξ Chœnix *continens ova* 12. Σάτον Satum 144. *&* Κόρος Corus 4320.
XII. XIII. XIV. XV. *Mensuræ liquidorum V. T. sunt* לוג Log *comprehendens ova* 6. הין Hin *ova* 72. בת Bathus *ova* 432. *&* כור Corus *ova* 4320.
XVI. XVII. XVIII. *Mensuræ liquidorum N. T. explicantur.*
XIX. XX. *Quantitas omnium vasorum breviter proponitur.*

I. MEnsuræ, quarum S. Scriptura meminit, sunt triplices. 1. Cubicæ sive capacitatis, ut Epha, Hin, &c. 2. Linearum sive Intervallorum, ut spithama, cubitus, &c. 3. Temporum, ut dies, annus, &c. De singulis ordine agemus.

Mensuræ Cubicæ sive capacitatis sunt iterum duplices, vel *Aridorum*, suntque hæ sequentes in Vet. T. 1. קב *Cabus.* 2. עמר *Gomer.* 3. סאה *Sea*, Satum. 4. איפה *Epha.* 5. לתך *Semichomer.* 6. חומר *Chomer.* 7. כור *Corus.* In Novo T. sunt 1. Χοῖνιξ *Chœnix.* 2. Κόρος *Corus.* 3. Σάτον *Satum.*

Vel mensuræ Cubicæ sunt *Liquidorum*, eæ sunt in Veteri T. 1. לוג *Log, Sextarius.* 2. הין *Hin.* 3. בת *Bathus.* 4. כור *Corus.*

In Novo T. sunt 1. Ξέςις *Sextarius.* 2. Μετρητὴς *Metreta.* 3. Βάτος *Batus.*

De singulis ad illustrationem quorundam Textuum Veteris & N. T. pauca dicemus. In genere considerandum est Judæos vasa sua metiri secundum numerum sive capacitatem ovorum; ideo, eorum vestigiis insistentes, mensuras Cubicas Veteris & N. T. incipientes à minoribus, etiam secundùm ova supputabimus.

Digitized by Google

II. Prima Veteris T. mensura, & quidem *aridorum* minima est, קַב *Kab*, *Kabus*: ejus tantùm semel meminit S. Scriptura, scil. 2. *Reg.* 6: 25. Ubi tanta fames dicitur in Samaria fuisse, ut caput asini octoginta argenteis, h. e. 20. Imperialibus, & רבע הקב חריונים *quarta pars Kabi stercoris columbarum* quinque argenteis divenderetur. Franciscus Junius interpretatur *cavum ventris*, ac si קב *Kab* idem esset cum קבה *Kebba*, quod significat *ventriculum*, *ingluviem*. Sed Tremellius in Thesauro MS. cæterique Interpretes mensuræ genus interpretantur. LXX. Interpretes verterunt per τέταρτον τοῦ κάβου *quartam partem Kabi*. Jonathan transfert, רבעת קבא דזבל *Quarta pars cabi fimi*. Syri per ܪܘܒܥܐ ܕܩܒܐ *Quarta pars cabi*.

Quæritur: Quantam mensuram continet קב *Kabus*?

Resp. David Kimchi ait, *Kab est sexta pars* סאה *sea sive sati*. R. Nathan, *Kab capit viginti quatuor ova*. Vulgò statuunt quatuor Kabos esse onus, cui homo ferendo par est. Ut ut sit, Kab est parva mensura frumentaria tantum continens quantum continent 24. ova: ergo stercoris columbini vasculum, continens sex ova, fuit venditum Imperiali & quartâ ejus parte. Hæc vox Kab in proverbiis à Judæis etiam usurpatur: ex. gr. in Baal Turim ad *cap.* 3. *Genes. vers.* 20. annotatur tale proverbium, עשרה קבין שיחה ירדו לעולם תשעה נטלו נשים *Decem cabi garrulitatis descenderunt in mundum, novem acceperunt mulieres.*

III. Secunda mensura aridorum est עֹמֶר *Gomer*, duplo ferè major præcedente. Est decima pars Ephæ, testante *Mose Exod.* 16: 36. Aben Esra definit Gomer מאכל איש אחד ביום אחד *Cibum viri unius die uno*: nam *versu* 16. mandat Deus, ut singuli in diem singulos Gomeres *Mannâ* plenos colligerent, quos etiam singuli consumebant: ergo Gomer *Manna* fuit cibus unius viri. Secundùm Judæos Gomer continuit quadraginta tria ova & $\frac{1}{5}$ ovi.

Contra hanc capacitatem Gomeri objiciet fortè nonnemo, quod Χοῖνιξ *Chœnix* frumenti, quæ quadruplo, vel, ut aliis placet, triplo vel duplo minor fuit Gomere, uni viro in cibum assignetur *Apocal.* 6: 6. ubi Interpretes in notis addunt: *Vox Græca Chœnix denotat mensuram quâ homo ad vitam sustentandam indigebat, etiam hâc mensurâ cibus servis distribuebatur.*

Hinc *quæritur*; Si Gomer sit duplo, triplo, vel quadruplo major Chœnice; An ergo Judæi in deserto tantò voraciores fuerunt aliis hominibus?

Resp. 1. Israelitæ in deserto vix ullis obsoniis utebantur præter ipsum Manna,

Digitized by Google

Manna, quum *Apoc.* 6: 6. cuilibet aſſignetur Chœnix frumenti exceptis aliis obſoniis. 2. Manna fuit tritico multò levius, plus vacui in ſe continens quàm triticum. 3. Fortaſſè corpora Iſraelitarum noſtris fuerunt tum aliquanto grandiora; ita ut majori menſurâ cibi indiguerint quàm noſtra corpora.

IV. Tertia menſura Veteris T. eſt סְאָה *Sea*, *ſatum.* Ejus aliquoties meminit Textus ſacer, ſcil. 2. *Reg.* 7: 1, 18. *Gen.* 18: 6. &c. Sea fuit menſura plus quàm triplo major præcedente, & continuit centum & quadraginta quatuor ova D. Kimchi ait: *Sea eſt tertia pars menſuræ, quam vocant Epha.* Bahal Harus in voce כבר ſcribit: *Sea capit ſex cabos, quatuor ſeæ conficiunt viginti quàtuor cabos.* R. Schelomoh in *Levit. cap.* 14. ait: *Satum habet ſex cabos, cabus quatuor logos.* Buxtorf in Lex. Heb. in Rad. קבב ex R. Alphes ſic ſcribit: *Sea continet ſex Cabos, h. e.* 24. *Sextarios, duo Hin*, 92. *quadrantes*, 144. *ova.* Ergo 2. *Reg.* 7: 1. ſatum ſimilæ continens 144. ova, tempore obſidionis Samariæ fuit, pridie Eliſa ſic prædicente, divenditum unico ſiclo. Et Sara *Gen.* 18: 6. parans pro tribus Angelis tria ſata ſimilæ, paravit tantum, quantum 432. ova continent, h. e. *een ſchepel.*

V. Quarta aridorum V. T. menſura eſt אֵיפָה *Epha*, triplo major præcedente, continens tria ſata, ſive tantumdem in aridis, quantum Batus in liquidis. Buxtorfius in loco cit. ſic ait: *Epha continet tres Seas, h. e.* 18. *Cabos*, 6. *Hinnos*, 72. *Logos*, 288. *Quadrantes*, & 432. *Ova.* Hujus menſuræ meminit Scriptura *Exod.* 16: 36. *Gomer eſt decima pars Ephæ*, & *Deut.* 25: 14. *Ne ſit tibi domi tuæ diverſum Epha, magnum & parvum*, h. e. magna & parva menſura. Etiam *Levit.* 5: 11. & 19: 36. Ephæ mentio fit. Deus *Jeſ.* 5: 10. minatur, *ſemen Chomer producturum eſſe Epham*, quum chomer ſit menſura decuplo major quàm Epha. David 1. *Sam.* 17: 17. Epham ariſtarum toſtarum in caſtra ad fratres ſuos ferens, tulit tantum quantum continent 432. ova, h. e. *een ſchepel.*

VI. Quinta Veteris T. menſura eſt לֶתֶךְ *Lethech.* Semel tantùm ejus meminit Hoſeas *Cap.* 3: 2. *Et poſſedi eam mibi quindecim argenteis, & chomer bordei, &* לחך שערים *dimidio chomer bordei.* Jarchi in Comm. ait, חלתך חצי חומר *Lethech eſt dimidium Chomer.* Ergo Lethech continet quindecim ſata, ſive quinque Ephas, h. e. 2160. ova.

VII. Sexta aridorum menſura eſt חוֹמֶר *Chomer*, quæ propter affinitatem ſoni à multis imperitè confunditur cum עומר *Gomer*: ſed differunt tum ſcriptione: unum enim ſcribitur per ח, & alterum per ע; tum etiam capacitate. Gomer enim continet cibum viri die uno, ſed Chomer onus

 aſini:

asini: nam חומר *Chomer* nomen habet à חמור *asino*. Deinde Chomer est onus asini vel muli gravissimum: continet enim triginta sata, sive decem Ephas, uti docetur *Ezech.* 45: 11. *Epha & Bath mensura unius esto, ut capiat decimam Chomeris Bathus & decimam Chomeris Epha.* Ergo Chomer est mensura decuplo major Ephâ, & duplo major Lethecho: & per consequens continet 4320. ova. Hujus meminit Scriptura *Levit.* 27: 16. *Num.* 11: 32. *Hos.* 3: 2. & *Jes.* 5: 10. ubi Jesaias famem extremam Israelitis interminaturus, ait, futurum, ut ne decimam sementis partem ex agro sint collecturi: *Qui seminat Chomerum, metet Epham.*

VIII. Septima & ultima V. T. mensura est כור *Corus*, quæ propriè est aridorum, sed bis de liquidis sumitur, uti postea docebimus. Corus est planè ejusdem quantitatis cum Chomer præcedente, uti probatur *Ezechiel. cap.* 45: 14. Sic etiam testatur Buxtorfius *in Lex. Hebr. Rad.* חמר, & Kimchi, *Chomer est idem quod Corus, capitque decem Ephas, & triginta Seas.* Grepsius *pag.* 104. citante Hottingero *in Cippis Hebr.* etiam nullam mensuræ differentiam inter Chomerem & & Corum interesse ait: *Hoc tamen interest quod Chomer est vox antiquior, & Hebræis usitatior. Corus autem, quem Hebræi Cor dicunt, vox non perinde antiqua videtur, nec ita Hebræis usitata. Non enim vel in Mosis libris, vel apud Prophetas reperitur, præterquam apud Ezechielem, Esram, & in libris Regum, ac Paralipomenon, & videtur ad Hebræos ab externis pervenisse, quibus, ut apparet, magis usitata, quàm Hebræis fuit.* Hottingero videtur vox Cor à Babyloniis vel Ægyptiis profecta. Ut ut sit, saltem est ejusdem quantitatis cum Chomer, continetque 4320. ova.

IX. Videamus jam mensuras aridorum usitatas in Novo T. quæ præcipuè sunt tres. *Prima* est Χοῖνιξ *Chœnix*, cujus fit mentio *Apoc.* 6: 6. *Et audivi vocem inter illa quatuor animalia dicentem, Chœnix tritici denario, & tres Chœnices hordei denario.* Chœnix denotat talem mensuram frumenti, quæ homini unico die ad vitam sustentandam sufficit. *Vide supra sect.* 3. Quot ova Chœnix præcisè contineat, non determinatur à Judæis. Est enim vox Græca, inter Græcos usitata, qui vasa secundùm ova non solent numerare. Etiam Chœnix non ubique fuit eadem. In genere Chœnix vocatur quidem Ἡμερότροφις, sed diurnum tritici demensum varium esse potuit pro varietate locorum & personarum; sunt etiam loca quædam, in quibus bibaciores, alia in quibus voraciores homines esse solent. Jacobus Capellus *in lib. de Mensuris Cubic. sect.* 22. ait, dari sex diversas Chœnicis mensuras, & in Apocalypsi intelligi minimam, quæ est bilibris, sive quæ duas libras Romanas pendet. Hinc in Glossis veteribus

Digitized by Google

ribus Χοῖνιξ vertitur *bilibris*, & Vetus Interpres locum Apocalypseos sic transfert: *Bilibris tritici denario, & tres bilibres hordei denario.* Ut ut sit, Chœnix in *Apocal. c. 6. v. 6.* continet nostro judicio duodecim ova.

X. Secunda mensura est Σάτον *satum:* ejus meminit Matthæus *c.* 13. *v.* 33. Simile est regnum Cœlorum fermento, quod acceptum mulier indidit *εἰς ἀλεύρου σάτα τρία in farinæ satâ tria.* Σάτον Græcorum est idem quod סאה *Sea* Hebræorum, & continet 144. ova: ergo tria sata continent 432. ova, *een schepel.* Vide *Sect.* 4.

XI. Tertia mensura N. T. est Κόρος *Corus Luc.* 16: 7. *ἑκατὸν κόρους σίτου Centum coros tritici.* Sed quia ea mensura est eadem cum Hebræorum כור *Cor*, Sectione 8. descriptâ, ideo hîc nihil addemus.

XII. Jam sequuntur mensuræ *Liquidorum* Veteris & N. T. Prima Veteris T. mensura est לוג *Log.* Hieronymus eam vocem vertit per sextarium. Log continet sex ova. D. Kimchi ait: *Sea capit viginti quatuor Logos, Log sex ova.* Buxtorfius in *Lex. Hebr.* R. לוג ex libro Rad. Kimchi ita scribit: לוג *Sextarius est mensura liquidorum minima, vigesima quarta pars seæ sive sati, sex ova continens.* Moses *Levit.* 14: 10. meminit mensuræ Log: *Die octavo accipito sextarium unum olei.* Sanatus à leprâ præter duos agnos, agnam, & tres decimas Ephæ similæ offerre tenebatur unum Log olei, h. e. unum sextarium, sive tantum quantum in 6. ovis continetur. Ergo Log continet mensuram 6. ovorum. Vide Munsteri Annotationes ad *Levit. cap.* 14.

XIII. Secunda mensura liquidorum est הין *Hin*, quæ est mensura duodecies major præcedente Log. D. Kimchi ait: *Hin capit* 12. *Logos, & Log.* 6. *ova; ergo Hin continet* 72. *ova.* Idem probat Buxtorfius in *Lex. Hebr.* R. הין. Variis in locis S. Scriptura hujus mensuræ meminit, ut *Levit.* 19: 36. *Hin justus esto vobis.* Exod. 30.: 24. *Accipe olei olivæ Hinem.* Per Hinem tantum olei intelligitur, quantum in 72. ovis continetur. *Exod.* 29: 40. fit mentio רביעית ההין *quartæ partis Hinis*, & *Num.* 28: 14. dimidii, tertiæ & quartæ partis Hinis: *De libaminibus eorum, dimidium Hinis esto in juvencum, tertiaque Hinis in arietem, & quarta Hinis vini in agnum.* Per dimidium intelliguntur 36. ova, per tertiam partem 24. ova, & per partem quartam 18. ova, h. e. tantum, quantum in tot ovis continetur.

XIV. Tertia Veteri T. mensura est בת *Bathus*, estque ejusdem capacitatis cum Epha, & continet 432. ova, *Ezech.* 45: 11. *Epha & Bath mensura unius esto.* Hieronymus in hunc locum ait: *Decima pars Cori in speciebus liquidis vocatur bathus.* Talmudici *Tract. Erubhin, fol.* 14. scribunt:

Bath

Bath continuisse שלש סאין *tria sata, quæ constituerunt Epha, aridorum mensuram maximam.* 1. *Reg.* 6 : 26. *Jes.* 5 : 10. aliisque in locis ejus fit mentio. Bathus videtur fuisse duplex, *communis* & *sacer*: sacer videtur tertia parte majoris fuisse capacitatis quàm communis; ita ut tres vulgares non facerent nisi duos sacros: hoc inde colligimus; quia 2. *Chron. cap.* 4. *v.* 5. mare æneum Salomonis dicitur continuisse ter mille bathos, quum 1. *Reg.* 7 : 26. dicatur solùm continuisse bis mille bathos. Vel dicendum est, sicuti Interpretes Belgæ de impletione communi explicant, in posteriori loco intelligi quomodo communiter impleri solebat: sed si planè usque ad summitatem impleretur, tum continuisse ter mille bathos, sicuti scribitur 2. *Chron.* 4 : 5.

XV. Quarta liquidorum mensura est כור *Corus.* Hanc mensuram suprà sectione. 8. inter aridorum mensuras numeravimus: sed quia bis, scil. 1. *Reg.* 5 : 11. *& vicies coros olei tusi*, & *Ezech.* 45 : 14. etiam de liquidis sumitur; ideo ea mensura hìc breviter etiam erat numeranda. Est ejusdem capacitatis in liquidis, cujus est in aridis.

XVI. Mensuræ liquidorum Novi T. sunt præcipuè tres. Prima est Ξέστης *Xestes*, *Sextarius.* Marcus *cap.* 7. *v.* 4. ejus mentionem facit: *Tenent lotiones* ξεστῶν *Sextariorum.* Continet secundùm Interpretes Belgas sesquipintam. Convenit cum Log Hebræorum; ergo Xestes continet sex ova.

XVII. Secunda mensura N. T. est Μετρητὴς *Metreta, amphora Attica.* Ejus meminit Johannes in Evang. *cap.* 2. *v.* 6. *Erant ibi hydriæ lapideæ sex positæ secundùm purificationem Judæorum, capientes singulæ metretas duas vel tres.* Quantum singulæ metretæ continebant? *Resp.* Singulæ metretæ secundùm Interpretes Belgas continebant circiter 120. libras, sive totidem semipintas, h. e. 60. pintas. Alii dicunt eas fuisse ejusdem planè capacitatis cum mensuris Bath & Epha, quarum singulæ continebant 432. ova.

XVIII. Tertia & ultima liquidorum N. T. mensura est Βάτος *Batus*, *Luc.* 16 : 6. ἑκατὸν βάτους ἐλαίου *Centum Batos olei.* Batus apud Græcos in N. T. est mensura tantæ capacitatis, quantæ est apud Hebræos in V. T. ideo contenti iis, quæ de Bato sectione 14. diximus, hic enumerationem mensurarum finiemus.

XIX. Supputationem capacitatis vasorum maluimus instituere more Judaico secundùm ova, quàm secundum pondera, quia omnia arida & liquida non sunt ejusdem ponderis, licèt eadem maneat capacitas & ambitus vasis. Si, ex. gr. ferro, argento vel auro aliquod ex iis vasis impleveris,

Digitized by Google

veris, pondus erit multo majus, quàm si illud impleveris aquâ, vino aut oleo. Ex. gr. Sextarius Romanus plenus farinâ non ponderat nisi uncias 9. sed plenus oleo uncias 18. plenus melle uncias 30. stanno 150. plumbo uncias 233. plenus auro ponderat uncias 375. & sic deinceps.

XX. Ut omnium antecedentium vasorum quantitas uno quasi intuitu conspici possit, breviter summam ovorum, quot singula vasa contineant, ordine enumerabimus.

Mensura Aridorum V. T.

1.	Cabus continet ova —	24.
2.	Gomer — — —	43.
3.	Sea sive satum — —	144.
4.	Epha — — —	432.
5.	Lethech — — —	2160.
6.	Chomer — —	4320.
7.	Corus — — —	4320.

Mensura Aridorum N. T.

1.	Chœnix continet ova. —	12.
2.	Σάτον *Satum* — — —	144.
3.	Κόρος *Corus* — —	4320.

Mensura Liquidorum V. T.

1.	Log continet ova —	6.
2.	Hin — — —	72.
3.	Bathus — — —	432.
4.	Corus — — —	4320.

Mensura Liquidorum N. T.

1.	Xestes continet ova —	6.
2.	Metreta — — —	432.
3.	Βάτος *Batus* — — —	432.

DISSERTATIO TRIGESIMA SECUNDA.

DE

MENSURIS LINEARUM V. & N.T.

I. *Mensura tredecim linearum V. & N. T. enumerantur.*

II. אצבע digitus *est mensura quatuor granorum.*

III. טופח palmus *est quatuor digitorum.*

IV. זרת spithama *est duodecim digitorum.*

V. פעמים pedes. *Pes est mensura* 16. *digitorum.*

VI. צעד gressus, *vel passus, qui est vel simplex, continens duos pedes cum dimidio, vel duplex* 5. *pedum.*

VII. אמה cubitus, *qui est quadruplex.*

VIII. קנה calamus mensorius.

IX. חבל funiculus. *Longitudo utriusque mensuræ est ignota.*
X. צמד jugum. *Jugera vinearum tantum terræ continent quantum par boum aut equorum potest arare.*
XI. כברת ארץ exiguum spatium terræ.
XII. *Mensura Novi T.* Στάδι@ stadium *continet passus duplices* 125.
XIII. Ὁδὸς σαββάτꙋ via Sabbathi *est est mille passuum majorum, sive geminorum.*
VIV. Μίλιον milliare *convenit cum itinere Sabbathi, continetque mille passus majores.*

I. EGimus de Mensuris Cubicis aridorum & liquidorum, jam sequuntur Mensuræ Linearum sive Intervallorum, quibus rerum diversis locis sitarum distantias metimur: eæ sunt in Veteri T. hæ sequentes, 1. אצבע *digitus.* 2. טפח & טופח *palmus.* 3. זרת *spithama.* 4. פעמים *pedes.* 5. צעד *gressus, passus.* 6. אמה *cubitus.* 7. קנה *funis, funiculus.* 8. חבל *calamus mensorius.* 9. צמדי כרם *Jugera vinearum.* 10. כברת *milliare.* In Novo T. sunt. 1. Στάδι@ & Στάδιον *stadium.* 2. Ὁδὸς σαββάτꙋ *via sive iter sabbathi.* 3. Μίλιον *milliare.* De singulis ordine agemus. Sicuti in Mensuris Cubicis à minimis vasis inchoavimus; sic etiam in Mensuris Linearum à minimis longitudinibus initium ducemus. Granum quidem est primum & minimum elementum, in quod ultimò subdividi solent mensurarum ac linearum sectiones; sed quia granum inter mensuras in S. Scriptura non numeratur, ideo pergimus ad digitum.

II. Prima mensura longitudinis sive latitudinis, cujus in Veteri T. fit mentio, est אצבע Etsbang, *digitus*; & continet quatuor grana, estque decima sexta pars pedis: sed בהן Bohen, *pollex*, est duodecima pars pedis, & sic tres pollices conficiunt quatuor digitos, & quatuor digiti tres pollices. Digiti, ut mensuræ, fit mentio *Jeremiæ cap.* 52. *v.* 21. ubi densitas columnæ dicitur fuisse *quatuor digitorum.*

III. Secunda mensura est טפח vel טופח Topach, *palmus*, qui est quarta pars pedis, continetque quatuor digitos sive tres pollices; ejus fit mentio 1. *Reg.* 7: 26. *Crassitudo maris fusi erat palmus*, h. e. palmaris. In Plurali dicitur טפחות *Psal.* 39: 6. *Palmos* vel Palmorum, h. e. palmares *dedisti dies meos*, h. e. paucissimos: nam immediatè additur וחלדי כאין נגדך *Et vitale ævum meum est quasi non esset coram te.* Moses *Exod.* 25: 25. meminit טופח *Topach*; *Clausura* mensæ erit טופח *palmi.* Buxtorfius in Lex. Hebr. ait: *Palmus est mensura quatuor digitorum conjunctorum.*

IV. Tertia mensura est זרת Seret, *spithama.* Vocatur aliàs palmus ma-

major, cùm præcedens vocetur palmus minor. Spithama est mensura constans tribus palmis minoribus, duodecim digitis, sive novem pollicibus. Ab Hebræis definitur, *Dimidia cubiti sex palmis constantis pars.* Buxtorfius in Lex. Hebr. Rad. זרת ait: זרת *Spithama est mensura digitorum extensorum, continens dimidium cubiti majoris sive sacri, qui constabat sex palmis: unde spithama fuit trium palmorum, sive duodecim digitorum, uti notat Kimchi in libro Radicum.* Habetur hæc vox *Exod.* 28: 16. & 39: 9. זרת ארכו *Spithama longitudo ejus.* 1. Sam. 17: 4. *Altitudo Goliathi erat sex cubitorum cum spithamâ.* Jesaiæ *cap.* 40: 12. *Quis mensus est pugillo suo aquas, & cœlos spithamâ expendit?* Et *Ezech.* 43: 13. &c. Spithama ergo continet spatium, quod est inter digitos extensos, à pollice scil. usque ad extremitatem digiti minimi.

V. Quarta mensura est פעם, in plur. פעמים Pechamim, *pedes.* Ezech. 41: 6. שלשים פעמים *Triginta pedum:* sic explicat R. Kimchi: alii tamen explicant per *triginta vicibus:* nam vox utrumque significat. Pes continet sexdecim digitos, sive duodecim pollices.

VI. Quinta mensura est צער Tzahad, *gressus, passus.* 2. Sam. 6: 13. *Erat autem quum progressi essent portantes arcam Jehovæ sex gressibus, ut sacrificaret boves, &c.* Passus est duplex, simplex scil. vel duplex, h. e. Geometricus. Passus simplex communiter continet binos pedes & semissem: sed passus duplex sive Geometricus comprehendit quinque pedes. Sunt nonnulli qui vocem *passus* in loco citato, apud Samuelem explicant de stadiis.

VII. Sexta mensura est אמה Amma, *cubitus.* Vox cubiti quadrifariam apud Auctores sumitur.

1. Est cubitus *communis*, qui continet spatium à medio brachii usque ad extremos digitos, continetque longitudinem sesquipedis: ejus meminit Textus sacer 2. *Chron.* 3: 15. *Fecit columnas duas cubitorum tricenûm quinûm longitudinis.*

2. Est cubitus *sacer* adhiberi solitus in ædificiis sacris, scil. Tabernaculi, Templi, &c. estque duplo major superiori, & continet longitudinem trium pedum; ejus fit mentio 1. *Reg.* 7: 15. *Formavit duas columnas æneas, octodecim cubitorum erat altitudo columnæ unius.* In priori loco columnæ dicuntur fuisse 35. cubitorum, scil. communium: addatur altitudo basis, quæ unius cubiti fuit: ergo altitudo fuit 36. cubitorum. In posteriori verò loco columnæ dicuntur tantùm fuisse 18. cubitorum, scil. sacrorum: quia sacri sunt duplo majores communibus.

Digitized by Google

3. Est cubitus *Regis*, qui vulgò tribus digitis statuitur esse longior communi cubito. De talibus cubitis sumuntur verba *Deut.* 3: 11. Ubi longitudo lecti Regis Ogh dicitur fuisse novem cubitorum, & latitudo ejus quatuor cubitorum באמת איש *in cubito viri.* Syrus vertit, *In cubito gigantum*; Onkelos באמת מלך *In cubito regis*; eodem modo etiam transfert Versio Arabica. Hinc apparet quod etiam fuerit cubitus regis.

4. Est cubitus *Geometricus*, qui continet sex cubitos communes, sive tres sacros: hujus fit mentio *Genes.* 6: 15. *Trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ; quinquaginta cubitorum latitudo; & triginta cubitorum altitudo ejus.* Quod de Geometricis cubitis structura arcæ sit intelligenda, videntur novæ nostræ Versionis Belgicæ Interpretes in notis etiam approbare.

VIII. Septima mensura est קנה Kaneh, *calamus mensorius.* *Ezech.* 42: 16. *Mensus est plagam Orientalem* בקנה המדה calamo mensuræ, h. e. mensorio, *quingentorum cubitorum calamis, calamo mensuræ circumquaque.* Quantæ longitudinis fuit Kaneh? Jonathan in *Ezech.* 40: 5. ait דחד מנהון שית אמין באמתא דהיא אמא ופשך *Ex quibus unus erat sex cubitorum in cubito qui est cubitus & palmus.* Jacobus Capellus in libro de mensuris intervallorum sect. 14. ait: *Hebræorum Canna constat sex mediamis Hebræorum cubitis, pedibus novem, sive pollicibus Hebræorum centum & octo.* Usus hujus mensuræ fuit metiri ædificia. Pro tali mensura etiam usurpatur *Apoc.* 21: 15. *Qui loquebatur mecum habebat* κάλαμον χρυσοῦν calamum aureum, *ut metiretur civitatem, & portas ejus & murum ejus.*

IX. Octava mensura est חבל Chebhel, *funis, funiculus.* 2. Sam. 8. v. 2. *Metiebatur eos funiculo.* Longitudo funiculi est ignota: usus primarius funiculi fuit metiri terram: hinc metonymicè est *pars, portio hæreditatis*, quæ funiculis mensoriis dividebatur. Deut. 32: 9. *Jacob funiculus possessionis ejus.*

X. Nonæ mensuræ fit mentio *Jes.* 5: 10. ubi Propheta ait, quod *decem* צמדי כרם jugera vinearum *redderent bathum unicum.* Quantum terræ intelligitur per jugerum vineæ? *Resp.* Tantum quantum par boum aut equorum uno die arare potest. Latini hoc spatium vocant Jugum, & Hebræi צמד *Tzemed.* Sed pensum istud diurnum potest esse varium, prout equi vel boves segnes sunt aut impigri; prout etiam terra levior est, aut subactu difficilior.

XI. Decimæ mensuræ meminit S. Scriptura 2. *Reg.* 5: 19. *Et abiit ab eo* כברת ארץ *exiguum spatium terræ,* & Genes. 35: 16. *Et profecti sunt de Bethel,*

Bethel, *& erat adhuc* כברת הארץ exiguum spatium terræ, *ad veniendum in Ephrath*. Syrus vertit: *Itinere quasi stadii terræ.* Arabica Versio habet: *Restabat illis milliare ex itinere.* Onkelos paulò aliter transfert: ותוה עוד כרוב ארעא *Et cùm adhuc esset spatium terræ.* R. Salomo scribit Gen. 48:7. esse mensuram terræ bis mille passuum, scil. minorum, quale erat iter Sabbathi. Kimchi in *libro Radicum* putat כ esse servile, & thema esse ברא ac significare spatium viæ, quantum homo conficit à mane usque ad pastum. *Vide Buxt. Lex. Hebr. R.* כבר R. Schadia, & ipse R. David Kimchi in 2. *Reg.* 5:19. interpretantur per Mil. Ut ut sit כברת הארץ *Cibrath baaretz* videtur esse tale spatium, quantum proficiscendo communiter absolvitur sine mora.

XII. Sequuntur mensuræ intervallorum Novi T. quarum prima est Στάδιος sive Στάδιον *Stadium*, quam vocem nonnulli sic nominatam volunt ἀπὸ τῆς στάσεως *à stando*; quia Hercules tantum spatium currendo absolvebat antequam subsisteret. Geometræ stadium communiter definiunt per *Cursum equi.* In genere stadium est mensura constans centum & viginti quinque passibus. Sed quales passus hic intelliguntur? Maximi, quorum singuli continent spatium quinque pedum. Et quater mille tales passus faciunt milliare Germanicum, qualia quindecim respondent gradui in globo. Ergo triginta duo stadia faciunt milliare Germanicum. Vicus igitur Emmaus, cujus Lucas *cap.* 24. *v.* 13. mentionem facit, distans Hierosolyma sexaginta stadiis, ferè distabat duobus milliaribus Germanicis. Et urbs Bethania *Joh.* 11:18. distans Hierosolyma quindecim stadiis, distabat ferè dimidio milliari.

XIII. Secunda mensura Novi T. est Ὁδὸς Σαββάτου *Via Sabbathi*, cujus meminit Lucas *Actor.* 1:12. *Tunc reversi sunt in Hierusalem à monte vocato Oliveti, qui est prope Hierusalem*, σαββάτου ἔχον ὁδὸν *Sabbathi habens iter.*

Quæritur; Quot passus & stadia continet iter Sabbathi?

Resp. 1. Omnes Judæi uno consensu docent iter Sabbathi fuisse bis mille passuum minorum sive talium, quorum singuli continent duos pedes & dimidium; vel mille passuum majorum, quorum singuli continent pedes quinque. 2. Iter Sabbathi definitur communiter septem sive octo stadiis. Syrus Interpres ita ferè determinat, cum transfert; *Et distat ab ea circiter septem stadiis.*

Porrò quæritur; Unde nata est origo itineris Sabbathi?

Resp. Exod. 16:29. mandat Deus, *ut quisque maneret in loco suo*, & interdicit, *ne ullus exiret è loco suo die septimo*: sed Levitic. 23:3. habetur:

Digitized by Google

tur: *Die septimo erit Sabbathum cessationis, & convocatio sancta.* Ergo si debuerint adire locum sacrum, etiam debuerunt exire è loco suo. Judæi hoc dubium determinârunt, & statuerunt sibi licere facere iter Sabbathi, quod intra semi-horam absolvere poterant. Ergo Judæi putârunt sibi licuisse sine violatione Sabbathi iter unius semi-horæ absolvere. Sed Judæi videntes hoc spatium esse nimis parvum, ideo ob עירוב התחומין *Commixtionem terminorum* illud per alios 2000 passus prolongârunt. Vide de illa commixtione infrà in Spicilegio *cap.* 22.

XIV. Tertia & ultima mensura Novi T. est Μίλιον *Milliare.* Matth. 5: 41. *Et quicunque te angariaverit* μίλιον ἓν milliare unum, *abi cum eo duo.* Hîc procul dubio intelligitur milliare Hebraicum.

Quæritur; Quot passus majores, quorum singuli constant quinque pedibus, contineat milliare?

Resp. Mille: à millenario enim numero milliare nomen habet. Milliare ergo Hebraicum fuit ejusdem longitudinis, cujus fuit iter Sabbathi.

Ut quantitas plerarumque mensurarum antecedentium facilius memoriæ imprimatur, adjiciemus hîc quosdam versus memoriæ juvandæ causa:

Quatuor ex granis digitus componitur unus.
Est quater in palmo digitus, quater in pede palmus,
Quinque pedes passum faciunt; passus quoque centum
Viginti quinque & stadium dant; sed milliare
Octo facit stadia; & duplatum dat tibi leuca.

DISSERTATIO TRIGESIMA TERTIA,

Quæ est pars prima

DE

MENSURIS TEMPORUM V. & N. T.

In specie

De Die, Horâ, Hebdomadâ & Mense.

I. *Mensuræ temporis sunt dies, hora, hebdomada, mensis, annus, Sabbathum, Festum Noviluniorum, Paschatis, Pentecostes, Tabernaculorum, &c.*

II. *Dies est* naturalis 24. *horarum, vel*

Digitized by Google

vel artificialis 12. *horarum.*

III. *Dies naturalis est vel* civilis, *incipiens ab ortu solis; vel* sacer; *incipiens ab occasu solis.*

IV. *Dies artificialis dividitur in quatuor* quadrantes *diei.*

V. *Nox etiam dividitur in quatuor vigilias.*

VI. *Horæ sunt* minores 12. *in die;* majores *& horæ* precum. *Judæi supputant horas à tempore matutino.*

Horæ precum sunt tres. Prima est hora tertia Judaica, secunda est sexta & tertia est bora nona.

VII. *Hebdomada est* ordinaria 7. *dierum; vel* extraordinaria 7. *annorum.*

VIII. *Menses sunt* solares *Christianorum, vel* lunares *Judæorum.*

Nomina mensium Hebraicis & Chaldaicis nominibus nominantur.

I. EGimus de Mensuris Capacitatis & Intervallorum, jam deinceps Mensuræ Temporum, quarum in Veteri & Novo T. fit mentio, ordine occurrunt enumerandæ: suntque hæ sequentes. 1. Dies. 2. Hora. 3. Hebdomada. 4. Mensis. 5. Annus. 6. Festa; eaque sunt vel sæpius in anno recurrentia, vel anniversaria, vel stativa, sive post aliquot annos demum recurrentia.

Festa sæpius in anno recurrentia sunt. 1. Sabbathum. 2. Festum Noviluniorum.

Festa anniversaria sunt 1. Festum Paschatis. 2. Pentecostes 3. Tabernaculorum 4. Expiationis. 5. Purim. 6. Festum Encœniorum sive consecrationis.

Festa post aliquot annos recurrentia sunt. 1. Annus septimus sive Sabbathicus, vulgò *annus semita*, h.e. annus dimissionis dictus. 2. Annus quinquagesimus sive Jubilæus. De singulis ordine agemus.

II. Prima mensura, cujus meminit S. Scriptura, est *Dies;* qui est vel *Naturalis*, continens diem & noctem, sive viginti quatuor horarum spatium, quod unâ fit Cœli circumgyratione: ex. gr. cum statuimus annum absolvi diebus 365. tum loquimur inclusivè includendo etiam noctes: vel dies est *Artificialis*, qui ab ortu Solis usque ad occasum ejus in intermedio tempore definitur, quo Sol nostrum hæmisphærium illustrat, cui ex oppositione respondet nox, dum Sol infra horizontem sese occultat. Huc respexit Moses Gen. 1:5. *Appellans lucem diem, & tenebras noctem.* Talis dies continet duodecim horas: sic loquitur Johannes in Evangelio cap. 11: 9. *Nonne sunt duodecim horæ diei?* scil. artificialis.

III. Dies *Naturalis* viginti quatuor horarum est iterum duplex, vel *Civilis* destinatus operibus civilibus, qui incipit ab ortu solis & durat usque ad ortum solis diei sequentis: ita metiuntur diem Babylonii. Mat-

thæus

thæus ejus etiam meminit in Evang. *cap.* 28. *v.* 1. *Extremo autem Sabbatho, quùm lucesceret in primum diem Hebdomadis.*

Vel dies naturalis est *Sacer* destinatus exercitiis sacris, qui incipit à solis occasu usque ad solis occasum diei sequentis. Tali modo Athenienses, Galli veteres & Judæi dies suos inchoàrunt. De Gallis C. Cæsar lib. 6. Comment. belli Gall. ait: *Dies natales, & mensium & annorum initia sic observant ut noctem dies subsequatur.* Moses Genes. 1 : 6. ait: *Factum est vesperè & manè dies unus.* Similiter omnia festa, ut & Sabbathum initium sumunt à vesperâ; *Levit.* 23: 5. *Inter duas vesperas, Pascha est Jehova.* Hinc Judæi circiter circa horam sextam diei Veneris Sabbathum suum incipiunt. Romani & Ægyptii ab his discreparunt supputando dies à mediâ nocte ad proximè sequentem mediam noctem.

IV. Dies *Artificialis* rursum dividitur in quatuor quadrantes, quorum singuli à primâ exordii horâ nomen acceperunt. *Primus* quadrans continebat sub se tres primas diei horas, & totus vocabatur *hora prima. Secundus* tres sequentes horas, & ad meridiem usque sese extendebat, & appellabatur *hora tertia. Tertius* incipiebat à sextâ, h. e. à nostri duodecimâ, & durabat usque ad horam nonam, sive ad nostram tertiam pomeridianam, & vocabatur *hora sexta. Quartus* diei quadrans reliquas diei horas à nostrâ tertiâ usque ad nostram sextam in se continebat, simulque pausam & finem diei indicabat, & dicebatur *hora nona.* Hanc quadruplicem diei partitionem ferè legimus in Parabola *Matt.* 20: 2, 3, 4, 5, 6. ubi paterfamilias exiit ad conducendos operarios, quos mitteret in vineam. Hic dicitur exiisse *primâ luce*, circa *horam tertiam*, circa *horam sextam*, & *nonam*, ubi quatuor diei quadrantes indicantur. Alii tamen *per primam lucem* intelligunt ultimum quadrantem noctis; per horam verò undecimam *versu* 6. quartum quandrantem; & sic supputatio paulò aliter esset instituenda; quia singuli ferè quadrantes nomen accepissent à fine horæ, quâ quadrans finitur. Vide *Thummium de Festis.*

V. *Nox* similiter dividitur in quatuor quadrantes, qui vulgò vigiliæ nominantur, & singulæ durant tres horas. Prima vocatur *Caput vigiliarum*, & incipit ab hora nostra sexta, ac durat usque ad horam nostram nonam. Thren. 2 : 19. *Surge, vociferare de nocte in principio vigiliarum.* Secunda vocatur media vigilia. quia durat usque ad mediam noctem, Jud. 7: 19. *Adveniens Gidhon ad extremitatem castrorum principio vigiliæ mediæ.* Tertia vigilia incipit à media nocte, & desinit ir horam nostram tertiam nocturnam, Luc. 12: 38. *Si venerit in secunda vigilia, & si venerit in tertia vigilia.* Quarta denique vigilia durat usque ad horam nostram sextam matuti-

Digitized by Google

tutinam, & vocatur vigilia matutina, Exod. 14: 24. *Fuit autem in vigilia matutina, quum prospectârit Jehova ad castra*, & Matt. 14: 25. *Quartâ autem noctis vigiliâ abiit ad eos Jesus.* Hæ quatuor vigiliæ adhuc aliis nominibus denominantur: prima vocatur ὀψὲ, secunda Μεσονύκτιον, tertia ἀλεκτοροφωνία, & quarta πρωῒ; ut Marc. 13: 35. *Nescitis quando dominus domûs veniet, vesperè, an mediâ nocte, an in gallicinio, an manè.* Vide Godwyn in Mose & Aarone *lib.* 3.

VI. Secunda temporis mensura sunt *Horæ*, quæ possunt esse triplices, 1. *Minores*, quales sunt duodecim in die, *Joh.* 11: 9. 2. *Majores*, quales sunt quatuor in die secundùm quatuor quadrantes, quorum suprà facta est mentio. 3. *Horæ precum.* Horæ minores supputantur à mane usque in vesperam, non verò à meridie aut mediâ nocte, sicuti apud nos more Romano fieri solet. Hinc Judæorum hora prima est quæ nobis est septima, tertia quæ nobis est nona, & sexta quæ nobis est duodecima, & sic deinceps. Idem est judicium de horis nocturnis. Ex. gr. Quando *Matth.* 27: 45. dicuntur fuisse tenebræ ab horâ sextâ usque ad horam nonam, h. e. more Romano & secundùm nostram supputationem à duodecimâ usque ad tertiam.

Horæ precum, quæ etiam horæ templi vocantur, fuerunt tres secundùm tres temporis differentias: prima hora precum, est hora tertia Judaica, secunda, est hora sexta, & tertia, est hora nona. Prima hora precum dicitur esse instituta per Abrahamum, secunda per Isaacum, & tertia per Jacobum. *Vide Drus. in Præterit. ad Act.* 3: 1. Tribus illis temporibus etiam David preces suas recitavit, *Psalm.* 55: 18. *Vesperè, & manè & meridie meditabar & fremebam, & audivit vocem meam.* Act. 2: 15. *Horâ tertiâ descenderat Spiritus S. supra Apostolos.* Petrus Act. 10: 9. *ascendit in solarium, ut oraret, circa horam sextam.* Petrus verò & Johannes Act. 3: 1. *simul ascendebant in templum sub horam precationis nonam.*

Ex hâc horarum distinctione illustrari possunt verba Marci *cap.* 15. *vers.* 25. *Erat hora tertia quando crucifixerunt eum*; & Johannis *cap.* 19. *vers.* 14. *Erat parasceve Paschæ, hora verò quasi sexta.* Marcus dicit Christum fuisse crucifixum horâ tertiâ, & Johannes ait Christum demum horâ sextâ fuisse eductum coram Judæis, & tum nondùm à Pilato fuisse condemnatum. Multi per horam tertiam apud Marcum intelligunt secundum quadrantem, qui continet nostram horam 10. 11. & 12. quæ ultima hora convenit cum hora sexta Judæorum, & Johannes dicit circa horam sextam. Vide alias explicationes in Annot. Belg. ad *Joh.* 19: 14.

VII. Tertia mensura temporis est *hebdomada*, quæ est duplex, *ordinaria*,

Digitized by Google

naria, conſtans ſeptem diebus, aliàs vocata *hebdomada diaria*, ſive *hebdomada dierum*; vel *extraordinaria*, conſtans ſeptem annis, aliàs nominata *hebdomada annalis* ſive *hebdomada annorum*. Prioris hebdomadæ fit mentio *Matt.* 28: 1. *Quum luceſceret in primum diem hebdomadis.* Et *Levitic.* 23: 15. dicuntur inter Paſcha & Pentecoſten eſſe ſeptem ſeptimanæ integræ. Poſterioris meminit Moſes in materia de Jubilæo, Levit. 25: 8. *Numerabis tibi ſeptem ſeptimanas annorum, ſeptem annos ſeptemplicibus, ita ut tempus ſeptem ſeptimanarum annorum ſint tibi quadraginta novem anni*: & Daniel *cap.* 9: 24. *Hebdomadæ ſeptuaginta deciſæ ſunt ſuper populum tuum*, h. e. anni 490, deciſi ſunt ſuper populum. Supputabatur olim à Judæis ſeptimana, non ita ut ejus prima, ſecunda, tertia dies appellaretur dies Lunæ, Martis, Mercurii; &c. ſed prima Sabbathi, ſecunda Sabbathi, &c. h. e. prima à Sabbatho, & ſic deinceps.

VIII. Quarta temporis menſura ſunt *Menſes*, qui fuerunt *Solares* vel *Lunares*. Judæi ab initio ante exitum ex Ægypto ſupputârunt menſes ſecundùm curſum ſolis, & ſic cuilibet menſi aſſignârunt 30. dies, quod probatur ex collatione Textuum quorundam de diluvio aquarum, *Gen.* 7: 11. *Decimo ſeptimo die menſis ſecundi diffiderunt ſe omnes fontes abyſſi magnæ*, & cap. 8. verſ. 4. *Arca requievit die decimo ſeptimo menſis ſeptimi*, ubi interceſſit ſpatium quinque menſium ſolarium, qui 150. dies conſtituunt; totidem etiam diebus aquæ prævaluerunt ſuper terram, *Gen.* 7: 24. Ex quibus apparet ſingulos menſes 30. dies continuiſſe.

Poſt exitum ex Ægypto magis ad curſum lunæ quàm ad curſum ſolis attenderunt. Quare? Quia Deus feſtum Noviluniorum obſervari juſſit: ideo ſecundùm curſum lunæ menſes ſuos, quos lunares vocabant, ſupputârunt. Menſes lunares quot continent dies apud Judæos? Alternatim 30. vel 29. dies. Priores menſes continentes 30. dies vocabantur *Menſes* מלאים *pleni*, quia 30. integros dies comprehendebant; poſteriores verò nominabantur *Menſes* חסרים *cavi* ob defectum unius diei. Ergo annus conſtans duodecim menſibus lunaribus tantùm in ſe continet 354. dies.

Hinc *quæritur*; Quum in anno lunari, applicato ad annum ſolarem, conſtantem 365. diebus, deficiant circiter undecim dies; Quomodo annus lunaris ad annum ſolarem à Judæis applicari poſſit?

Reſp. Judæi, quamprimùm numerus ille dierum, horarum & ſcrupulorum in menſem excrevit, menſibus lunaribus duodenis, tricenis undetriceniſque diebus alternantibus, adjecerunt ſecundo aut tertio anno menſem decimum tertium, quem *intercalarem* vocarunt; ſicuti nos quarti cujuslibet anni intercalaris menſi Februario unicum diem adjicere ſolemus.

mus. Et quia illum menſem decimum tertium ultimo *menſi Adar*, h e. Februario, ſubjunxerunt, ideo eum vocârunt Veadar, h. e. *Et Adar*, quaſi *Adar iteratus.*

Nomina menſium diverſis temporibus fuerunt diverſa. Hebræi ab initio menſes nominarunt per *primum*, *ſecundum*, *tertium*, &c. At progreſſu temporis ante captivitatem Babylonicam quatuor menſibus Hebraica impoſuerunt nomina, ſcil. *primo*, *ſecundo*, *ſeptimo* & *octavo*. Primum vocarunt איתנים *Ethanim* 1. *Reg.* 8:2. qui reſpectu anni ſacri, incipientis à Martio, vocatur menſis ſeptimus. Secundum בול *Bul*, 1. *Reg.* 6: 38. Septimum אביב *Abib*, Exod. 13:4. Octavum denique זו *Sif*, 1:*Reg.*6: 1.

Tempore captivitatis Babyl. & deinceps; Judæi, relicto patrio lare & linguâ, cum Chaldæis chaldaizantes, quatuor dictis menſibus, ut & reliquis Chaldaica impoſuerunt nomina, appellitantes *Abib* menſem *primum* anni ſacri ניסן *Niſan*, Eſth. 3: 7. qui ferè noſtro Martio reſpondet. 2. אייר *Ijar*, qui antea *Sif* dictus fuit. 3. סיון *Sivan*, Eſth. 8:8. 4. תמוז *Tammus.* 5. אב *Abb.* 6. אליל *Elul* Neh. 6: 15. 7. תשרי *Tiſchri*, olim *Ethanim.* 8. מרחשון *Marcheſvan*, olim *Bul.* 9. כסלו *Kisleu*, Zach. 7:1. 10. תבט *Tebbet.* 11. שבט *Schebbat*, Zach. 1:7. 12. אדר *Adar*, Eſth. 3:7. 13. In anno intercalari, qui ואדר *Veadar* nominatur. In ſequenti diſſertatione de anno & de quatuor ejus intiis agemus, ut & de variâ menſium appellatione, quare menſis primus aliquando vocetur menſis ſeptimus, & ſic deinceps.

DISSERTATIO TRIGESIMA QUARTA,

Quæ eſt pars ſecunda

DE

MENSURIS TEMPORUM V. & N. T.

In ſpecie

De Anno & Sabbatho Judaico.

I. *Judæi annos Civiles incipiunt à Kalendis Tiſri* Septembris. *Anni Judæorum facilè ad annos Chriſtianorum reduci poſſunt addendo* 140. *Sed annos Sacros inchoant à Niſan* Martio.

Digitized by Google

II. *Talmudistæ numerant quatuor initia annorum.*
III. *Festum* tubarum *primo die Novi anni celebratur secundùm legem Dei.*
IV. *Judæi aliud* festum Novi anni *instituerunt.*
1. 2. *Vox Sabbathi variis modis sumitur in S. Scriptura.*
3. *Sabbathum à Judæis superstitiosè colitur, & secundùm leges Judaicas tali modo est colendum; quod variis textibus ex Misna allatis probatur.*
Mulieris accendentis lucernas Sabbathinas figura exhibetur; quæ etiam fusè explicatur.
Adhuc ex nonnullis capitibus Misna diversi textus Hebraicè & Latinè proferuntur.

I. EGimus de diebus, horis, hebdomadis & mensibus; sequitur ut de annis, eorumque initiis, & cæteris mensuris temporum agamus.

Primò quæritur. A quo mense & die Judæi annos suos supputârint?

Resp. 1. Ante captivitatem Ægyptiacam inchoârunt annos à novilunio mensis Tisri sive Septembris; tum quia sic jussit Dei verbum, uti apparet ex *cap.* 23. *Exodi, versu* 16. ubi Deus mandat *Solennitatem collectionis celebrandam esse in exitu cujusque anni:* atqui collectio frugum illo circitèr tempore fiebat; tum quia mundus æquinoctio autumnali ex sententiâ Judæorum dicitur creatus. Propterea Judæi ab initio hujus mensis Tisri annos creationis mundi solent supputare: ex. gr. Hoc anno Christianorum 1663. mundus dicitur secundùm supputationem Judæorum stetisse annos 5423. Unde apparet inter computum Judæorum & computum Christianorum esse discrimen circitèr 190. annorum: nam Christiani à mundi creatione jam numerant annos 5612. Sed Judæi utplurimùm omissis millenariis tantùm solent centenarios, denarios & monadicos numeros supputare, additis his vocibus לפ״ק abbreviatè, pro לפרט קטון *secundùm supputationem minorem.*

Si quis ex annis Judæorum velit investigare annos Christianorum, addat annis Judaicis supputationis minoris annos 1240. & statim invenietur qualis annus Christianorum per annos Judaicos intelligatur: ex. gr. Misna punctatum Amstelodami est editum anno ת״ו 406. hoc est, anno Christianorum 1646. nam si hi anni 406. ad 1240. addantur, erunt anni 1646. Tali modo facillimè investigari potest quo anno liber aliquis Hebraicus sit impressus. Et quia Judæi credunt mundum hoc novilunio mensis Tisri, h. e. *Septembris*, esse creatum; ideo adhuc hodie Kalendaria sua ab hoc mense *Tisri* inchoare solent.

Resp. 2. Postquam Deus Israelitas è captivitate Ægyptiaca liberavit, aliud

aliud præterea anni initium constituit, scil. mensem *Abib* sive *Nisan*, nostro Martio ferè respondentem, uti patet ex *Exod.* 12:2. *Hic mensis* (scil. *Nisan*, quo eduxi vos è terrâ Ægypti) *vobis principium esto mensium, primus ille esto vobis inter menses cujusque anni.* Secundùm hoc anni initium festa in Veteri T. supputantur; hinc Pascha dicitur celebrari mense primo, h. e. in Nisan sive in Martio, & festum Tabernaculorum mense septimo, h. e. in Tisri sive in Septembri, & sic cætera festa à Nisan sive Martio numerantur.

Quæritur; Quare Deus adhuc aliud initium anni instituerit?

Resp. Ob memoriam liberationis Ægyptiacæ, quam Deus hoc modo, constituendo aliud initium anni, voluit conservare. Similiter Christiani, ut perpetuâ recordatione liberationem à peccatis per mortem Christi impetratam recolerent, æram annorum à nativitate Christi exorsi fuerunt.

II. *Secundò quæritur.* An non fuerint plura initia annorum usitata inter Judæos, quàm hæc duo?

Resp. Talmudistæ in Misna, Tractatu ראש חשנה *de principio anni*, cap. 1. sect. 1. quatuor initia annorum constituunt cum ajunt: אר בעה ראשי שנים הם. באחד בניסן ראש השנה למלכים. ולרגלים, באחד באלול ראש השנה למעשר בהמה, ר' אליעזר ורבי שמעון אומרים באחד בתשרי. באחך בתשרי ראש חשנה לשנים ולשמיטין וליובלות לנט עת ולירקות, באחד בשבט ראש השנה לאילן כדברי בית שמאי, בית הלל אומרים בחמשה עשר בו: *Quatuor sunt principia anni; primâ die mensis Nisan* (h. e. Martii) *est novus annus Regum & Festorum: primâ die Elul* (h. e. Augusti) *est novus annus Decimandi pecoris. Rabbi Eliesèr tamen & Rabbi Schimeon dicunt, primâ die Tisri. Primâ die Tisri* (h. e. Septembris) *est novus annus Annorum, Anni dimissionis, Jubilæi, Plantationis Arborum & Herbarum: primâ die Schebbat* (h. e. Januarii) *est novus annus Arborum secundùm sententiam domus Schammai: sed domus Hillel dicit decimo quinto die ejus mensis.* Hæc breviter sic sunt explicanda.

Annus Regum erat talis annus, à quo Judæi supputabant annos regni regum suorum: ex. gr. Si rex in Januario electus esset, in Martio incipiebat secundus annus regiminis.

Annus Festorum etiam incipiebat in Martio: ex. gr. Pascha celebratur in Martio: ergo celebratur primo mense anni; festum Tabernaculorum septimo, ergo in Septembri, &c.

Annus decimandi pecoris incipiebat in novilunio Augusti: quia Judæi ab hoc novilunio numerabant annos & menses, quibus novum pecus natum erat, ut decimas ritè darent.

Digitized by Google

Annus Annorum est à creatione mundi.

Annus dimissionis est septimus annus quietis, quo agri & vineæ quiescebant.

Annus Jubilæi est quinquagesimus annus, quo possessiones ad dominos redibant, & servi Hebræi manumittebantur, *Levit.* 25.

Annus plantationis Arborum & Herbarum est annus, à quo supputabant tempus, quo teneræ arbores & herbæ plantatæ fuerant, ut annum impuritatis ritè numerare possent: nam arbor per tres annos immunda censebatur, *Lev.* 19.

Annus Arborum erat primo, vel decimo quinto die mensis Januarii: nam prout arbores ante vel post hunc diem germinabant, fructuum esus concedebatur vel interdicebatur. *Vide plura in Synag. Buxt. cap.* 17.

Hinc jam facilè responderi potest ad quæstionem quâ *quæritur*; Quare idem mensis, ex. gr. Tisri, 1. *Reg.* 8: 2. Ethanim dictus, vocetur ibidem mensis septimus, quum aliàs semper à Judæis vocetur mensis primus?

Resp. Mensis Tisri (*September*) appellatur mensis septimus respectu anni sacri incipientis à Martio: sed vocatur mensis primus respectu anni civilis, sive anni qui à creatione mundi incipit. Similis conciliatio in cæteris mensibus institui potest.

III. Primo die novi anni, secundùm legem Dei, celebrandum fuit festum *Tubarum* sive *buccinæ* & *clangoris* dictum; eò quod hoc die audiretur tubarum sonitus & clangor. De hoc festo legitur Lev. 23: 24, 25. *Mense septimo, primâ die mensis erit vobis Sabbathum memoriale clangentibus tubis. Omne opus servile non facietis in eo*, &c. Sic Numer. 29: 1. *Mensis septimi prima dies sancta vobis erit, omne opus servile non facietis in ea, quia dies clangoris & tubarum est.* &c.

Quæritur; Quare Deus festum clangoris hoc tempore instituit?

Resp. 1. Rabbini nonnulli putant hoc festum esse institutum in *memoriam liberati Isaaci ab immolatione*: & quod propterea cornu arietinum infletur, quia aries prosiliens pro Isaaco immolatus fuit. Sed non est verosimile Deum propter unius hominis liberationem tale festum instituere, & tot oblationes offerri voluisse.

2. Alii volunt hoc festum fuisse institutum ut populus Israeliticus sibi in memoriam revocaret gravia illa bella, gesta contra Abimelechitas & contra Ethnicos, utque simul admoneretur vitam nonnisi militiam esse.

3. Alii existimant Deum hoc festum primo die anni instituisse, quia in hoc mense numerantur plures festi dies, quàm in aliis mensibus; utque populus ad observationem reliquorum festorum tali medio redderetur attentior, & tubarum sonitu erga divina beneficia gratior. *Vide Thummium*

Digitized by Google

nium de Festis. Quomodo hoc festum à Judæis celebretur, quali cibo vescantur, quomodo sese ad hoc festum præparent, &. sese pridie, ipsoque die festi gerant, multis describit *Buxtorfius in Synagoga cap.* 24. quæ propterea omitto.

IV. Præter hoc festum clangoris, adhuc aliud festum eodem die observandum decreverunt Judæi, scil. *Festum Novi anni*, quod Deum nec auctorem nec suasorem habet. Sed ne planè hoc festum videretur esse supposititium, tradunt (uti videre est in Medrach שוחר טוב) Concilium Hierosolymitanum decrevisse, ut hoc die festum *Novi anni* celebraretur. Etiam ajunt Deum hoc ipso tempore & die Senatum Angelorum congregâsse, eisque mandâsse ut in terra inquirerent, num sententia, de *Novo anno* festivè celebrando, lata & pronunciata esset. Postquam Angeli perceperint hoc festum Novi anni celebrari, idque Deo retulerint, mox Deum ipsum eodem die thronum ascendisse, & ad mundum judicandum consedisse. Hinc in *Talmude tractatu* ראש השנה *cap.* 1. *p.* 16. statuunt Deum hoc die judicium celebrare, in quo aperiuntur tres libri, quorum primus est *Impiorum*, qui tantum sceleratissimos homines continet; alter est *Justorum*, cui inscripti sunt homines pii; tertius est *Mediocumorum*, qui mediam viam incedentes, nec justorum nec injustorum cœtui sunt adscribendi. Primus liber vocatur *liber mortis*, & secundus *liber vitæ*: sed tertio cœtui dicunt *tempus dilationis* constitutum esse usque ad diem decimum ejusdem mensis, quo festum Expiationis celebratur. Si à principio Novi anni usque ad hunc decimum diem benè sese gerant, & veram agant pœnitentiam, benè sese res habet, & libro vitæ inscribuntur; sin verò mala opera bonis præponderent, tum ilico impiis annumerantur.

Quis non videt hæc omnia ita à Judæis efficta esse? Quis unquam de tribus talibus libris aliquid legit in Scriptura? Quis Delphicus Apollo Judæis manifestavit Deum ab initio anni thronum judicialem ascendere, & annuatim tale judicium de hominibus ferre? Per totum hunc mensem cornu arietinum inflant, præcipuè ad obtundendum Satanam, ut perplexus reddatur, ita ut sui quasi oblitus, & extra se raptus, ignoret diem judicii, ne sistens se coram Deo, eos accusare possit. Sed ô diabolum simplicem & stupidum, qui tam facilè obtundi possis! Siccine Judæi tibi aures obturant? Præterea ut sine timore hunc diem exspectarent, solent eo die & aliquot diebus antè multas preces recitare: sed ut in orando sunt longiores & abundantiores, ita in precum suarum recitatione sunt volantiores & velociores, linguâ ita currente, blaterante & balbutiente, ut minimè sensum, rariùs syllabas, semper sonum, & nihil ultrà per-

percipias. Multas alias ceremonias pridie Novi anni obſervant, ſcil. abeunt in cœmiterium, & Deum rogant, ut velit peccata condonare propter opera juſtorum ibi ſepultorum; capillos tondent, in balnea ſeſe conferunt, ut loti & mundi ſequenti die coram Deo comparare poſſint, &c. Cæteras ceremonias occaſione feſti Novi anni celebrandas vide apud *Buxtorfium in Synag. Jud. cap.* 23. *& apud Thummium.*

DE SABBATHO.

JAm ſequuntur feſta, & primò ea quæ ſæpius in anno recurrunt, ut Sabbathum & feſtum Noviluniorum. Vox *feſti* deſcendit à verbo *feriari*, & idem ferè denotat quod apud Hebræos שבת *Sabbathum, quies.* Hinc feſta, feriæ, ſolennitates & feſtivitates æquo gradu ambulant.

II. שבת *Sabbathum*, deſcendens à verbo שבת *quieſcere*, variis modis in S. Scripturâ uſurpatur. 1. Pro ſeptimâ die cujuſvis Hebdomadæ ſupputatâ à creatione mundi, *Exod.* 20: 10. Eo die Deus ab operibus ſuis ceſſavit, eique propterea benedixit, *Gen.* 2: 2.

2. Pro omnibus feſtis à Deo inſtitutis, etiamſi in ſeptimum diem non incidant, ut *Ezech.* 20: 12, 13, 16. In his etiam ab operibus ſervilibus ceſſare debebant uti ipſo Sabbatho.

3. Totus quiſque annus ſeptimus etiam Sabbathum nominatur *Levit.* 25: 4. *Anno ſeptimo Sabbathum ceſſationis eſto ipſi terræ: agrum tuum ne ſeminato*, &c.

4. Feſtum Expiationis, quod decimo die menſis Tiſri celebrandum erat, vocatur Sabbathum, *Lev.* 23: 32. *Sabbathum ceſſationis eſto vobis quo affligatis animas veſtras.*

5. Sabbathum ſumitur pro totâ hebdomadâ, *Lev.* 23: 15. Deus jubet numerare à Paſchate uſque ad Pentecoſten ſeptem Sabbatha, h. e. ſeptem hebdomadas. Nos jam primo modo de Sabbatho Judaico agemus.

Ex varia hujus vocis Sabbathi ſignificatione apparet loca illa Veteris vel N. T. de Sabbatho agentia, non ſtatim de Sabbatho ſtrictè ſumto, h. e. de ſeptimo quovis die eſſe intelligenda, uti *Coloſſ.* 2: 16. & in aliis locis: *Ne quis vos damnet ob cibum vel potum, aut reſpectu feſti, aut Novilunii aut Sabbathorum.*

III. Sabbathum olim à veteribus Judæis ſecundùm legem oralem ſuperſtitioſè fuit colendum & cultum, atque adhuc hodie ſuperſtitioſiſſimè à novitiis Judæis colitur. Ut hæc aſſertio firmiter probetur, ipſa loca ex Miſna

Misna tractatu שבת *de Sabbatho* producam, & per singula ferè capita breviter ostendam quàm superstitiosæ à Rabbi Jehuda Judæis traditæ sint leges de Sabbatho colendo; horum tamen nonnullæ sano sensu possunt explicari.

Causæ, quæ me ad hæc sequentia ex Misna producenda, moverunt, sunt præcipuè duæ. *Prior* est, quia hæc pleraque, etsi inveniantur in Misna Hebræo, nondum tamen ordine ita à quoquam exinde sunt allegata, & latinitate hactenus donata. Sed postquam hæc secundâ vice prælo subjeci, vidi Tractatûs Schabbath & Erubhin latinitate esse donatos à Doctissimo D. Sebastiano Schmidt, Professore Argentoratensi, & Lipsiæ editos ab amico meo D. Johanne Benedicto Carpzovio, cui ante biennium per literas significaveram me hunc tractatum de Sabbatho, ut & plerosque de festis paratos habere, eosque velle, quamprimùm Typographum nactus fuissem, unà cum brevibus commentariis in lucem emittére: & propterea ut specimen exhiberem, occasione disquisitionis publicæ de Sabbatho, ordine sequentis, Misna percurri; & pleraque, quæ ad rem præsentem facere videbantur, expressi, & latinitate donavi; ut hæc pauca quasi viam præpararent ad editionem totius tractatûs מועד *de festis.* An deinceps meam versionem publici juris sim-facturus, non adeo certus sum; præcipuè cum idem D. Sebastianus Schmidt polliceatur totius Misnæ, ut & commentariorum Maimonidis & Bartenoræ translationem Latinam. Interea temporis paro *Philologum Græcum* in Novum T. continentem quæstiones Philologico-Græcas, passim in N. T. Græco occurrentes, quæ jam modo à studiosis Philologiæ publicis disputationibus defenduntur; imo hic Philologus Græcus Anno 1670. editus est prima vice, & secunda vice Anno 1685. cum additione & translatione omnium 268. versuum Chaldaicorum, in Daniele & Ezra occurrentium, in Linguam Hebraicam.

Posterior causa, quæ me movit quare hæc sequentia ex Misna in Linguam Latinam tum temporis transtulerim, est, ut ostenderem Reformatos nullo modo accusari posse Judaismi, quando strictam & accuratam more Christiano urgent Sabbathi Christiani observationem.

Hæc sequentia sunt desumpta ex Tractatu Misnico שבת *de Sabbatho*, in quo sunt viginti quatuor capita, ex quorum ferè singulis quædam excerpsi, quæ ad rem præsentem facere videntur.

Ex capite primo hæc sequentia judicavi esse proferenda, & transferenda:
ג. לא יצא החייט במחטו סמוך לחשכה שמא ישכח ויצא . ולא הלבלר בקולמוסו . ולא יפלה את כליו . ולא יקרא לאור הנר : 3. *Non egredietur sartor cum acu suâ adventantibus tenebris* (ante Sabbathum:) *ne forte oblivi-*

ſcatur & exeat (poſt obortas tenebras:) *Neque* exibit *Scriba cum calamo ſuo: neque expurgabit veſtes*: (ſcil. à pediculis) *neque leget apud lucem lucernæ* (ſcil. Sabbathinæ.) Præterea adhuc multæ contrariæ opiniones inter domum Hillel & Schammai circa agenda vel omittenda proponuntur: ex. gr. ה׳ בית שמאי אומרים אין שורין דיו וסממנים וכרשינים אלא כדי שישורו מבעוד יום ובית הלל מתירין׃ *ſ. Domus Schammai dicit: non humectant atramentum, aut colores, aut pabulares Vicias, niſi ut diſſolvantur dum adhuc dies eſt* (ſcil. profeſtus:) *ſed domus Hillel concedit*. י׳ אין צולין בשר בצל וביצה אלא כדי שיצולו מבעוד יום אין נותנין פת לתנור עם חשכה ולא חררה על גב גחלים אלא כדי שיקרמו פניה מבעוד יום *Non aſſant* (h. e. non licet aſſare) *carnem, cepam aut ovum, niſi ut aſſentur cum adhuc eſt dies. Non immittunt panem in fornacem cum tenebreſcere incipit; neque placentam ſupra prunas niſi ut incruſtetur ſuperficies ejus dum adhuc dies eſt.*

In capite 2. ſubtiliter diſputant quâ materiâ lux Sabbathina ſit accendenda, & quâ non: א׳ במה מדליקין ובמה אין מדליקין׃ אין מדליקין לא בלכש׳ ולא בחוסן׳ ולא בכלך׳ ולא בפתילת האידן׳ ולא בפתילת המדבר׳ ולא בירוקה שעל פני המים׳ לא בזפת׳ ולא בשעוה׳ ולא בשמן קיק׳ ולא בשמן שריפה׳ ולא באליה׳ ולא בחלב. *Quo accendunt? & quo non accendunt* (lucernas)? *Non incendunt neque muſco, neque lino impexo, neque involucro bombycis, neque ellychnio ſalicis, neque ellychnio ſylveſtri, neque herbâ virente* (muſco) *quæ eſt ſuperficies aquarum, neque pice, neque cerâ, neque oleo Kikino, neque oleo combuſtionis* (profanato,) *neque cauda* (adipoſâ,) *neque adipe*. ה׳ המכבה את הנר מפני שהוא מתירא מפני גויכ׳ מפני לסטים מפני רוח רעה מפני החולה שישן פטור׃ *ſ. Qui extinguit lucernam quoniam timet à gentilibus, aut à latronibus, aut propter ſpiritum malignum, aut propter ægrum qui dormit, liber eſt.*

Fœminæ diligenter præceptum de accendendis lucernis Sabbathinis obſervant ob pœnam oblivionis, quæ *ſect.* 6. deſcribitur, על שלוש עבירות נשים מתות בשעת לדתן על שאינן זהירות בנדה ובחלה ובהדלקת הנר׃ *Propter tria peccata mulieres moriuntur tempore partus: quia non ſatis cautæ fuerunt circa impuritatem ſuam menſtruam, circa placentam farinaceam & circa accenſionem lucernæ.*

Quia Judæi per accenſionem lucernarum (quarum hîc mentionem facit Miſna) diſtinguere ſolent Sabbathum à diebus profeſtis; ideo operæ pretium erit pauca de lucernis Sabbathinis hîc in medium proferre.

Expli-

Digitized by Google

Explicatio hujus figuræ, quæ pag. 187. extat.

1. Hæc fœmina accendit luces Sabbathinas.

Hinc *quæritur*; Quare fœminis potiùs luces illas accendendi competat officium quàm viris?

Resp. Propter duas rationes. *Prior* eſt: Quia Heva ex ſententia Judæorum, Adamum fuſtibus excepit quum de arbore vetitâ comedere recuſaret. Adamus verberibus adactus de arbore illa comedit, & ſibi poſterisque ſuis mortem conciliavit. Antequam Heva ita peccâſſet Sol mundo collucebat, eâdem ratione quâ olim piis in futuro ſæculo, ſed ob peccatum Solis ſplendor immutatus & diminutus fuit. Verùm quia Heva cauſa fuit diminutæ lucis; ideo etiam fœmina tenetur luces illas Sabbathinas accendere. *Poſterior* ratio eſt: quia fœminæ utplurimum domi adſunt, quum viri ob ſonticas cauſas ſæpe abeſſe, & peregrè proficiſci cogantur.

2. Hic conſpicitur lampas diverſis lucibus ornata: ſi vel unam accenderent, ſatisfacerent legi à Rabbinis latæ: ſed quædam mulieres liberalitatis oſtendendæ ergò duas, tres, quatuor, vel etiam plures luces accendunt. Hæc mulier accendit lampadem habentem ſex luces. Hæ lucernæ ſunt ſummè neceſſariæ; ita ut ſi mulier non habeat pecuniam ad emendum oleum, eam debeat oſtiatim mendicare pro comparando oleo. Si quis ſtudioſè hoc præceptum obſervat, is filios nanciſcetur eruditos & pios. Quando hæ lucernæ accenduntur? In fine diei Veneris circa veſperam paulò ante ipſum Sabbathum, quando Sol montium & arborum cacumina occupare incipit. Ne mulier officii ſui obliviſcatur, paterfamilias ſolet uxorem monere ut lucernas illas accendat. An non licet Judæo uti lucernâ Sabbathinâ accenſâ à Chriſtiano? Non licet.

3. Quare hæ lucernæ paulò ante Sabbathum accenduntur? Sive, Quare Sabbathum paulò citiùs inchoatur, & paulò ſeriùs finitur quàm lex præcepit? *Resp.* Hoc fit in defunctorum gratiam, quorum animæ ſtatim, inchoato Sabbatho, ex inferis ſive ex purgatorio egrediuntur, & in obvias aquas refrigerii ergò ſeſe projiciunt, atque finito Sabbatho iterum ad loca ſua redeunt.

4. Quamprimum lucernæ ardere incipiunt mulier ambas manus verſus lampadem expandens ait: ברוך אתה יהוה אלהינו . מלך העולם אשר קדשנו . במצותיו וצונו להדליק נר של שבת : *Benedictus tu Domine Deus noſter, Rex mundi, qui nos præceptis tuis ſanctificâſti, & candelas Sab-*

Sabbathinas accendere præcepisti. Quare mulier tenetur manus suas versus luces expandere? *Resp.* Precatiuncula illa recitanda esset candelâ nondum accensâ: verùm quia illud fieri nequit, nisi frustra eam recitare velit, manus lucernæ opponit, ut lucem ab oculis arceat: & hoc idem est ac si lucerna non arderet.

5. Vestes suas Sabbathinas in honorem Sabbathi solent induere, quæ utplurimum sunt diversæ à vestibus profanis & quotidianis. Hinc Judæi ditiores peculiares habent vestes, quas nunquam nisi Sabbatho induunt. Hæc mulier etiam vestibus Sabbathinis hìc conspicitur induta.

6. Mensam hìc videtis stratam. Judæi solent ante Sabbathum mensam sternere, & ita stratam per totum Sabbathum relinquere. Quomodo solent sternere? Linteis mundis & albis, mantilibus, quadris, cyathis, pulvinaribus, scamnis, & reliquis rebus necessariis. Panes duo etiam mensæ imponuntur. Quare? Quia olim Israelitæ die Veneris duplum manna collegerunt. Hic tamen in mensâ non conspiciuntur panes. Quare? Quia solent tegi. Quare panis tegitur? Ne ignominiam suam vini causâ videat: nam vini consecratio priùs ante panis consecrationem fieri solet.

7. In hâc mensâ, ante Sabbathum stratâ triplex epulum Sabbathinum solent comedere, & quidem instructum conquisitissimis & delicatissimis cibis. Singulis culter in mensâ apponitur, qui ante Sabbathum est repurgandus & acuendus. *Vide de his & aliis uberiùs in Synag. Buxt. c. 15.*

E diverticulo in viam revertamur.

In *cap.* 3. *sect.* 3. de ovo ajunt אין נותנין ביצה בצד המיחם בשביל שתתגלגל . ולא יפקיענה בסודרין ור׳ יוסי מתיר ולא יטמיננה בחול ובאבק דרכים בשביל שתצלה *Non ponunt ovum ad latus calefactorioli ut parumper assetur, neque frangunt illud sudariis. Sed R. Jose permittit. Neque abscondunt illud in arena, aut in pluvere viarum ut assetur.*

In capite quarto disquirunt, quali materia ollæ, in quibus cibus qui die Veneris circa vesperam coctus est, asservatur, sint tegendæ, ut calorem diutiùs retinere possint: nam ipso Sabbatho non licet ipsis ignem struere, ut cibos de novo calefaciant. א במה טומנין ובמה אין טומנין , אין טומנין לא בגפת , ולא בזבל לא במלח , ולא בסיד , ולא בחול בין לחים בין יבשים ׳ לא בתבן , ולא בזגים , ולא במוכים ולא בעשבים בזמן שהן לחים , אבל טומנין בהן כשהן יבשין , טומנין בכסות , ובפירות , בכנפי יונה , ובנסורת של חרשים , ובנעורת של פשתן דקה ר׳ יהודה אוסר נרקה ומתיר בגסה 1. Quo obtegunt? & quo non obte-

obtegunt? Non obtegunt cum fæcibus torcularis, neque cum fimo, neque cum ſale, neque cum calce, neque cum arena, ſive humidis, ſive ſiccis; neque cum palea, neque cum vinaceis, neque cum mollibus, (*ut molli lana, &c.*) neque cum herbis, tum cum ſunt humida: ſed obtegunt cum illis quum ſunt arida. Obtegunt cum veſtimento, & cum fructibus, cum alis columbæ, & cum ſegmentis opificum, & cum ſtupa lini tenui. Ribbi Jehuda vetat cum tenui, ſed permittit cum craſſa.

In capite 5. multæ abſurdæ quæſtiones moventur de beſtiis, quibus inſtrumentis die Sabbathi ſine ejus violatione egredi poſſint, ut *ſect.* 1. במה בהמה יוצאה ובמה אינה יוצאה. יוצא הגמל באפסר ונאקה בחטם ולובדקים בפרומביא וסוס בשיר. וכל בעלי השיר יוצאים בשיר ונמשכים בשיר: *Cum quo beſtia egreditur?* (è ſtabulo) *& cum quo non egreditur? Camelus egreditur cum capiſtro, & camelus* (fœmina) *cum annullo narium, & aſini lybiani cum fræno, & equus cum catena, & omnia animalia, quibus catenæ competunt, egrediuntur cum catena, & trahuntur cum catena.*

Similiter ſect. 2. חמור יוצא במרדעת בזמן שהיא קשורה לו. זכרים יוצאין לבובין. רחלות יוצאות שחוזות. כבולות. וכבונות. העיזים יוצאות צרורות וכו׳ *Aſinus egreditur cum clitellis tum cum alligatæ ſunt ei. Arietes exeunt copulati. Oves fœminæ exeunt alligatæ* (caudam ovium ligabant ſupra dorſum ut mares eas faciliùs inirent) *ligatæ* (ne à maribus iniri poſſent) *& circumligatæ* ſcil. panniculo circa corpus, ut lanam conſervarent puram) *Capræ exeunt ligatæ* (circa ubera ad exſiccandum, non ad lac excipiendum, &c.

Sectione 4. interdicuntur varia inſtrumenta, cum quibus non licet beſtiis in Sabbatho egredi, ut: אין חמור יוצא במרדעת בזמן שאינה קשורה לו. ולא בזוג אף על פי שהוא פקוק. ולא בסולם שבצוארו. ולא ברצועה שברגלו. ואין התרנגולין יוצאין בחוטין׳ ולא ברצועות שברגליהם. ואין הזכרים יוצאין בעגלה שתחת האליה שלהן. ואין הרחלים יוצאות הנונות. ואין העגל יוצא בגימון׳ ולא פרה בעור הקופר. ולא ברצועה שבין קרניה וכו׳ Non egreditur aſinus [*in Sabbatho*] cum clitellis tum cum non ſunt alligatæ ei, neque cum tintinnabulo etiamſi ſit obthuratum, neque cum ligno quod eſt in collo ejus, neque cum loro quod eſt in pede ejus: neque galli [*vel gallinæ*] egrediuntur cum funiculis, neque cum loris quæ ſunt in pedibus eorum: neque arietes egrediuntur cum herba in naribus: [*quam ingerunt ovibus in nares ut ſternutent*] neque vitulus exit cum jugo vitulino, neque vacca cum pelle ericii, neque cum loro quod eſt inter cornua ejus, &c.

In capite 6. Misna multas nugas proponit de mulieribus & viris, quibus instrumentis audeant exire vel non exire. sect. 1. במה אשה יוצאה ובמה אינה יוצאה. לא תצא אשה לא בחוטי צמר, ולא בחוטי פשתן, לא ברצועות שבראשה ולא תטבול בהן עד שתרפה ולא בטוטפת. ולא בסנבוטין, בזמן שאינן תפורין. ולא בכבול לרשות הרבים. ולא בעיר של זהב. ולא בקטלא, ולא בנזמים. ולא בטבעת שאין עליה חותם ולא במחט שאינה נקובה. Cum quo mulier egreditur? & cum quo non egreditur? Non egreditur mulier cum filis laneis, neque cum filis lineis, nec cum loris quæ sunt super capite ejus. Neque cum his lavabit, donec laxavit ea. Neque cum totaphoth: [*est lamina quam mulieres alligant fronti ab una aure ad aliam*] neque cum monilibus tum cum non sunt consuta, neque cum cabhul [*h. e. pannulo subfrontali : est genus ornamenti mulieris*] in publicum, neque cum civitate aurea *h. e. coronulâ aureâ ad formam urbis Jerusalem factâ, aut in qua ejus figura erat effigiata ; talem sponsa aut virgines honestissimæ in nuptiis gestabant*) neque cum fibula, neque cum inauribus, neque cum annulo in quo non est sigillum, neque cum acu quæ non est perforata.

Similiter sect. 2. לא יצא האיש בסנדל המסומר ולא ביחיד בזמן שאין ברגלו מכה ולא בתפילין, ולא בקמיע בזמן שאינו מן המומחה ולא בשירון, ולא בקסרא, ולא במגפיים: Non egredietur vir cum calceis ferratis [*qui infrà clavis ferreis sunt muniti*] ne quidem cum uno, tum cum non est in pede ejus plaga: neque cum phylacteriis [*h. e. loris fronti & brachio alligari solitis: quibus textus aliquot Biblici membranæ inscripti includuntur*] neque cum amuleto quod non est ex probatis [*amuletum probatum est quod sanavit tres homines*] neque cum lorica (*h. e. veste facta ex parvis annulis ferreis*) neque cum galea, neque cum tibialibus ferreis.

Similia habet Misna sect. 3. לא תצא אשה במחט הנקובה, ולא בטבעת שיש עליה חותם ולא בבוליאר ולא בכובלת ולא בצלוחית של פלייטון וכו Non exibit mulier, (*scil. è domo*) cum acu perforata, neque cum annulo in quo est sigillum, neque cum peplo muliebri, neque cum globo balsami (*argenteo vel aureo cui balsamum inditur*) neque cum vasculo balsami.

Etiam sect. 4. לא יצא האיש לא בסייף, ולא בקשת, ולא בתריס, ולא באלה, ולא ברומח. וכו': Non egredietur vir (*die Sabbathi*) cum gladio, neque cum arcu; neque cum clypeo, neque cum baculo, neque cum hasta, &c.

Similia occurrunt sect. 5. יוצאת אשה בחוטי שער בין משלה בין משל חבירתה בין משל בהמה, ובטוטפת, ובסנבוטין בזמן שהן תפורין. בכבול, ובפאה נכרית לחצר, במוך שבאזנה, ובמוך שבסנדלה, ובמוך שהתקינה לנדתה. בפלפל ובגרגיר מלח ובכל דבר שתתן לתוך ביה

Egre-

Egreditur mulier cum filis capilli ſive ſuis, ſive ſociæ ſuæ, ſive beſtiæ; & cum totaphoth, & cum monilibus tum cùm ſunt aſſuta; cum cabul, & cum coma aliena in atrium; cum molli quod eſt in aure ejus (*ad exſorbendum humorem aurium*) & cum molli (*lana*) quæ eſt in calceo ejus (*ne pedem lædat*) & cum molli, quod præparat pro ſeparatione ſua (*tempore menſtruorum*; cum pipere aut cum grano ſalis, & omni re quæ ori ejus inditur.

Denique ſimilia inveniuntur ſectione 8. הקיטע יוצא בקב שלו דברי רבי מאיר ורבי יוסי אוסר *Mutilus* (vel abſciſſus pede) *egreditur cum fulcro ſuo ligneo* (vel cum calceo ſive pede ſuo ligneo) *ſecundùm ſententiam Ribbi Meir; ſed Ribbi Joſe interdicit:* quæ poſterior ſententia etiam approbatur, uti apparet ex circulo nomini Joſe in Miſna ſupraſcripto, qui indicat illius Rabbini ſententiam approbari.

In capite 7. enumerantur triginta novem capita generalia operum non faciendorum, ad quæ omnia alia opera etiam minutiſſima, quæ in Sabbatho prohibita ſunt, referuntur: ex. gr. primum genus eſt *Serere:* ſub eo comprehenduntur, putare vites, collucare arbores, plantare, propagare vites vel ramos arborum, &c. Ita loquitur Miſna ſectione 2.
אבות מלאכות ארבעים חסר אחת. א. הזורע ב. והחורש ג. הקוצר. ד. והמעמר. ה. הדש. ו. והזורה. ז. הבורר. ח. הטוחן ט. והמרקד. י. והלש. יא. והאופה. יב. הגוזז את הצמר. יג. המלבנו. יד. והמנפצו. טו. והצובעו. יו. והטווה. יז. והמיסך. יח. והעושה שתי בתי נירין. יט. והאורג שני חוטים. כ. והפוצע שני חוטין. כא. הקושר. כב. והמתיר. כג. והתופר שתי תפירות. כר הקורע על מנת לתפור ב תפירות. כה. הצד צבי כו. השוחטו. כז. והמפשיטו כח. המולחו. כט. והמעבד את עורו ל. והמוחקו. לא. והמחתכו. לב הכותב שתי אותיות. לג. והמוחק על מנת לכתוב שתי אותיות. לד. הבונה. לה. והסותר. לו. המכבה. לז. והמבעיר. לח. המכה בפטיש. לט. המוציא מרשות לרשות הרי אלו אבות מלאכות. מ. חסר אחת.

Patres operum (h. e. generalia opera die Sabbathi non facienda) *ſunt quadraginta minus uno.* 1. *Qui ſerit* (ſcil. peccat contra præceptum quartum faciendo opus quod die Sabbathi non eſt licitum.) 2. *qui arat.* 3. *qui metit.* 4. *qui manipulos facit.* 5. *qui triturat.* 6. *qui ventilat.* 7. *qui purificat* (frumentum.) 8. *qui molit.* 9. *qui vannit.* 10. *qui depſit.* 11. *qui coquit.* 12. *qui tondet lanam.* 13. *qui dealbat eam.* 14. *qui excutit eam.* 15. *qui colorat eam.* 16. *qui net.* 17. *qui orditur telam.* 18. *qui facit duo licia.* 19. *qui texit duo fila.* 20. *qui findit duo fila.* 21. *qui ligat.* 22. *qui ſolvit.* 23. *qui conſuit duas ſuturas.* 24. *qui lacerat eo fine ut conſuat duas ſuturas.* 25. *qui venatur capream.* 26. *qui mactat eam.* 27. *qui detrahit ejus cutem.* 28. *qui*

qui salit eam. 29. *qui parat pellem ejus.* 30. *qui abradit eam.* 31. *qui incidit eam.* 32. *qui scribit duas literas.* 33. *qui delet ea conditione ut scribat duas literas.* 34. *qui ædificat.* 35. *qui destruit.* 36. *qui extinguit.* 37. *qui accendit.* 38. *qui percutit malleo.* 39. *qui educit ex una potestate in aliam* (h. e. è loco privato in publicum, & vice versa è loco publico in privatum) *Ecce illi sunt patres operum quadraginta minus uno.*

Sectione 4. docetur Sabbathum profanari si quædam minima proferantur: המוציא תבן כמלא פי פרה ׃ עצה כמלא פי גמל ׃ עמיר כמלא פי טלה ׃ עשבים כמלא פי גדי ׃ עלי שום ועלי בצלים לחים כגרוגרת יבשים כמלא פי גדי Qui effert (*in Sabbatho*) paleam quasi plenum os vaccæ (*h. e. quantum os vacca capit;*) fœnum leguminum quasi plenum os cameli; gramen quantum est plenitudo oris agni; herbas quasi plenum os hœdi; folia allii & folia ceparum viridia ad quantitatem caricæ: arida ad plenitudinem oris hœdi, *reus fit violati Sabbathi.*

DISSERTATIO TRIGESIMA QUINTA,
Quæ est pars tertia

DE

MENSURIS TEMPORUM
V. & N. T.
In specie
De Sabbatho Judaico.

IV. *A capite octavo usque ad finem Tractatûs Misnici de Sabbatho adferuntur varii Textus in Latinam linguam translati, probantes Judæos superstitioso modo Sabbathum observare.*

V. *Maimon in materia de Sabbatho etiam nugatur.*

VI. *Datur liber in folio, vocatus* liber præceptorum magnus, *continens explicationem* 613. *præceptorum, ex quo multa superstitiosa de Sabbatho proferuntur, ut & ex Buxtorfii Synagoga.*

VII. VIII. *Ex his & sequentibus clarè probatur Judæorum Sabbathum consistere in observatione rerum minimarum & ridicularum, & in largiter edendo & bibendo, &c.*

1. *Nam Sabbathum vocatur* עונג deliciæ.
2. *Ter vel quater lautè docent esse comedendum.*
3. *Et cibi delicatissimi pridie Sabbathi sunt emendi & præparandi.*
4. *Diutius ipso Sabbatho dormiunt.*
5. *Et nuptias etiam celebrant.*

Ad-

ADhuc ex Misnâ, libro apud Judæos authentico, pergemus enarrare nugas, quas Judæi diebus Sabbathi secundùm legem oralem observare tenentur.

In Capite 8. docet Misna illum fieri reum violati Sabbathi, qui nonnulla minima gestat vel producit א. המוציא יין כדי מזיגת הכוס. חלב כדי גמיעה. דבש כדי ליתן על הכתית. שמן כדי לסוך אבר קטן. מים כדי לשוף בהם את הקילור. ושאר כל המשקין ברביעית וכל השופכין ברביעית Efferens (*in Sabbatho*) vinum ad mixtionem poculi; lac ad absorbendum (*unicâ vice;*) mel ut imponat illud super compressum vulnus; oleum ad inungendum membrum parvum; aquam ad abluendum cum illis collyrium; (*oculorum pigmentum*) & efferens *quorumcunque reliquorum potuum quartale; & quarumcunque aquarum putrescentium quartale, fit reus violati Sabbathi.* Similiter *Sect.* 2. המוציא חבל כדי לעשות אזן לקופה. גמי כדי לעשות תלאי לנפה ולכברה. Producens funiculum ad faciendum ansam arcæ; juncum ad faciendum ansam suspensoriam subcerniculo aut cribro *Sect.* 3. עור כדי לעשות קמיע. קלף כדי לכתוב עליו פרשה קטנה שבתפלין שהיא שמע ישראל. דוכסוסטוס כדי לכתוב מזוזה. דיו כדי לכתוב שתי אותיות. כחול כדי לכחול עין אחת. *Producens in Sabbatho* pellem ad faciendum amuletum; membranam, ut scribat in ea parvam legis sectionem, quæ in phylacteriis (*solet recondi*) scil. Audi Israël (*Deut.* 6: 4.) pergamenum, ut scribat in eo Mezuzah; atramentum, ad scribendum duas literas; fucum, ad fucandum oculum unum, *fit reus violati Sabbathi.*

In cap. 9. *similia ferè interdicuntur* ה. המוציא עצים כדי לבשל ביצה קלה תבלין כדי לתבל ביצה קלה. 5. Efferens ligna ad coquendum ovum leve; Condimenta ad condiendum ovum leve.

ו. פלפלת כל שהוא. ועטרן כל שהוא. מיני בשמין ומיני מתכות כל שהן 6. *Proferens* piperis quantulumcunque; & resinæ quantulamcunque; species aromatum & species metallorum quantulascunque *fit reus violati Sabbathi.*

In Cap. 10. Sect. 6. Reus violati Sabbathi vocatur, הנוטל צפורניו זו בזו, או בשיניו. וכן שערו. וכן שפמו. וכן זקנו. וכן הגודלת. וכן הכוחלת. וכן הפוקסת Abscindens ungues suos, alterum altero, aut dentibus suis; item capillos suos, mystacem suum, aut barbam suam. Similiter (*rea fit violati Sabbathi*) plicans capillos (*quia talis videtur texere;*) & fucans oculos (*quia videtur pingere*) & discernens capillos (*quia videtur nere.*)

In Cap. 11. Sect. 1. *Misna ait*, הזורק מרשות היחיד לרשות הרבים מרשות

הרבים לרשות היחיד חייב . מרשות היחיד לרשות היחיד ורשות הרבים באמצע , רבי עקיבא מחייב וחכמים פוטרין Projiciens (*in Sabbatho*) è loco privato in locum publicum; aut è loco publico in locum privatum reus est; aut è loco privato in locum privatum, ubi locus publicus in medio est: Ribbi Akibha reum facit, sed Sapientes absolvunt.

Cap. 12. *Sect.* 3. *reus violati Sabbathi peragitur* הכותב שתי אותיות בין בימינו בין בשמאלו חייב Scribens duas literas sive dextrâ suâ, sive sinistrâ suâ reus est. *Sect.* 4. הכותב על בשרו חייב Scribens super carne suâ reus est.

Cap. 13. *Sect.* 6. *habetur*, צבי שנכנס לביתו ונעל אחד בפניו חייב . נעלו שנים פטורין , לא יכול אחד לנעול ונעלו שנים חייבין ורבי שמעון פוטר : Si Caprea ingressa fuerit domum, & unus clauserit januam ante faciem ejus, reus est, si duo clauserint liberi sunt. Si unus non potuit claudere, & clauserunt duo, rei sunt; sed Ribbi Schimeon absolvit.

Cap. 15. *Sect.* 1. אלו קשרים שחייבין עליהן , קשר הגמלין וקשר הספנין . וכשם שהוא חייב על קישורו, כך הוא חייב על היתרו ר מאיר אומר כל קשר שהוא יכול להתירו באחת מידיו אין חייבין עליו : Hi sunt nodi propter quos fiunt rei *violati Sabbathi*; ut nodus camelariorum, & nodus nautarum: & sicuti aliquis reus fit propter horum ligationem, sic etiam reus fit propter solutionem eorundem. Ribbi Meir dicit; quemcunque nodum aliquis potest solvere alterutrâ manu, non fit reus propter eum. *Sect.* 3. מציעין את המטות מלילי שבת לשבת , אבל לא משבת למוצאי שבת : Sternunt lectos à vesperâ Sabbathi pro Sabbatho, sed non à Sabbatho pro exitu Sabbathi.

Cap. 16. *Sect.* 1. *mandat Misna quid ex incendio sit eripiendum*: כל כתבי הקדש מצילין אותן מפני הד ליקה בין שקורין בהן ובין שאין קורין בהן : —— מצילין תיק הספר עם הספר , ותיק התפילין עם התפילין ואף על פי שיש בתוכן מעות Omnes Scripturas sanctas (*quæ sunt Lex & Prophetæ*) quod attinet, eripiunt eas (*sine Sabbathi violatione*) ex incendio, sive legant in iis sive non (*qui sunt libri Hagiographi.*) —— Eripiunt thecam Bibliorum unà cum Bibliis & thecam Thephillin cum ipsis Thephillin, licet in eâ etiam fuerint pecuniæ.

Cap. 18. *Sect.* 3. *habetur*, אין מילדין את הבהמה ביום טוב אבל מסעדין ומילדין את האשה בשבת וקורין לה חכמה ממקום למקום ומחללין עליה את השבת וקושרין את הטיבור : Non extrahunt ex vulva fœtum die festo sed juvant. At obstetricantur mulieri in Sabbatho, & accersunt ei obstetricem de loco in locum, & profanant propter eam Sabbathum, atque ligant umbilicum.

Cap.

Digitized by Google

Cap. 21. *Sect.* 1. *ait Misna*, נוטל אדם את בנו והאבן בידו. וכלכלה והאבן בתוכה: Tollit homo filium suum unà cum lapide in manu ejus, item canistrum & lapidem in eo. *Sect.* 3. בית שמאי אומרים מגביהין מן השלחן עצמות וקליפין ובית הלל אומרים נוטל את הטבלא כולה ומנערה מעבירין מעל השלחן פירורין פחות מכזית ושער של אפונין ושער ערשין מפני שהוא מאכל בהמה. ספוג אם יש לו עור בית אחיזה מקנחין בו ואם לאו אין מקנחין בו: Domus Schammai dicit: tollunt de mensa ossa & cortices: sed domus Hillel dicit, tollunt totam tabulam & excutiunt eam. Removent à mensa micas ad minorem magnitudinem quàm est oliva; & siliquam pisorum, & siliquam lentium, quoniam cibus bestiarum sunt. Spongia si habeat corium quo apprehendi & teneri possit, abstergunt eâ; sin minus non abstergunt eâ.

Cap. 22. *Sect.* 2. *Textus Misna ait:* כל שבא בחמין מערב שבת שורין אותו בחמין בשבת. וכל שלא בא בחמין מערב שבת מדיחין אותו בחמין בשבת חוץ מן המליח הישן ודגים מלוחים קטנים וקוליים האיספנין: שהדחתן זו היא גמר מלאכתן: Quicquid coctum fuit vesperâ Sabbathi in aquis calidis, id macerant iterum in aquis calidis in ipso Sabbatho: quicquid verò non fuit coctum in aquis calidis vesperâ Sabbati, id lavant in aquis calidis in Sabbatho. excepto salsamento vetusto, parvis pisciculis salitis, & colia Hispano: quia lotio horum est perfecta eorum præparatio. *Sect.* 6. לא מתגררין Non scalpunt se *in Sabbatho*, ואין עושין אפיקטוזין Neque faciunt vomitoria. ואין מעצבין את הקטן ואין מחזירין את השבר מי שנפרקה ידו או רגלו לא יטרפם בצונן אבל רוחץ הוא כדרכו ואם נתרפא נתרפא. Non informant infantem (*h. e. non complanant manu membra infantis*) neque restituunt fracturam; sed cui est manus aut pes luxatus, non indet ea aquæ frigidæ, sed lavabit secundùm consuetudinem: & si sanabitur, sanetur.

Cap. 24. *Sect. habetur:* מתירין פקיעי עמיר לפני בהמה ומפספסין את הכיפין אבל לא את הזירין אין מרסקין לא את השחת ולא את החרובין לפני בהמה בין דקה ובין גסה Solvunt fasciculos manipulorum coram bestiâ, & comminuunt summitates (*manipulorum frugis*,) sed non fasciculos graminis colligati. Non discindunt pabulum neque siliquas coram bestiâ, sive in minusculas sive in majusculas partes. *Sect.* 3. אין אובסין את הגמל ולא דורסין אבל מלעיטין. ואין ממרים את העגלין אבל מלעיטין ומהלקטין לתרנגולין ונותנין מים למורסן אבל לא גובלים ואין נותנין מים לפני דבורים ולפני יונים שבשובך אבל נותנין ולפני אווזין ותרנגולים ולפני יוני הרדיסיות Non saginant camelum, neque infigunt (*cibum gutturi*) sed manu gustandum offerunt, neque infundunt lac vitulis, sed spontè gustandum offerunt; ingerunt etiam bolos gallinis, & injiciunt aquam in furfures,

 sed

sed non miscent pabulum, neque ponunt aquam coram apibus, & coram columbis, quæ sunt in columbario; sed ponunt coram anseribus, gallinis, & coram columbis domesticis.

IV. Cogitaveram plura exempla ex tractatu Misnico de Sabbatho in medium proferre, sed Typographus copiâ literarum Hebraicarum destituitur; ideo cogor hîc abrumpere. Ex his tamen allatis exemplis benevolus Lector abundè & clarè percipiet, quod Judæi tantùm futiles, nugatorias, absurdas & inutiles quæstiones de Sabbatho moveant; & quod putent talibus nugatoriis operibus præstandis se Sabbathum secundùm Legem Divinam optimè celebrare. Hæc ergo exempla ex Misnâ allata sufficiant. Jam porro ad celeberrimum Maimonidem descendamus, & ex eo etiam, ut & ex *libro Præceptorum magno* quædam de Sabbatho proferamus.

V. Maimonides, omnium nugatorum in materiâ de Sabbatho ferè coryphæus, hîc vehementer ineptit; fuit tamen Vir doctissimus, & inter Judæos atque Christianos celeberrimus, quique aliàs nugarum osor est, sed in hâc materiâ earum amator est vocandus. De Maimonide propter insignes ipsius virtutes tale fecerunt adagium, uti videre est in præfatione libri *Thisbi* Eliæ Levitæ, ממשה עד משה לא קם כמשה *A Mose*, scil. Propheta, *usque ad Mosen*, scil. hunc Maimonidem, *non surrexit sicut hic Moses.* Et Cunæus de eo refert, quod ille primus fuerit inter Judæos qui docuerit & sciverit quid sit non ineptire. In hac tamen materia ei hic titulus non competit. Centenis exemplis ex ipsius tractatu הלכות שבת possem hoc probare, sed illis omissis unum vel alterum exemplum jam tantùm in medium proferam. Capite 25. Sect. 16. dicit: בהמה שנפלה לבור או לאמת המים וכו' *Cum bestia inciderit in puteum aut fossam aquarum*, si ei ibi cibus dari possit, sustentant eam ibi cibo usque ad exitum Sabbathi: sed si non, apportant stramenta & pulvinaria, atque ponunt sub ea, si ascendere possit, ascendat.

Capite 6. Sectione 2. subtiliter, uti sæpe hîc solet, distinguit: כותי שעשה מלאכה וכו' *Cuthæus*, h. e. gentilis, *si fecerit opus aliquod*, vel paraverit aliquid in Sabbatho ex se ipso, si illud propter Israelitam fecerit, eo non licet uti Israelita: verùm si paraverit tantùm pro se, tum Israelita uti eo potest ipso Sabbatho. *Plura vide in ipso Maimonide.*

VI. In ספר מצות גדול *libro Præceptorum magno*, præcepto סה 65. varia, etiam nugatoria, ibi traduntur præcepta, quæ brevitatis causâ tantùm latinè tradam. 1. Non ambulandum est super herbâ, ne pedibus eam evellas. 2. Non est conscendenda arbor, aut aliquid suspendendum

dum in ea, ne fortè ramum aliquem frangas. 3. Poma Sabbatho decerpta comedi non debent, præſertim ſi circa caudam pomi aut pyri aliquid arboris remanſerit. 4. Nemo veſtibus indutus aquam ingredi audet, ne fortè veſtes madidas poſtea extergat. 5. Veſtis vino aut oleo madefacta exprimi non debet. 6. Sinapi die Sabbathi non eſt commiſcendum aquâ aut vino. 7. Pomum ad ignem non eſt ponendum ut aſſetur. 8. Pulicem humi ſedentem, vel extrinſecus in veſtibus diſcurrentem capere non licet: ſi verò mordeat capi poteſt ſed non occidi: ſed pediculus ex ſententia aliorum occidi poteſt, quia ex ſudore, & non ex ovis, uti pulices excudi dicuntur. Vide accerrimam de pediculo diſputationem in *Synagoga Buxtorfii cap.* 16. Nam R. Elieſer dicit, ההורג כינה בשבת כאילו הורג גמל *Qui Sabbatho pediculum occidit idem facit ac ſi camelum interficeret.* 9. Reptilia, quæ mordent & interficiunt, ut muſcæ, crabrones, ſcorpiones, ſerpentes & canes furioſi Sabbatho occidi poſſunt, præſertim ſi ferantur in hominem: ſed ſi quietè ſedeant aut hominem fugiant illicitum eſt. 10. Cibus dari poteſt gentili & cani, ſed non porco. 11. Duo equi vel duo aſini vincti ſimul emitti nequeunt, ne funiculum geſtare videantur. 12. Non licet percutere tabulam, aut ludere nuce, vel tinnire nola ut vel infantem à fletu compeſcas. 13. Non licet numerare. Sexcenta ſimilia exempla ex hoc Præceptorum libro proferre poſſem niſi crederem modò allata ferè nauſeam parere.

Buxtorfius in Synagoga capite 16. innumera ferè exempla ſimilia ex ſcriptis Judæorum profert: Ex. gr. Emplaſtrum vulneri impoſitum geſtare licet; ſi verò cadat, tollere non licet, nec de novo vulnus obligare. Lutum calceorum ad murum vel parietem abradi poteſt, non ad terram, ne foveam implere videaris. Cætera vide ibidem.

VII. Ex his antecedentibus, quæ ex Miſna, Maimonide, & libro Præceptorum, aliiſque protuli; *Primò* clariſſimè apparet Judæorum Sabbathum præcipuè conſiſtere in obſervatione rerum tantùm minimarum & ridicularum nugarum; non verò in pietate, neque in cultu Divino & bonis operibus exercendis. Hæc aſſertio ex ſequentibus adhuc manifeſtior fiet.

VIII. *Secundò.* Ex his apparet, quòd Judæi non tantùm vero cultui & bonis operibus Sabbatho operam non dent; ſed è contrà apparet quòd genio indulgeant, edant, bibant, hilaritati ſtudeant; imo die Veneris præcedente multa præparant, quæ in Sabbathum uſque conſervant, ut majori gaudio Sabbathum celebrare poſſent.

Hinc 1. Sabbathum ab ipſis vocatur עונג *delitiæ*; quia Sabbatho deli-

Digitized by Google

tiis implentur: ideo edunt, bibunt, cutem curant; ſed omnia eo animo ut Sabbatho meritum honorem offerant.

2. In Talmude Tract. שבת fol. 117. diſputant Rabbini quoties edendum ſit ipſo Sabbatho, תנו רבנן כמה סעודות חייב אדם לאכול בשבת ג׳ רבי חידקא ד׳ וכו׳. Brevitatis cauſâ vide ipſum Textum, vel Cl. Hulſium in *Theol. Judaica pag.* 239. ubi hic Textus latinè translatus eſt. Tradunt Rabbini ter prandendum eſſe, ſed R. Chiddaka eſt liberalior, & quater edendum eſſe mandat. Uterque probat ſententiam ſuam ex *Exod.* 16: 26. ubi ter habetur *hodie*; ergo ter edendum: *Dixit Moſes, comedite illud* hodie: *nam Sabbathum* hodie *Domino eſt*, hodie *non invenietis ullum cibum in agro.* Qui quater vult comedendum eſſe, ait cœnam veſpertinam hîc excipi. Promittitur ter (vel quater) ita largiter edenti triplex benedictio, h. e. liberabitur à tribus pœnis; à doloribus Meſſiæ, à judicio inferni, & à bello Gog & Magog. Adferuntur ſimul in loco citato Talmudico Textus S. Scripturæ, ex quibus hæ benedictiones probantur. Quàm jucundum igitur debet eſſe Sabbathum helluonibus illis, capacem ſtomachum & plenipotentem ventrem habentibus!

3. Ut lautiùs convivia illa celebrare poſſent, ſolent generoſum vinum, præſtantiſſimas carnes, gallinas, lautiſſimos piſces, alioſque cibos ſibi ante Sabbathum comparare; vel ſi habeant, uſque ad Sabbathum ſibi ſervare. Imo ſi aliquis hoc faciat, & lautiſſimos cibos in honorem Sabbathi, etiam cariſſimo pretio, ſibi emat, ingentes compararet ſibi opes. Buxtorfius *in Synag. cap.* 15. duo exempla ex Talm. Tractatu שבת *fol.* 119. *col.* 1. adfert, quorum prior fuit lanio, qui quando ei in manus incideret pecus altile & ſaginatum, illud uſque in Sabbathum reſervavit, ut bonis carnibus Sabbathum celebraret & cohoneſtaret. Hinc tantas congeſſit divitias, ut aliquis eum domi comediſſe viderit ex menſa aurea, ſedecim hominum onere, de quâ pendebant ſedecim catenæ argenteæ; Menſa illa onuſta erat meris argenteis vaſis, puta ſcutellis, cochlearibus, &c. Poſterior, Joſephus nomine, ſemper præſtantiſſimos & cariſſimos piſces ſibi emebat, ut lautè & opiparè ipſo Sabbatho vivere poſſet. Tandem piſcis die Veneris venalis proſtabat, ſed omnes pretii amplitudo deterrebat. Hic Joſephus eum videns emit, & invenit in ejus ventre ſpiram pilei ornatam & plenam pretioſiſſimis gemmis, quæ integri regni pretium æquare credita eſt. Quis Judæorum non facile, excitatus talibus exemplis, quævis erogaret, ut lautiſſimos cibos in honorem Sabbathi ſibi coëmeret? ut majori gaudio ex cibo & potu fruerentur, ſolent diutiùs quàm aliis diebus aſſidere menſæ quæ per totum Sabbathum manet ſtrata.

4. Ipſo

Digitized by Google

4. Ipso Sabbatho diutiùs dormiunt quàm profestis diebus; & ut majori gaudio afficerentur, statuerunt ut singuli mariti hac nocte plus quàm cæteris noctibus uxorum suarum arva consererent; utque se viros magis præstarent, alliis ante Sabbathum vesci solent. Hinc qui hac nocte concipiuntur, sæpe in præclaram adolescunt indolem, & in Sapientum discipulos evadunt. *Vide Cap.* 15. *Synagogæ Buxtorfii.*

5. Judæi nuptias suas ipso Sabbatho sæpissime celebrant: nam sic sponsus & sponsa, cæterique amici animum relaxare, & se jucunditati dare possunt. In Talmude Tractatu *de Sabbatho fol.* 118. citante Buxtorfio in Synag. cap. 15. habetur: כל המענג וכו׳. *Si quis Sabbatho animum suum relaxet, & se jucunditati det, Sabbathumque cum voluptate & lætitiâ transigat, à Deo illi hæreditas sine termino datur*, uti scribitur *Jes.* 58: 14. *Tunc* (nempe quando Sabbatho te oblectabis, deliciasque tuas vocabis) *delectaberis in Domino, & tollam te super altitudines terræ, & cibabo te hæreditate Jacob patris tui;* de quâ meminit Moses *Gen.* 28: 14. *Dilataberis ad Orientem & Occidentem, & Septentrionem & Meridiem. Qui frontem Sabbatho exporrigit, & genio indulget, regnorum servitute liberabitur*, sicut scribitur: *Tollam te super altitudines terræ.* Item: *Mentientur inimici tibi, & super excelsa eorum calcabis.* Rabbi Juda dixit, Rabh dixisse, *Qui hilariter Sabbathum transigit, petitiones cordis sui à Deo consequitur.* Hinc Antonius Margarita apud Buxt. loco cit. scribit Talmudistas statuere singulis hominibus ipso Sabbatho animam Sabbathinam infundi, quæ finito Sabbatho iterum exit, quæque causa est tantæ lætitiæ, quantam Judæi eo die sæpe percipiunt.

DISSERTATIO TRIGESIMA SEXTA,

Quæ est pars quarta

DE

MENSURIS TEMPORUM V. & N. T.

In specie adhuc

De Sabbatho Judaico.

VI. *Induunt vestes Sabbathicas.*
VII. *Variæ deliciæ Sabbathicæ enumerantur.*
VIII. *Omnis tristitia est prohibita.*
IX. *Etsi aliquis omnibus diebus lauta convivia celebraret, ipso Sabbatho debent*

debent celebrari lautiora.

IX. *Christiani ergo strictam Sabbathi Christiani observationem urgentes, non sunt Judaismi accusandi.*

X. *Opera necessitatis, quæ non patiuntur dilationem sine magno detrimento, ipso Sabbatho exerceri possunt. Sed Judæi in talibus operibus determinandis valde hallucinantur.*

2. *Contra opera charitatis, quæ licita sunt Sabbatho, peccant Judæi, quando bestiam vel hominem ex fossâ vel publicâ latrinâ non audent extrahere. &c.*

3. *Opera intrinseca pietatis sunt exercenda.*

4. *Etiam opera civilis honestatis.*

XI. *Veri judaizantes, qui Judæos imitantur, sunt multi & diversi generis.*

XII. *Ostenditur quo tempore Judæi Sabbathum inchoaverint.*

VErsamur in enarratione deliciarum, quibus Judæi ipso Sabbatho fruuntur; earum quinque enumeravimus, sequuntur jam reliquæ enumerandæ.

6. Judæi diebus Sabbathi utuntur vestibus præstantissimis Sabbathinis, quas tantùm tum induunt, & non aliis diebus: Sabbathum enim vocant מלכה *Reginam*; atqui non decet Reginam invisere nisi regiis & præstantissimis vestibus.

7. Ipso Sabbatho non licet sonum edere in instrumentis musicis, imo non licet eadem ita tangere ut cantilenam referant: sed quum nuptiæ Sabbatho celebrantur, licet Christianum rogare, ut testudine vel aliis instrumentis ludat. *Vide Cap.* 15. *Synagogæ Buxtorfii.* Ut uno quasi schemate omnes deliciæ Sabbatho exercendæ conspici possint, breviter regulas Sabbathinas ex Synagoga excerpam, in qua multæ aliæ regulæ de Sabbatho breviter conspiciuntur collectæ ex ספר חיראה *libello timoris*, & quidem rythmis Germanicis:

Esto bono animo, teque divitem esse existimato.
Pretiosis vestibus & elegantibus pannis induitor.
Optima quæque ad Sabbathi celebrationem emito.
Carnes, pisces & vinum generosum appone.
Egregiè mensa instruatur.
Vinum ad consecrationem auro contra carum ne putato.
Esto bono animo, & omnibus quæ ad corporis delectationem faciunt utitor.
Omnem mœrorem & tristitiam procul amove.
Quàm præstantissima poteris emito.
Cum uxore tuâ & filiis tuis lætare.
Tribus epulis mensam instrue,

Nec

Digitized by Google

Nec, nisi quæ ad hilaritatem faciant, loquere.
Ex libello benedictionum adhuc hæc sequentia annotantur.
Vestibus lætitiam & hilaritatem designantibus induitor.
Omnigenis indulge voluptatibus,
Piscibus, capis & coturnicibus
Varias conquire delicias,
Gallinas altiles, multasque cupedias,
Vinum aromatiten parvi ne facito.
Præstantissimum vinum, carnes & pisces compara, &c.

8. Imo in Sabbatho ita hilares esse debent, ut omnis tristitia & imploratio misericordiæ Divinæ, etiam temporibus adversis, planè à Rabbinis interdicantur. Testimonium ejus rei clarum inveni in *Maimon. Tract.* הלכות שבת Cap. 30. Sect. 12. אסור להתענות ולזעוק ולהתחנן ולבקש רחמים בשבת ואפילו בצרה וכו' *prohibitum est se affligere, clamare, deprecari & petere misericordias in Sabbatho, etiam in angustiâ*, &c. Si cœtus Ecclesiasticus propter plagas & afflictiones quasdam se affligeret, non tamen liceret se affligere propter tales afflictiones ipso Sabbatho; nisi quando gentiles aut fluvius circumcingunt urbem, aut quando navis in mari naufragio proxima est, tum licet Sabbatho deprecari, & petere misericordias pro illis. Ex his videmus quàm piè & devotè Judæi Sabbathum transigant. Seriùs dormiunt, & diutiùs tribus vicibus mensæ accumbunt quàm aliis diebus; adeo ut sæpe crapula crapulam excipiat. Imo illud præceptum de tribus & quidem lautis conviviis Sabbatho celebrandis nemo audet intermittere, si vel ex eleemosyna viveret. Maimonides הלכות שבת Cap. 30. Sect. 2. ait: חייב אדם לאכול שלש סעודות בשבת — ואפילו עני המתפרנס מן הצדקה סועד ג' סעודות *Homo tenetur comedere tria convivia in Sabbatho — Etiam pauper qui sustentatur ex eleemosyna celebrat tria convivia.* Et. Sect. 10. dicitur, quod Judæus in tertio convivio, instituendo post preces peractas, יאכל וישתה עד מוצאי שבת *edat & bibat usque ad exitum Sabbathi.*

9. Præterea si aliquis delicatulus & Crœso ditior singulis diebus lautissima convivia celebraret, ille tamen in honorem Sabbathi jam lautiora convivia celebrare teneretur, uti *Sect.* 8. habetur.

IX. Hæc est Judæorum pietas Sabbathica apud multos ita celebrata. Hic est cultus ille severus, quem multi harum rerum imperiti sine causâ admirantur. An hoc est Sabbathum celebrare? An jam Reformati, strictam Sabbathi secundùm legem Dei observationem urgentes, adhuc nonnullis videri possent judaizare? An non potius illi, qui largiùs edunt,

 bibunt,

Digitized by Google

bibunt, diutiùs dormiunt, nuptias & convivia celebrant Judaismi sint accusandi? Nemo sine ratione dubitare potest. Sed hanc assertionem adhuc multò clariorem reddemus, si breviter enarremus opera ipso Sabbatho secundùm legem Dei licita.

X. Opera ipso Sabbatho sine ejus violatione licita, possunt ad hæc quatuor capita referri: scil. ad opera *necessitatis*, ad opera *charitatis*, ad opera *pietatis*, & denique ad opera *civilis honestatis*.

Primò sunt opera *necessitatis*, quæ non patiuntur dilationem sine magno detrimento, vel aliquando sine irreparabili damno, &c. Hebræi in operibus necessitatis assignandis magis scrupulosi sunt quàm religiosi: illi enim ea opera tantùm vocant necessitatis, in quibus est periculum vitæ, eaque dicunt *pellere Sabbathum*, h. e. licet propter talia opera, quæ sine periculo vitæ differri non possunt, Sabbathum profanare, & ex Sabbatho facere diem profestum: ex. gr. ægrotus periculosè ægrotans potest curari à medico & chirurgo; etiam cætera ad restitutionem sanitatis recuperandam necessaria possunt præparari. Hinc Judæi fecerunt talem regulam ספק נפשות דוחה את השבת *dubium vitæ pellit Sabbathum.* Latini dicunt *Necessitas non habet ferias.* Etiam Misna Tract. שבת *Cap.* 18. permittit profanationem Sabbathi propter mulierem parientem: licet accersere obstetricem, eamque juvare, licet abscindere & ligare infantis umbilicum, &c.

Maimon *cap.* 2. multa enumerat propter quæ licet Sabbathum profanare. Propter periculosè ægrotantem; si vel unus medicus diceret non esse periculum, alius verò diceret esse periculum, nihilominus profanant propter eum Sabbathum. Sed quinam operantur circa ægrotum? Non gentiles, non parvuli, non servi, neque mulieres; sed magnates & sapientes in Israële, ne Sabbathum videatur res parvi momenti. Verùm si Judæus non sit æger ad mortem, tum non licet eum juvare nisi per gentilem vel Christianum.

Præterea si domus alicujus comburatur, non licet eam extinguere Sabbatho; sed licet extrahere pueros, libros Sacros & cibum Sabbathicum, ut convivia sua celebrare possint. Verùm reliqua bona, in quibus non est periculum vitæ, in mediis flammis relinquunt, & Vulcano tradunt, nec Christianis dant veniam ignem extinguendi. Ante paucissimos annos Amstelædami domus Judæi incensa erat, cujus januas, à Judæis clausas, vi effregerunt Christiani, ne etiam Christianorum ædes incenderentur.

Etiam antiqui Judæi non audebant se contra hostium insultûs Sabbatho

tho defendere. Hinc in Misna prohibetur gestare gladium, hastam, &c. Sed Judæi desides sedebant, & non resistebant hosti urbem invadenti, eamque vastanti. Nam execrabilis opinio omnes tenebat, malis auspiciis, & irato Numine geri, quæ tali die pro se quisque, aut pro republicâ tentaret. Hinc cum hæc opinio hostibus nota esset, sæpe ipso Sabbatho Judæos aggressi sunt. Hierosolyma olim capta est à Ptolomæo Lagi filio, quia cives cunctos, Sabbathorum observatio, defensione urbis prohibebat. Verùm postea facti sunt prudentiores per Mathathiam Hassamonæum, fortissimum Judæorum Imperatorem, qui hoc errore populares suos liberàvit, eisque persuasit, non esse legi Divinæ contrarium se contrà hostem defendere. Verum postea iterum talis sinistra opinio eos invasit; propterea Pompejus postea iterum Urbe potitus est: nam die Sabbathi arietes muris admovit, portas confregit, & Judæos oscitantes, & in Templo sacrificantes ad aras stravit, sine ulla armorum repercussione, inquit *Joseph. Antiq. lib.* 14. *cap.* 8. & de Antiocho vide *lib.* 12. *cap.* 8. Tandem iterum sunt facti aliquo modo sapientiores. Maimon *cap.* 2. *Sect.* 23. cum distinctione defensionem contra hostes ipso Sabbatho permittit. Cum hostes veniunt ad occidendum, aut cum disponunt aciem, vel cum urbem obsident clanculum, licet exire contra eos cum armis, & propterea profanare Sabbathum: nam illi præsumuntur velle occidere. Sed si tantùm lis sit oborta propter pecuniam, &c. tum non licet Sabbatho pugnare cum gentilibus: כותיים שצרו על עיירות ישראל אסבאו על עסקי ממון אין מחללין עליהן אתהשבת ואין עושין עמהן מלחמה Præterea si Israelitæ velint obsidere urbem paganorum, illa obsidio incipienda est triduò antè, & tum deinceps ipso Sabbatho licet eam oppugnare: sic dicit Maimon צרין על עיירות הכותים שלשה ימים קודם לשבת ועושין עמהן מלחמה בכל יום ויום ואפילו בשבת עד שכובשין אותה׃

Secundò. Succedunt opera *charitatis*, quæ Sabbatho licita sunt. Hìc iterum Judæi distinguunt, si sit periculum vitæ, tum licet profanare Sabbathum. Maimon *Cap.* 2. *Sect.* 24. permittit opera charitatis exercere: scil. Si gentiles, si serpens aut ursus Israelitam persequantur ad occidendum, tum aliis licet eum defendere & juvare: sed si non sit vitæ periculum, tum non licet opera charitatis exercere. Hinc *Luc.* 13: 13, 14, 15. *Cum Christus sanaret fœminam incurvam*, tum præfecto Synagogæ hoc ægrè ferenti respondit, & dixit: *Hypocryta, Unusquisque vestrum Sabbatho nonne solvit bovem suum aut asinum à præsepi, & abducit aquatum?* Hìc Christus exemplo suo docuit opera charitatis esse Sabbatho exercenda. Sed Judæi in omittendis operibus charitatis nimis crudeles sunt.

 1. Vac-

1. Vaccam vel capram mulgere non audent, sed petunt à Christiano ut eam mulgeat.

2. Si bestia in foveam inciderit, non audent eam extrahere; sed cibum ei dant, donec Sabbathum est finitum. Verùm temporibus Christi hoc non fuit illicitum. *Matt.* 12: 11. dicit Christus: *Qui est ex vobis homo, qui habeat ovem unam, & si Sabbatho ceciderit in foveam, non apprehendat & extrahat eam?* Postea novitii Judæi vel in odium Novi T. vel in odium religionis Christianæ hanc novam legem fabricârunt: sed ab initio non fuit sic. Nam in Misna nulla fit mentio talis legis de bestiâ in foveam lapsâ non ex eá ipso Sabbatho extrahendâ. Deinde Pharisæi & Judæi procul dubio Christo contradixissent, si aliquid contra leges statuisset & asseruisset.

3. Imo si vel homo in latrinam, vel foricam (detur venia verbis) incideret, nollent eum extrahere Judæi, vel ipse etiam nollet inde extrahi. Quum Judæus Anno 1273. Magdeburgi incidisset in cloacam, recusabant eum Sabbatho extrahere Judæi. Interea res defertur ad illius urbis Episcopum, qui talem legem tulisse dicitur: *Si Judæi tanti faciunt suum Sabbathum, ut dubitent hominem suæ religionis ex cloaca extrahere; Ergo nos quoque Christiani nostrum Sabbathum tanti faciemus.* Mandavit itaque sub pœna capitis *ne die Dominico etiam extraheretur.* Sed adhuc magis miror quod Teucksburgi Anno 1220. accidit. Cum enim Judæus in foricam sive publicam latrinam delapsus esset, ipsemet extrahi noluit. Cum Richardus de Clara Comes Gloverniæ id cognovisset, extractionem prohibuit die sequenti Dominico. Interea temporis superstitiosulus homuncio frigore & fœtore in medio aromatum extinctus est. *Vide Ranulphum lib. 7. cap. 37. in Polychronico, & Thummium de festis.*

4. Peccant Judæi contra charitatem, quando interdicunt Sabbatho restituere fracturam manûs aut pedis: uti apparet in *Misna Tract.* שבת *cap.* 22. *Sect.* 6.

5. Etiam peccant contra charitatem quando nolunt Christianam vel gentilem juvare in pariendo: Maimon *Cap.* 2. *Sect.* 12. ait: אין מילדין את הגויות בשבת *Non obstetricantor pagana in Sabbatho.*

Tertiò. Opera *pietatis* intrinsecæ vix ulla exercent Judæi; Synagogam tantùm ingrediuntur, ordinariam sectionem legis publicè legunt, & preces ordinarias more solito deblaterant, reliquum tempus confabulationibus, ambulationibus & commessationibus ferè terunt.

Quartò. Opera *civilis honestatis* aliquando non observant Judæi; scil. cum pediculum in vestibus discurrentem occidere, & tibialium vel pallii lutum

lutum jam modò exsiccatum unguibus à vestibus removere non audeant. Ex his omnibus apparet quàm verè Christus de Judæis prædixerit *Matt. 23: 24. Væ vobis duces cæci, qui percolatis culicem & camelum absorbetis.*

XI. His ita præmissis *quæritur*; Utrum Christiani Reformati vel alii strictam & accuratam Sabbathi Christiani observationem urgentes judaismi accusari possint; An verò illi potius judaizare & judaismum introducere videantur, qui sunt laxi casuistæ, qui dormiendo, edendo & bibendo Sabbathum transigunt, & qui nugatorias tantùm quæstiones magis ad illaqueandos alios quam ad semetipsos informandos, continuò movent?

Resp. Neg. prius, aff. post. Ipsa hæc assertio ex antecedentibus ipsa luce clarior est. Illi enim non sunt accusandi judaismi qui non imitantur Judæos; sed illi qui ipsorum vestigiis insistunt. Nam 1. Quis inter pios Christianos Reformatos aliosve unquam movit tales quæstiones? An sartor egredi audeat cum acu vestibus inhærente? Quali materia lux Sabbathina sit accendenda? An camelus cum capistro; camelus cum annulo narium; asinus cum tintinnabulo; gallina cum particulâ panni pedi alligatâ; oves cum herbâ in naribus; mulier cum filis laneis vel lineis, vel cum loris quæ sunt in capite, vel cum monilibus, vel cum inauribus, vel cum annulo egredi audeant? Quis unquam quæsivit; An vir audeat exire cum calceis, qui infrà clavis ferreis sunt muniti, cum reformatæ matronæ Londini (ubi Sabbathum in multis strictiùs observatur quàm alibi) ad vitandas lutosas plateas utantur grallis ferreis quibus tamen nunquam propterea lis mota fuit. Quis Christianorum unquam quæsivit; An vir Sabbatho cum phylacteriis, cum amuleto, cum lorica, cum galea, cum gladio, cum baculo, aut cum hasta, aut mutilus cum fulcro suo ligneo exire audeat; Quis unquàm denegavit mulieri in Sabbatho acum transforatam, annulum sigillatum, peplum muliebre, &c.? Quis unquam dixit eum fore reum violati Sabbathi, qui Sabbatho effert paululum straminis, fœni, graminis, vini ad mixtionem poculi, mellis ut imponatur super compressum vulnus, &c.? Quis interdixit vel abscindere ungues dentibus, vel scribere duas literas, vel scribere super carne suâ? Quis prohibuit sternere lectum? Quis vetuit extrahere hominem vel bestiam ex puteo; aut bona ex incendio? Aut quis somniavit non licere hosti resistere? Quis docuit Sabbatho pecuniam non esse attingendam, vel in crumena gerendam, vel non esse ambulandum super herbâ, non esse suspendendum aliquid in arbore, poma Sabbatho decerpta non esse comedenda, vel ad ignem assanda, pediculos esse vel non esse occi-

Digitized by Google

dendos &c.? Ex his tamen elicio ſequelam: Ergo Chriſtiani Reformati non poſſunt accuſari Judaiſmi, quia Judæos in his non imitantur.

2. E contrà illi potius Judaiſmum introducunt, qui diebus Sabbathi diutiùs dormiunt quàm aliis diebus, qui lautiora convivia tum celebrant quàm aliis diebus, qui diutiùs menſæ accumbunt, qui genio indulgent, qui cutem curant, qui generoſum vinum largiter bibunt, qui nuptias celebrant & frequentant. Item illi judaizant, qui vix ullam curam animæ ſuæ gerunt, qui more ſolito tantùm ex conſuetudine ſine ulla vitæ emendatione templum ingrediuntur, qui chartulis ludunt, qui ſe illo die non affligunt & humiliant, qui miſericordias à Deo non efflagitant. In ſumma illi ſunt accuſandi Judaiſmi, qui vix habitâ curâ animæ cutem & corpus curant. Ratio eſt manifeſta: nam ita ſolent Judæi agere.

3. Illi videntur judaizare, & Judaiſmi eſſe accuſandi, qui ſimiles quæſtiones movent quales Judæi continuò movere ſolent: ſcil. An liceat Sabbatho ſternere lectum? An liceat ſinapi, panem album, lac, aliaque minima aliquo caſu emere? An liceat ambulare, hortum intrare, novellas legere, &c.? Miror eos etiam non rogare? An liceat Sabbatho naturæ ſatisfacere, cùm Heſſæi hoc concedere, teſtante Joſepho, noluerint? Illi ergo imitantur Judæos qui etiam talia rogant, & cætera non curant. Si aliquis talia rogaret ex animo ſincero, & ex intentione volendi ſe corrigere, ſi contrarium aliquis doceret, tum poſſent talia concedi. Sed talia ſæpe à nugatoribus rogantur, ut vel jugum Sabbathicum ab humeris removeant, vel ut bonos illaqueent, & ſimul occaſionem capiant cætera dogmata deridendi. Ego eos relegarem ad propriam conſcientiam, eam ſincero animo conſulant: eaque, ſi ſit præjudiciis libera, dictabit, quid in illis minimis ſit agendum, quidve omittendum.

XII. *Ultimò quæritur*; Quando Judæi Sabbathum ſuum incipiant?

Reſp. Die Veneris circa horam ſextam veſpertinam, vel quando ſol occidit, vel, uti in Talmude dicitur, quando gallinæ eunt cubitum. Circa illud tempus ſolent accendere luces Sabbathinas, quæ diſtinguunt Sabbathum à diebus profeſtis. Paulò tamen antè poſt quartam nolunt ullam mercaturam exercere, vel aliquid alicui vendere. Olim circa veſperam in omnibus urbibus Terræ Sanctæ in loco alto ſexies clangebant buccinâ, *referente Maimonide in tract.* חלכות שבת *Cap.* 5. *Sect.* 18, 19. כל מדינות ועיירות של ישראל תוקעין שש תקיעות בערב שבת *In omnibus provinciis & urbibus Iſraelis clangebant ſexies in veſperâ Sabbathi.* תקיעה ראשונה נמנעו העומדים בשרות מלחרוש ומלעדור ומלעשות מלאכה שבשדה *Ad primum tubæ ſonum jubentur ceſſare omnes agricolæ ab aratione, ſarritione*

sarritione, omnique agricultura. Et qui prope urbem laborabant, tenebantur alios exspectare ut simul urbem ingrederentur. Ad secundum sonum נסתלקו התריסין וננעלו החנויות *Subducuntur valvæ & clauduntur officinæ.* Ad tertium sonum סלק המסלקור טמין המטמין והדליקו את הנרות ושוהה כדי לצלות דג קטן או כדי להרביק פת בתנור ותוקע ומריע ותוקע ושובת. *Quisque removet* (scil. ollam, &c. ab igne) *eamque tegit & conservat*, (donec Sabbathum prætererit,) *lucernas accendunt. Morantur donec pisciculi satis assati sint, vel panis in furno agglutinatus. Interim clangitur iterum* quartâ, quintâ & sextâ vice, & sic quisque ab omni opere *cessat.* Primus sonus audiebatur במנחה *tempore oblationis* (h. e. illo tempore quod est inter horam tertiam & vespertinam) & tertius erat קרוב לשקיעת החמה *proximus occasui solis*, quem cæteri tres celerrimè sequebantur. De cæteris cæremoniis aut quæstionibus, circa Sabbathum moveri solitis, consule aut *Cl. Hulsium in Theol. Jud. lib.* 1. *part.* 2. aut alios Theologos.

DISSERTATIO TRIGESIMA SEPTIMA,

Quæ est pars quinta

DE

MENSURIS TEMPORUM

V. & N. T.

In specie

De Noviluniis & Paschate.

I. *Deus videtur mandâsse festum Novilunii.*

II. *Rationes dantur quare Deus hoc festum instituit.*

III. *Judæi hoc festum per biduum celebrant, quia de vera Legis mente dubitant, nescientes an Lex velit tum esse Novilunium, quando Luna parumper recedit à Sole; an vero tum quando Luna conspicitur.*

IV. *Hierosolymitani olim ab apparitione, sed hodierni Judæi à conjunctione Solis & Lunæ Novilunia incipiunt.*

V. *Docetur quomodo tota Terra S. potuerit brevissimo tempore scire Lunam esse visam.*

VI. *Quod Novilunium à conjunctione sit inchoandum magis videtur cum Lege convenire.*

VII. *Docetur quid Judæi olim & jam agant in Novilunio.*

VIII. *Leges cæremoniales ad quinque genera possunt referri; eæque & leges politicæ sunt abolitæ.*

IX. *Tempus abolitionis assignatur.*

I. *Tria*

I. *Tria festa anniversaria enumerantur.*
II. *Vox Paschatis variis modis sumitur.*
III. *Tempus instituti Paschatis, mandati & editi indicatur.*
IV. *Ritus primus Paschatis agit de* fermento *inquirendo.*
V. *Explicatur figura de panibus azymis.*
VI. *Judæi abstinent etiam à cerevisia; sed sæpe utuntur vino rubro.*
VII. *Dubium est quali vino Christus in cœna usus fuerit.*
VIII. *Christus usus est in cœna panibus azymis: sed inde non sequitur nos in cœna etiam talibus panibus uti debere.*

SEquitur alterum festum sæpe in anno recurrens, scil. *Festum Noviluniorum* vel *Neomeniarum*, quod primo quovis die cujuslibet mensis à Judæis celebrari solet.

I. De hoc festo *primò quæritur*; An Deus festum Noviluniorum instituit?

Resp. Non quidem in S. Scriptura expressum datur mandatum, nihilominus non sine ratione, aut veritatis specie ex quibusdam Textibus hoc institutum elicitur: scil. ex Numer. 28: 11. *In initiis mensium offeretis holocaustum Jehovæ, juvencos subrumos binos; & arietem unum, agnos anniculos septenos integros;* & ex cap. 10: 10. *Si quando habebitis epulum, & dies festos & calendas, canetis tubis.* &c. Ezech. 46: 1. *Porta atrii interioris esto clausa sex diebus profestis: die verò Sabbathi aperitor & die Novilunii aperitor.* Vide etiam 2. *Chron.* 2: 4. Ex his verosimiliter concludimus Deum hoc festum mandâsse.

II. *Secundò quæritur:* Ob quas causas Deus festum Novilunii instituit?

Resp. 1. Vel in memoriam creatæ à Deo lucis in principio creationis. 2. Vel ut populus Dei avocaretur ab Ethnicorum superstitionibus & idololatria, qui menses planetis, aliisque signis subjiciebant. 3. Vel ut esset typus renovationis hominis, quæ fit per illuminationem Spiritus S.

III. *Tertiò quæritur.* Quare Judæi Novilunia per biduum celebrent, cùm Deus tantùm unicum diem illi festo assignâsse videatur?

Resp. Buxtorfius *in Synag. cap.* 22. de Novilunio Martii ait: *Postridie etiam eâdem omnino ratione feriantur & Deum colunt; quâ pridie; idque quia dubium & incertum hodie apud eos est, quo die Martii novilunium contingat.* Etiam in cæteris Noviluniis biduum celebrari, apparet ex antiqua & nova Judæorum praxi, 1. *Sam.* 20: 24, 27. *Rex in novilunio sedebat apud cibum. Postridie à novilunio dixit Saul Jonathani, quare non venit filius Jisai tum heri tum hodie ad cibum?* Maimonides vult causam Novilunium continuandi per biduum esse ספק המאורים *dubium de luminaribus.*

Hæc

Hinc *quæritur*; Quid Auctores intelligant per *dubium de luminaribus*?

Resp. Auctores trifariam hoc intelligunt. 1. Quidam volunt Judæos propterea continuare novilunium per biduum, quia certò cognosci non potest, quo die præcisè concurrant sol & luna: nam novilunium secundùm quosdam fit quando est conjunctio solis & lunæ. Sed Maimonides per *dubium de luminaribus* hoc non intelligit: nam ignaræ plebi ignota quidem fuit conjunctio solis & lunæ, non tamen eadem incerta & dubia fuit Astronomis: atqui novilunia constituebantur non à plebe, sed à Viris Sanhedrin.

2. Alii arbitrantur novilunium per biduum celebrari, quia φάσις *apparitio* lunæ propter cœli intemperiem, & objectas nubes, quæ lunæ prospectum prohibent, sæpe dubia fuit. Verùm nec illa ratio probabilis est: nam Maimonides in קדוש החדש *cap.* 5. ait: Si legati emissi ad conspiciendam lunam non veniebant in fine trigesimi à præcedente Neomæniâ diei, nec annunciarent lunam à se esse visam, nihilominus Sanhedrin proclamabat novilunium. Imo si quidam vel ad distantiam itineris quinque dierum habitarent Hierosolymâ, illi tamen non tenebantur exspectare illos emissos legatos.

3. His duabus sententiis rejectis tertia à nobis approbatur, quæ statuit *dubium de luminaribus* à Maimonide intelligi de mente Legis Divinæ: nam Judæi nesciunt utrum Legis mens sit novilunium inchoare à φάσει *apparitione* lunæ; an verò à συνόδῳ *conjunctione* Solis & Lunæ. Luna enim bifariam dici potest nova, vel cùm incipit apparere, & è radiis solaribus eluctari; vel cùm post congressum cum sole incipit vel tantillum ab eo digredi, etsi nondum ab ullo propter radios solares circumstantes conspici possit. Cum Lex, mandans novilunium, præcisè non determinet, an dies primus novilunii sit ille dies, quo luna primùm incipit videri; an verò ille, quo primùm incipit digredi à sole post suam cum eo conjunctionem. Hinc nata est duplex ratio supputandi novilunia, scil. ab *apparitione*, vel à *conjunctione*: ideoque per biduum hoc festum continuârunt, ne alterutro tantùm die festum celebrantes contra Legis mentem agerent. Cum ergo, ex. gr. novilunium Martii per biduum celebretur. incipientes à φάσει lunæ, & à συνόδῳ, etiam dies xv. ejusdem mensis, quo Pascha comedendum est, geminus esse debet. Hinc Judæi, incipientes Pascha celebrare, biduum constituunt sacrum, cum Deus tantùm unicum diem ab initio illi festo assignaverit.

IV. *Quartò quæritur*; Utrum Hierosolymitani novilunia sua supputârint ab *apparitione* Lunæ; an verò ab ejus *conjunctione*?

Digitized by Google

Resp. Olim Hierosolymitani, omnesque ferè veteres terræ Sanctæ incolæ, stante eorum Republicâ, supputârunt sua novilunia *ἀπὸ τῆς φάσεως ab apparitione* lunæ, testibus Maimonide, Misna & Talmude. Sed Judæi, hodie, & à multis seculis, in diuturnâ suâ captivitate & exilio, *ἀπὸ τῆς συνόδε à conjunctione* ejus cum sole novilunia sua supputant: nam in hisce terris non datur talis commoda occasio lunam conspiciendi, eamque jam visam cæteris Judæis notificandi, qualis olim data fuit in terrâ Sanctâ.

V. *Quintò quæritur*; Si Hierosolymitani olim novilunia sua supputârint ab *apparitione*; Quomodo hæc apparitio lunæ per totam terram Sanctam tam citò potuit omnibus significari, ut eodem tempore novilunium celebraretur?

Resp. Olim emittebantur Legati, qui in locis excelsis attendebant ad lunam; & quàm primùm eam conspexissent, indicabant. An non etiam sine legatis novilunia aliquando innotuerint? Imo. Quomodo? Hoc indicat Misna in ראש השנה *Cap.* 2. *Sect.* 6. בראשונה היו משיאין משואות משקלקלו הכותים הת קינו שיהו שלוחין יוצאין *In principio accendebant magnos ignes: sed cum fefellerunt Cuthæi* (h. e. gentiles, etiam accendentes ignes) *ordinârunt ut legati exirent.* Sect. 3. docet Misna ex quali materia illos ignes accenderint, כיצד היו משיאין משואות וכו' *Quomodo accendebant magnos ignes?* Adducebant perticas ex cedro oblongas, & ramos, & ligna oleosa, & stupam lini, &c. & ascendebant ad summitatem montis, & accendebant illis ignem, & faciebant ascendere ignem donec viderent socios suos similiter facere in summitate montis secundi, & sic in summitate montis tertii, &c. Sed in quibus montibus ignes accendebant? Hoc docet Misna *Sect.* 4. ומאין היו משיאין משואות מהר המשחה לסרטבא, ומסרטבא לגרפינא וכו' *Unde accendebant ignes magnos? Ex monte Olivarum usque ad Sartaba; ex Sartabâ usque ad Gerophina; ex Gerophinâ usque ad Choveran; ex Choveran usque ad domum Baltin*, &c. Et tamdiu accendebant ignes donec cæteri ascendissent tectum, ibique facem accendissent.

Postea quia gentiles, accendentes etiam ignes, Judæos fefellerant, emiserunt legatos, eosque variis modis probârunt post invicem, uti *Sect.* 6. docetur. Rogabant primum; Quomodo vidisti lunam? Ante solem aut post solem? Versùs Septentrionem aut versùs Austrum? Quantæ fuit altitudinis? Quò inclinabat? Quanta fuit latitudo ejus, &c.? Deinde probabant alterum testem. Si verba eorum convenirent, testimonium ipsorum erat firmum, &c.

VI. *Sex-*

Digitized by Google

VI. *Sextò quæritur;* Utra sententia magis videatur Legi Divinæ consentanea: An illa quæ ab apparitione lunæ Novilunium inchoat; an vero illa quæ ab ejus cum sole conjunctione?

Resp. Ratio supputandi Novilunia à conjunctione solis & lunæ magis videtur secundùm mentem Legis esse quàm illa ab apparitione desumpta. Hæc quidem popularis & familiaris est, sed incerta; & sæpe impossibilis ob objectas nubes: verùm illa, scil. quæ desumitur à conjunctione solis & lunæ, magis est naturalis, & multò certior ad totam anni rationem constituendam. *Vide Capellum in Epistol. collat. ad Joh. Cloppenburgium.*

VII. *Septimò quæritur;* Quid Judæi hoc festò secundùm legem Dei olim facere tenebantur? Quid olim faciebant; & quid adhuc hodie faciunt?

Resp. 1. Secundùm legem *Numer.* 28: 11, 12, 13, 14, 15. descriptam, varia erant quæ offerre tenebantur: ut, *duo juvenci subrumi*, *aries unus*, *agni septem anniculi*, &c. *Hircus unus pro peccatis in holocaustum sempiternum cum libamentis suis.*

Resp. 2. Judæi veteres hoc festo invicem convivia & compotationes agitabant, & totum diem celebrabant non tam Deo sacrificando, quàm ventri litando.

Resp. 3. Judæi recentiores non totos dies, sed dimidiatos tantùm agunt festos; adeo ut in iis laborare vel otiari permissum sit: sed fœminæ ab omni labore abstinent; quia Novilunio aureas inaures suas ad vitulum aureum conflandum recusàrunt dare. Neomænias, uti cætera festa, hilaritate & conviviis celebrant, lautissimè prandent, regiè & egregiè epulantur, jocos agitant, & omnem lætitiæ occasionem aucupantur: nam omnium auribus insonat hæc vox, *festum agitur*, *ideoque convivia agitentur.* Cæteras cæremonias, à Judæis hoc festo observari solitas, vide in *Synagoga Buxtorfii cap.* 22. Scil. quomodo in horto lunam precibus consecrent, eique benedicant, atque ad lunam exiliant, &c. Ibique etiam ex Talmude, Tract. *Chol. cap.* 3. *pag.* 60. describitur colloquium inter Deum & lunam. Credunt Appellæ lunam ab initio creationis annos 21. fuisse soli æqualem; sed Deum postea ob certas causas imminuisse lunam, &c. Fabula ibidem pleniùs describitur.

VIII. *Octavò quæritur;* An Judæi hòc tempore sub Novo T. teneantur festùm Novilunii, & cætera festa, scil. Paschatis, Pentecostes, Tabernaculorum &c. celebrare; atque cæteras leges cæremoniales & politicas observare?

Resp. Judæi non tenentur hoc tempore leges cæremoniales observare: & quia festa pertinent ad leges cæremoniales, ideo etiam festa hoc tempore ab illis non sunt observanda.

Digitized by Google

Leges cæremoniales quasi ad quinque categorias, sive ad quinque summa genera referri possunt. 1. Ad Personas sacras. 2. Ad Actiones sacras. 3. Ad Res sacras. 4. Ad Loca sacra. Et 5. ad Tempora sacra. *Personarum* tres sunt classes, scil. *Sacerdotis Summi* cæterorumque *Sacerdotum*, & *Levitarum*. *Actiones* sacræ sunt *sacrificare*, *circumcisio* & *Pascha*. *Res* sacræ sunt *primitiæ*, *decimæ* & agri *Levitarum*. *Loca* sacra sunt *tabernaculum* & *templum* cum omnibus suis partibus & supellectili. *Tempora* sacra sunt *novilunia*, *Pascha*, *Pentecoste*, *festum Tabernaculorum*, *annus Sabbathicus*, & *Jubilæus*.

Leges politicæ sunt variæ, ut de Zelotypia, *Num.* 5: 12, 13. de furto, *Exod.* 22: 1. &c. *Quæritur*; An leges politicæ sint abolitæ? *Resp.* Leges politicæ, quatenus fundatæ sunt in communi æquitate, sunt observandæ, non tamen quâ politicæ. Sed quatenus peculiariter illi populo sunt latæ, quatenus illum populum spectant, quatenus in illo loco & tempore sunt observandæ, eatenus sunt abrogatæ.

Leges cæremoniales etiam sunt abolitæ: nam ecclesia sub N. T. ad quascunque gentes erat dilatanda, & ad eam etiam gentiles vocandi: atqui impossibile est ex Europa, India, aliisque locis ascendere Hierosolymam tribus festis, sicuti Deus mandavit *Exod.* 23: 17. Deinde Daniel *cap.* 9. *vers.* 27. prædixit sacrificia esse abolenda tempore adventûs Messiæ: *Mediâ septimanâ abolebit sacrificium & munus.* Ipsi Judæi fatentur se jam non amplius esse obligatos ad offerenda sacrificia; quia Templum est destructum, &c. Vide תשובת יהודה *Cl. Hoornbeckii*, *olim Præceptoris venerandi*, *lib.* 7. *cap.* 11.

IV. De legibus cæremonialibus *quæritur*; Quando eæ sint abolitæ?

Resp. Leges cæremoniales trifariam possunt considerari. 1. ut *vivæ*. 2. ut *mortuæ* aut indifferentes. 3. ut *sepultæ*. 1. Leges cæremoniales erant vivæ, & debebant observari usqué ad mortem Christi; qui eas eo tempore non observabat, peccabat. 2. Ab illo tempore usque ad Templi secundi destructionem, factam per Titum Vespasianum circa annum natalem Christi 70. vel 72. leges cæremoniales erant mortuæ & indifferentes. Tum licitum erat sine peccato eas observare, vel non observare, prout circumstantiæ rerum & personarum id permittebant, vel non permittebant. Paulus Timotheum voluit circumcidi *Act.* 16: 2. *Paulus voluit Timotheum secum proficisci: & assumtum eum circumcidit propter Judæos qui in illis locis erant: sciebant enim omnes patrem ejus Græcum esse*; non verò Titum, *Gal.* 2: 3. *Sed neque Titus, qui mecum erat, quamvis esset Græcus, coactus fuit circumcidi.* 3. Leges cæremoniales post Templi destructionem erant sepultæ, & ab illo tempore non licitum fuit amplius eas observare:

quia

Digitized by Google

quia Judæi tum satis ex Templi, cæterarumque rerum destructione videbant leges cæremoniales esse abolitas: & propterea ab illo tempore & deinceps eæ fuerunt abolitæ.

De tribus Festis Anniversariis.

I. JAm sequuntur tria Festa anniversaria, scil. Paschatis, Pentecostes & Tabernaculorum, quibus omnes viri ex omnibus terræ finibus Hierosolymam tendebant, & coram Deo comparebant. *Exod.* 23: 17. *Tribus vicibus quotannis compareto omnis mas tuus in conspectu Jehovæ.* Sed an omnes & singuli viri comparebant? *Resp.* Misna *cap.* 1. in Tract. חגיגה varios excipit, qui non tenebantur Hierosolymam proficisci: הכל חייבין בראיה חוץ מחרש, שוטה, וקטן, וטומטום, ואנדרוגינוס, ונשים, ועבדים שאינם משוחררים, החיגר, והסומא, והחולה, והזקן, ומי שאינו יכול לעלות ברגליו וכו׳ *Omnes obligati sunt ad apparitionem* (h. e. omnes tenentur tribus vicibus Hierosolymam venire) *exceptis surdo, stulto, parvulo, occluso,* (cujus membrum virile occlusum est in ventre) *androgyno* (qui utriusque sexûs membra habet) *mulieribus, servis, qui non sunt manumissi, claudo, cæco, ægroto & sene, & qui non potest ascendere pedibus suis.*

DE PASCHATE.

II. DE Festo Paschatis primò agemus. Pascha Hebraicè פֶּסַח *transitus, transitio*, descendit à פָּסַח *transivit*, & propriè significat *transitum, transilitionem*, & quasi saltum angeli salientis super ædes Israelitarum, *Exod.* 12: 13. *Erit autem sanguis ille pro vobis in signum super illas domos ubi eritis, ut videns sanguinem illum transeam præter vos: sic non erit in vobis plaga exitialis, quum cædam primogenita in terrâ Ægypti.* 2. Impropriè denotat ipsum *agnum* Paschalem mactatum & comesum, *Exod.* 12: 11. *Ita verò comedite eum, lumbis vestris succinctis, calceamentis vestris ad pedes vestros, & baculo vestro in manu vestra: sed comedetis eum cum festinatione, Pascha est Jehovæ.* 3. Significat ipsum *festum* Paschatis, quo agnus iste comedebatur, 2. *Reg.* 23: 21, 22. *Celebrate Pascha Jehovæ, Deo vestro; prout scriptum est in libro Fœderis. Quamvis non celebratum fuerit par huic Paschati à diebus Judicum,* &c. 4. Sumitur pro *Christo*, cujus agnus Paschalis fuit typus, 1. *Cor.* 5: 7. *Expurgate igitur vetus fermentum, ut sitis nova massa, sicut estis fermenti expertes, Etenim Pascha nostrum, pro nobis sacrificatum est, nempe*

Digitized by Google

Christus. Pascha secundùm quosdam fuit sacrificium & sacramentum, sed diverso respectu: ad illud pertinuit mactatio cum fusione sanguinis; ad hoc verò præparatio, assatio & manducatio cum lactucis & herbis amaris.

III. *Primò quæritur*; Quando Deus Pascha instituerit? & quo die anni & tempore agnus Paschalis fuerit mactandus & comedendus?

Resp. 1. Deus Pascha instituit Anno à creatione Mundi 2447. & à Diluvio 791. Decimâ die mensis primi Nisan, h. e. Martii, Israelitæ tollebant agnum per familias, eumque servabant usque ad decimum quartum diem, *Exod.* 12: 3, 6. Interea docebant filios & domesticos suos, quare agnum lectis alligarent, eumque mactarent, &c.

Resp. 2. Die decimo quarto agnus mactari debebat בין הערבים *inter duas vesperas*, Exod. 12: 6. h. e. à tempore inclinationis solis usque ad occasum ejus, sive ab horâ sextâ Judaicâ, h. e. nostrâ duodecimâ, usque ad horam Judaicam duodecimam: nam à tempore meridiano, quando sol incipit inclinare, etiam incipit vespera una, post occasum solis est vespera altera.

Resp. 3. Die decimâ quintâ, statim post solis occasum, h. e. initio diei 15. (nam dies apud Judæos à solis occasu incipit) agnus Paschalis comedi debuit.

IV. *Secundò quæritur*; Quibus ritibus & cæremoniis festum Paschatis ab Israelitis olim fuit peractum, & quibus hodie à Judæis peragitur?

Resp. Ritus illi sunt diversi, sed præcipuos pòst invicem breviter enumerabimus. *Primus* ritus est circa fermentum, quod ex ædibus fuit removendum secundùm legem *Exod.* 12: 19. datam; *Septem dies vetus fermentum ne reperitor in domibus vestris.* Hinc singuli patresfamilias, addentes ad legem, nocte ante Paschatis pervigilium per totam domum omnes micas panis perquirunt, easque, ut & reliquum fermentum quod inveniunt, sub dio in peculiari igne comburunt. Postea manè pridie Paschatis panes infermentatos, qui belgicè vocari solent *ongeresen* aut *ongesuurde broden*, conficiunt, eosque per integrum octiduum comedunt. Panes illi sunt rotundi, tenues, foraminibus pleni, merâ farinâ & aquâ tantùm constantes, nec saliuntur, neque ullo butyro vel olivo mitigantur. Farina per triduum debet esse molita ut benè refrigescat; aqua vesperi debet hauriri; molæ & cistæ debent purgari, &c.

V. *Explicatio hujus Figuræ, quæ extat pag.* 187.

1. In hâc figurâ conspiciuntur tres viri præparantes panes azymos sive infer-

Digitized by Google

infermentatos, quales omnes Judæi & Judææ per integrum octiduum comedere tenentur. Quando hi panes præparantur? Manè pridie Paschatis. Quomodo hi panes Hebraicè vocantur? מַצָּה, in plur. מַצּוֹת.

2. Ex quâ materiâ hi panes conficiuntur? Utplurimùm ex tritico præstantissimo; confici etiam possent ex hordeo, speltâ, avenâ, &c. Quando triticum debet commoli? Ad minimum tribus diebus antequam panes inde conficiuntur. Quare? Ut benè refrigescere possit, ne fermentationi tam facilè sit obnoxia. Propter eandem causam triticum diligenter debet asservari ne madidum fiat; non etiam aquâ triticum est macerandum. Quando domum vehitur ex molâ, non licet farinam imponere jumento sine ephippio, ne à calore jumenti incalescat.

3. Omnia vasa, quibus vel farina, vel massa subigenda vel subacta imponitur, sunt probe purganda. *Saccus*, si aliis temporibus tritico fuerit repletus, antequam hæc farina Paschalis ei imponatur, est dissuendus, lavandus, & de novo consuendus; *Molæ* utplurimùm de novo cæduntur, & novis vel puris linteolis circumtenduntur; *Cistæ*, quæ farinam jam molitam excipiunt, albis linteis intrinsecus obducuntur, ne ullus alterius farinæ pulvisculus farinæ Paschali immisceatur; etiam *furnus*, in quo hi panes coquuntur, est magno igne accendendus, ut flamma per totom furnum diffundatur, utque per flammam illam omne fermentum, quod fortassè alicubi adhuc hæret, comburatur.

4. Materia, quâ panes azymi depsuntur, est mera aqua, quæ ab illis vocatur *aqua præcepti*. Quales cæremoniæ adhibentur circa hanc aquam? Hæc hauritur vasis purgatis, dubiâ luce à solis occasu, sed ante stellarum ortum & lunæ splendorem. Quomodo domum defertur? Tecta: nam per 24. horas sol eam accedere non debet. Quare? Ne ex calore solis incalescat & fermentetur. Si vesperâ hauritur aqua & manè depsitur farina, quomodo de aquâ illâ dici potest, quod sol per 24. horas eam non accesserit? *Resp.* Aqua hæc utplurimùm hauritur ex puteo, in quo sol, qui in terrâ, & non in puteo, per 12. horas conspicitur: addantur illis duodecim horis aliæ horæ duodecim noctis; ergo per 24. horas sol hanc aquam non accessit. Ipse fons, si fieri possit, etiam est quodammodo purgandus, & quando purgatus est, aquæ inde sunt copiosè exhauriendæ.

5. Subactio fieri solet in loco frigido, qui procul est à fornace, quique nec à sole illustratur, nec à calore fornacis incalescit. In hâc figurâ subactio fit in domo & procul à fornace. Massa continuâ agitatione est tractanda, ne fermentetur. Hinc in hâc figurâ conspiciuntur tres viri, quorum duo continuò massam movent & agitant, & tertius eam, in panes confectam, in fornacem immittit. 6. Pa-

Digitized by Google

6. Panes azymi, quoad figuram, solent esse tenues, rotundi, foraminibus pleni, quae ferro, pectini simili, perforantur. Talia duo instrumenta ferrea, quibus hi panes perforantur, hîc mensæ imposita conspiciuntur. Infrà in corbe illa, quæ corbis יום טוב (*dies festi*) vocatur, multi tales panes, multis foraminibus perforati, jacent. Quare hi panes ita solent esse tenues & foraminibus pleni? Ne fermentationi tam facilè essent obnoxii.

7. An tales panes merâ tantùm aquâ & farinâ constantes, quique nec saliuntur, nec ullo butyro vel olivo mitigantur, non sunt esu insuaves? Sunt maximè insuaves, & insuaves esse debent: nam sunt panes paupertatis & afflictionis. An non divites alios panes delicatiores solent conficere? Quidam solent farinæ addere ova. Ditiores quidam addunt ova & saccharum, imo aliquando ex amygdalis contusis conficiunt. Memini me Amstelædami talem panem à Judæo accepisse, qui erat gratissimi saporis. Sed tales panes delicatiores utplurimùm pro ægrotis & infirmis præparantur. Hæc ad explicationem hujus figuræ dicta sufficiant.

VI. Quia Deus fermentum interdixit; ideo abstinent etiam ab omni cerevisia; quia fermentationi est obnoxia; etiam sæpè abstinent à vino albo. Hinc *quæritur*; Quid ergo bibunt Judæi toto illo octiduo?

Resp. Vel simplicem aquam glycyrrhizâ mitigatam, vel vinum rubrum ex uvis quodammodo passis expressum.

Quæritur; Quare Judæi utplurimùm utuntur vino rubro?

Resp. 1. Quia ipsis videtur esse præstantius: sed si judicent album esse præstantius, tum utuntur etiam albo. 2. Quia putant Pharaonem olim in sanguine filiorum Israeliticorum se lavisse.

VII. *Porrò quæritur*; An Christus etiam rubro vino in Paschate & in cœnâ usus fuit?

Resp. Nescimus: usus est eo vino quod paterfamilias ei apposuit: fortè ei vinum rubrum apposuit, quia Judæi vino rubro communiter hoc festo utuntur. Sed perinde est quali vino utamur, modò absit superstitio.

VIII. De pane *quæritur*; An Christus in primâ cœnâ, quam post peractum Pascha instituit, usus fuit pane infermentato? Et si sic, An non & nos simili pane in nostrâ cœnâ uti debemus?

Resp. 1. Græci statuunt Christum pane fermentato usum fuisse; quia credunt Eum Paschatis diem legitimum anticipâsse, quo Judæi adhuc panibus fermentatis utebantur. Sed hæc sententia non videtur approbanda: nam etiamsi Christus anticipâsset, & legitimo die Pascha suum non celebrâsset,

Digitized by Google

braſſet, quod tamen pernegamus; inde tamen non ſequitur quod pane fermentato uſus fuerit: nam Chriſtus volens celebrando Paſcha legi ſatisfacere, procul dubio legitimè ſatisfecit ei, quæ non tantùm agnum ſed etiam panes azymos præcepit. Et Chriſtus mandans diſcipulis ſuis ut Paſcha præpararent, proculdubio generale præceptum dedit, ut omnia pararent quæ ad celebrandum Paſcha neceſſaria erant.

Reſp. 2. Chriſtus procul dubio panibus azymis uſus fuit: quia tempore Paſchatis alii panes non inveniebantur: nam ante Paſcha omnem panem fermentatum comburunt, & maledicunt ſi alicubi adhuc particula aliqua latitet. Præterea Chriſtus legitimum diem Paſchatis non anticipavit: ergo neceſſariò pane azymo uſus fuit.

Reſp. 3. Non ſequitur, Chriſtus tum uſus eſt pane azymo, ergo & nos in cœna ſimili pane uti debemus: nam hoc factum eſt per accidens, quia alii panes non erant præſto. Pontificii adhibent hoſtias infermentatas, nummi figuram repræſentantes. Quare? Quia Judas Chriſtum 30. nummis vendidit: ſed præterquam quod in Paſchate nunquam tales hoſtiæ à Judæis uſurpentur, ſed tantùm ſolidi panes, etiam omnium optimè illi facere videntur, qui ordinarium panem fermentatum in cœna adhibent; quia tali pane optimè repræſentatur analogia inter panem & corpus Chriſti: nam talis panis optimè nutrit, quum hoſtia, quæ eſt quaſi ſpuma panis, ita non nutriat. *Vide Buxtorſium in Diſſert. de cœna, & de fermento. Vide Synag. cap.* 17.

DISSERTATIO TRIGESIMA OCTAVA,

Quæ eſt pars ſexta

DE

MENSURIS TEMPORUM. V. & N. T.

In ſpecie adhuc

DE PASCHATE.

IX. *Omnia vaſa totius domûs* purgantur.

X. *Explicatur figura agens de purificatione.*

XI. *Tempore Paſchatis ſolent Judæi menſæ* accumbere.

XII. *Quæ menſæ Paſchali imponantur.*

Mm XIII.

XIII. *Ratio datur quare singuli Judæi quatuor cyathos vini bibant.*

XIV. *Solent etiam captivum* dimittere, *& quare?*

XV. *Locus mactationis agni assignatur.*

XVI. *Rationes dantur quare Deus festum Paschatis instituerit.*

XVII. *Christus & Judæi ultimum Pascha diverso die, licet utrique die 15 celebrârunt. Rationes contraria solvuntur.*

XVIII. *Argumenta proponuntur, quibus probatur Christum non eodem die cum Judæis Pascha celebrâsse.*

XIX. *Christus cœnâ Paschatis absolutâ, mensis non sublatis, cœnam Sacramentalem instituit.*

XX. *Lotiò pedum non fuit ritus usitatus in festo Paschatis ante accubitum*

XXI. *Hymnus* Matt. 26: 30. *continet Psalmos octo.*

XXII. *Docetur unde natus sit ille mos mittendi quosdam tanquam stultos Kal. Martii & Aprilis.*

XXIII. *Ratio datur, quare Pascha Judæorum duret octo dies, cùm Lex tantùm septem dies mandet.*

XXIV. *Figura Tabernaculi exhibetur & explicatur. Datur etiam causa abundantiæ aquæ in deserto.*

XXV. *Etiam figura vasorum Tabernaculi & Templi depictorum demonstratur & explicatur.*

XI. IN superiori dissertatione præter generalia de Paschate enarravimus etiam ritum primum in festo Paschatis à Judæis observari solitum, scil de fermento inquirendo; sequitur nunc *secundus* ritus, qui agit de *purificationibus*. Cum enim Judæi omne fermentum inquirere debeant, etiam concludunt totam domum, omniaque totius domûs vasa, ferrea, ænea, lignea, stannea, lapidea, &c. esse purganda, ne fortè alicubi, vel vasi alicui mica panis fermentati adhæreat. Hinc *quæritur*; Quomodo Judæi vasa illa solent purgare? *Resp.* Duobus vel tribus diebus ante Pascha apponunt igni magnum ahenum, aquâ plenum, cui, quando aqua incipit bullire, omnia vasa immergunt, eaque mox aquâ frigidiore iterum abluunt. Sed vasa majora, quæ in ahenum immergere non possunt, ea tali modo purgant. Ferrum vel saxum ignitum forcipe apprehensum super tali suppellectile extendunt, multam aquam superfundentes. Ferrea vasa in ignem conjecta ignescere faciunt. Si quis ex vase non purgato comederet, tantum facinus committeret, ac si menstruatam mulierem cognosceret. Hinc Christus Judæos suo tempore accusavit, *Marc* 7: 8. *Omisso mandato Dei, tenetis traditionem hominum, lotiones sextariorum & poculorum;* & Matth. 23. 25. *Purgatis exteriorem poculi patinæque partem.* Vide plura in *Synag. Buxt. cap.* 17. Hinc mos ille totam domum, omnemque suppellectilem paulò ante festum Paschatis purgandi ad nostrates fœminas, sed absque superstitione, descendit.

Expli-

Digitized by Google

X. *Explicatio hujus Figuræ, quæ extat suprà pagina* 187.

In hâc Figurâ videtis igni superpositum magnum ahenum, quod est plenum aqua bulliente, in quâ omnia vasa, jam antea purgata, abluuntur. Hic conspicitur Judæus, qui aliquid ex suppellectile in aquâ fervente abluit. An non licet duo vel plura vasa in ahenum intrudere, eaque simul abluere? Non: nam unum fortasse alterum attingeret; adeo ut aqua bulliens ad omnes partes vasorum non pertingeret. Atqui hæc mulier, in hac figura depicta, multa vasa simul ad ahenum defert. Imo defert quidem, sed non intrudit ea simul in ahenum: sed apportat ea ad Judæum, ut ille ea singulatim in aqua bulliente abluat. Judæi non parcunt aquæ, sed largiter affundunt: nam si in vase sit locus aliquis, quem aqua bulliens non attigit, illud vas judicatur non esse legitimum. Hinc utuntur tam magno aheno, quod magnam aquæ copiam capit. Quomodo vasa ferrea, stannea, cultri, mortaria, mensæ, scamna, aliaque sint duobus vel tribus diebus ante Pascha purganda, vide in Synagoga Buxtorfii *cap.* 17. ubi sic ait: *Stannum quod attinet, aliaque id genus vasa, duas forcipes habent; alterâ in aquam ferventem illa immittunt, alterâ extrahunt, ut ea etiam parte, quam prima forceps tangebat, abluatur. Vasa ferrea, ut craticulas, verua, opercula, sartagines & similia, tamdiu igni subjiciunt, donec scintillas agant: tum demum enim sunt legitima. Cultros, antequam in ahenum immittant, prius probè defricant ad cotem vel alium lapidem, ad rubiginem omnem deterendam. Ferreum vel æneum mortarium, prunis candentibus, filo circumligato, replent: ubi eò usque incaluit, ut filum rumpatur, legitimum est*, &c.

XI. *Tertius* ritus in Paschate adhiberi solitus est *accubitus*. Mensæ, omnibus præstantissimis vasis ornatæ, paterfamilias unà cum reliquis domesticis assidet. Quomodo? Inclinat instar Magnatis in latere sinistro super egregio pulvillo. Quare? Ut ostendat se jam instar Baronis magnum esse dominum, & liberatum ex captivitate Ægyptiaca. Hinc Christus tempore Paschatis & cœnæ secundùm antiquum convivandi morem, sed absque tali imaginariâ magnificentiâ, ab Euangelistis dicitur accubuisse; & Rabbini testantur talem accubitum semper fuisse in latus sinistrum. Olim consueverunt cibum capere accumbendo, inclinati super latus sinistrum, & pedibus in terra positis; unusquisque super peculiari lecto: sed qui in lecto versùs latus dextrum accumbebat, dicebatur in sinum

Digitized by Google

num recumbere. Hinc apud Johannem *cap.* 13. *verſ.* 23. dilectus diſcipulus in ſinum Chriſti dicitur recubuiſſe. Vide *Buxt. in diſſert. de Cœna.*

XII. *Quæritur*; Quæ menſæ Paſchali ſecundùm conſuetudinem Judæorum imponuntur?

Reſp. Hæc ſequentia. 1. Patina cum tribus placentis. 2. Alia patina, in qua eſt armus agninus vel hœdinus unà cum ovo ſub cineribus calidis indurato. 3. Adhuc patina alia cum pulmento & pomis, pyris, nucibus, ficubus, &c. apponitur, cui vinum immiſcent, & cinnamomum ſuperinjiciunt craſsè contuſum, & ſimul ita præparant, ut illud lateris, & hoc paleæ & luti ſpeciem referat. 4. Præter agnum etiam acetariâ è lactucâ, hederâ, raphano, petroſelino, &c. ut & patellam aceto repletam apponunt. 5. Singulis, etiam abſtemiis quatuor cyathi vini infunduntur, quorum duos ante & duos poſt cœnam ebibunt.

XIII. *Quæritur*; Quare ſinguli Judæi ſolent ebibere quatuor cyathos vini?

Reſp. Quia *Exod.* cap. 6. fit mentio quadruplicis liberationis: *Educam vos de ergaſtulo Ægyptiorum*; *Eruam de ſervitute*; *Redimam in brachio excelſo & judiciis magnis*; *Aſſumam vos mihi in populum.* Vide *Synag. Buxt. cap.* 18. Hinc illuſtrantur verba Lucæ, loquentis *cap.* 22. *v.* 17, 20. de duobus poculis. Hinc porrò *quæritur*; An Chriſtus in cæna duobus poculis uſus fuit? *Reſp.* Non, ſed primum poculum pertinuit ad Paſcha, quo illud conſecravit, & quo ei finem impoſuit: ſed ſecundum pertinuit ad cœnam Dominicam.

XIV. *Quartus* ritus eſt *dimiſſio* captivi alicujus. Olim Judæi captivum ſolebant dimittere, quem populus petebat, ut oſtenderent ſe olim etiam captivos in Ægypto fuiſſe, & hoc tempore ab illa ſervitute eſſe liberatos. Hinc legimus Barrabam loco Chriſti ex captivitate fuiſſe liberatum, *Matt.* 27:26. Cæteras cæremonias feſti Paſchatis brevitatis causâ præterimus; ſed eas vide explicatas in Synagoga Buxtorfii; ut & opera hoc feſto agenda vel omittenda.

XV. *Tertiò quæritur*; Ubi agnus Paſchalis debuit mactari?

Reſp. Primus agnus mactabatur in Ægypto. In deſerto verò, & imprimis in terrâ promiſsâ non licebat alibi Paſcha publicè celebrare quàm ad Tabernaculum, & poſtea Hieroſolymis ad Templum. Propterea Deus ait Deut. 16:5, 6. *Non poteris immolare Paſcha in quâlibet urbium tuarum, ſed in loco quem elegit Deus*, &c. Hinc parentes Chriſti aſcenderunt Hieroſolymam, Luc. 2:41, 42. *Ibant parentes ejus per ſingulos annos Hieroſolymam, in die ſolemni Paſchatis.*

XVI.

Digitized by Google

XVI. *Quartò quæritur;* Quare Deus festum Paschatis instituit?

Resp. 1. Deus voluit hoc pacto in memoriam revocare populo, & quasi æternitati consecrare ingens illud *beneficium*, quo Israelitas in Ægypto affecit cum jusserit mactari agnum, ejusque sanguinem ædium postamentis adspergere, ubi illa nocte singula Ægyptiorum primogenita perdens, Israelitarum ædes sanguine hoc aspersas præteriit, eosque è durissimo servitutis jugo liberavit. Hinc Moses mandavit *Exod.* 12: 27. ut Israelitæ filiis suis, de hâc cæremonia quærentibus, annuatim hoc beneficium exponerent.

2. Deus voluit hunc ritum esse evidens testimonium *potentiæ* suæ infinitæ & *misericordiæ*. Hinc David *Psal.* 136: 10, 11. ait: *Celebrate Dominum qui percussit Ægyptum cum primogenitis eorum. Qui eduxit Israël de medio eorum, quoniam in sæculum misericordia ejus.*

3. Ut esset evidentissimus typus *liberationis* à peccatis nostris per Christum faciendæ: hinc Christus *Joh.* 1: 29. vocatur *agnus ille qui peccata mundi tollit.* Sicuti enim agnus immaculatus mactabatur; sic etiam Deus filium suum nobis donavit, cujus sanguis nos 1 *Joh.* 1: 7. ab omnibus peccatis emundat.

4. Ut Judæos *officii* sui admoneret. Comedebant enim agnum cum *peregrinantium habitu* & *herbis amaris*, & *à fermento* abstinebant: sic meminisse debebant se hîc esse *peregrinos*, & Cœlestem civitatem esse quærendam, nec *crucem* esse exhorrescendam, sed peccatorum sarcinam esse abjiciendam & sanctitati operam esse dandam. Vide *Thummium de festis.*

XVII. *Quintò quæritur;* An Christus ultimum suum Pascha eodem die cum Judæis celebravit?

Resp. Affirmativam sententiam defendunt Toletus, Baronius & Cloppenburgius: quia credunt Christum Legis Divinæ fuisse observantissimum. Et si non eodem die celebrâsset, quo Judæi, putant eum tum fuisse Legis transgressorem: nam notum est Judæos semper in principio diei decimi quinti hoc Festum inchoâsse. Rationes, quibus suprà dicti Auctores conantur probare Christum eodem die cum Judæis ultimum Pascha celebrâsse, sunt hæ sequentes præcipuæ.

Prima ratio est: Si Judæi celebrârunt Pascha post Christum crucifixum: ergo celebrârunt illud contra Legem: nam agnus Paschalis respiciebat Christum; atqui Christo crucifixo præsens erat corpus, & non necesse erat agnum mactare.

Resp. Absolutè loquendo Judæi non debuissent post Christum crucifixum mactâsse agnum: nam agnus respiciebat Christum: sed quia lex cæremo-

remonialis post mortem Christi erat tantùm mortua aut indifferens, & nondum sepulta; ideo Judæi sine peccato potuerunt illo anno & aliquot annis sequentibus agnum adhuc mactare.

Secunda ratio, quæ opponitur, hæc est: Si Christus pridie Paschatis Judaici Pascha suum celebravit, ergo die decimo quarto, non legitimo, celebravit. Vel si Christus decimo quinto die Pascha suum comedit: ergo Judæi die decimo sexto, etiam proinde non legitimo die celebrârunt. Vel si utrique die decimo quinto: ergo eodem die celebrârunt.

Resp. 1. Christus & Judæi, licet diverso die (ille scil. die Veneris, & hi die Sabbathi? Pascha suum comederint, nihilominus utrique legitimo die, h. e. decimo quinto die mensis Nisan comederunt. Nam Christus sequutus est eos, qui statuebant tum novilunium esse, quando erat luminarium conjunctio: sed Judæi Pascha celebrantes sequuti sunt eos qui novilunium supputabant à *φάσει apparitione* lunæ. Judæi enim in Terrâ Sanctâ ab apparitione lunæ novilunia sua inchoârunt: sed Christus, qui Legis mentem meliùs intellexit quàm Judæi, à conjunctione luminarium novilunium supputavit, per consequens unico die citiùs Pascha suum celebravit. Vide de hâc duplici noviluniorum suppuratione præcedentem dissertationem.

Resp. 2. Vel dicendum est Judæos ad vitandum duorum dierum festorum concursum hoc tempore, & aliis ferè temporibus, quando, ex. gr. dies decimus quintus in feriam sextam incidebat, Pascha in diem Sabbathi transtulisse: quia impossibile ferè erat per biduum ab omnibus operibus servilibus abstinere. Hinc talem canonem literis בדו *Badu* fabricârunt, quo indicârunt Pascha non debere incidere in secundam, quartam & sextam feriam, h. e. in Lunæ, Mercurii & Veneris diem, propter duorum festorum concursum. Quando statuimus Judæos transtulisse Pascha in diem sequentem, non dicimus ita esse factam festi translationem, quasi Pascha à die 15. in diem 16. sit translatum: nam hoc fuisset contra Legem, quæ mandat Pascha die 15. esse celebrandum.

Quomodo ergo transferendo Pascha in alium diem nihilominus legitimo die Pascha celebrârunt? Hoc factum est ope intercalationis, quæ fuit usitata inter Judæos; eaque fuit duplex, vel Mensis, vel diei. Intercalatio *mensis* est, quando singulis trienniis vel aliquando biennis integer Mensis Februario adjicitur, qui vocatur *Veadar*. Nam si nulla facta fuisset intercalatio, quoniam annus lunaris solari brevior est undecim circitèr diebus, Paschatis festum decurrisset per totum annum, ac modò æstate, modò autumno, modò hyeme fuisset celebratum. Quamprimùm ergo undecim

Digitized by Google

undecim illi dies in ſingulis annis ſuperflui in menſem excreviſſent integrum menſem adjiciebant. *Vide de his ſuprà diſſert.* 33. *ſect.* 4. Intercalatio *diei* eſt quando menſi decimo tertio, Veadar (h. e. ſecundo Februario) nominato, trigeſimus dies pro ratione feſtorum additur vel ab eo adimitur. Menſes Judæorum alternatim conſtabant 29 vel 30. diebus: ideo Veadar modò plenum 30. dierum modò cavum 29 tantùm dierum conſtituere poterant; atque ita unius diei detractione vel additione in illo menſe fieri poterat ut Paſcha non quidem à die 15. in 14. vel 16. ſed ab unâ hebdomadis feriâ in aliam, à ſextâ ſcil. in ſeptimam vel quintam, vel à primâ in ſeptimam vel ſecundam transferretur. Si ex. gr. Paſcha, faciendo menſem Veadar cavum, h. e. 29. dierum, incidiſſet in diem Veneris; faciendo plenum, h. e. 30. dierum incideret Paſcha in ipſum Sabbathum. Vel ſi Veadar, faciendo menſem plenum, incidiſſet Paſcha in diem dominicum, faciendo menſem cavum Paſcha incideret in diem Sabbathi. Sed Chriſtus non curans illam tranſpoſitionem Paſchatis à feriâ ſextâ in feriam ſeptimam, nihilominus decimo quinto die Paſcha celebravit.

Hinc *quæritur*; An Judæi non peccârunt ita transferendo Paſcha ab uno die in alium? *Reſp.* Non peccârunt; Sanhedrin enim deliberato conſilio ob nonnullas rationes, ſcil. ne duo dies feſti ſimul concurrerent, &c. hoc faciebat.

Tertia ratio, quam objiciunt, hæc eſt: Paſcha non debebat mactari niſi in loco quem Deus elegerat, *Deut.* 16: 5, 6. ſcil ubi Tabernaculum erat, & temporibus Chriſti in Templo; & quidem à Sacerdotibus Leviticis die 14 tempore pomeridiano inter duas veſperas. Si vel Chriſtus alio die voluiſſet mactari agnum à Sacerdotibus, non tamen hoc feciſſent; ſed in loco & tempore à lege præſcripto tantùm agnum mactâſſent.

Reſp. 1. Huic rationi oppono locum Philonis, qui libro de Decalogo dicit: *ἐν τῇ ἑορτῇ θύουσι πανδημεὶ αὐτῶν ἕκαστος τοὺς ἱερεῖς αὐτῶν οὐκ ἀναμένοντες.* Hîc expreſsè dicitur quod in hoc feſto ſinguli populatim mactaverint, non exſpectantes Sacerdotes ſuos. Non opus ergo fuit agnum tantùm mactare in Templo, & Hieroſolymis; ſed ſinguli in privatis ædibus eum mactare potuerunt.

Reſp. 2. Agni immolatio non fuit propriè dictum ſacrificium, ejuſdem cum cæteris ſacrificiis generis. Nulla enim pars Deo vel Sacerdoti cedebat, aut ſupra altare adolebatur, ſed totus eſu à privatis abſumebatur.

Reſp. 3. Hinc non ſequitur ſingulos privatos patresfamilias, mactantes privatim agnum, factos fuiſſe propriè Sacerdotes Leviticos; ſed fuerunt quodammodo Sacerdotes extra ordinem; quaſi Deus per hanc privatam macta-

Digitized by Google

mactationem ostendere voluisset omnes fideles in Christo ad spirituale sacerdotium vocari, eosque per Christum, qui per agnum denotabatur, factos esse Sacerdotes ad offerendas Deo victimas spirituales.

Resp. 4. Omnes debebant edere de agno Paschali; sed in dissertatione præcedente vidimus Hierosolymam non ascendisse surdos, stultos, parvulos, mulieres, servos, claudos, cæcos, ægrotos & senes: ubi ergo illi agnum comederunt, si non privatim in singulis ædibus per totam Terram Sanctam licitum fuisset mactare? ubi etiam patres occasione agni præsentis docuissent liberos suos de liberatione ex Ægypto, &c.? Ergo agnus privatim à quolibet patrefamilias ubique potuit mactari.

Resp. 5. Locus *Deut.* 16: 5, 6. agit de publicâ immolatione faciendâ per Sacerdotes Leviticos in publico Israelitarum conventu. Talis immolatio antea apud Tabernaculum, & postea tantùm in Templo fieri debebat.

XVIII. Jam breviter videamus contrariâ argumenta, quibus probamus Christum uno die citius, sive pridie Paschatis Judaici Pascha suum celebrasse.

Ratio *prima* est desumpta ex quibusdam locis S. Scripturæ: ex. gr. ex. *Joh.* 19: 14. ubi dicitur; ἦν δὲ παρασκευὴ τοῦ πάσχα ὥρα δὲ ὡσεὶ ἕκτη, *Erat autem parasceve* (præparatio) *Paschæ, hora vero quasi sexta*, & vers. 31. etiam dies crucifixionis vocatur παρασκευή. Ergo Christus non eodem die Pascha celebravit cum Judæis. Similiter *cap.* 18. *vers.* 28. *Judæi non introierunt in Prætorium, ne polluerentur, sed ut ederent Pascha.* Et *cap.* 13. *vers.* 1. Lotio pedum facta à Christo in cœnâ Paschali dicitur fuisse πρὸ τῆς ἑορτῆς τοῦ πάσχα *ante festum Paschatis.*

Ratio *secunda* est: Si Judæi simul cum Christo eodem die Pascha celebrâssent; ergo Judæorum Pontifices & Sacerdotes ipso die Paschatis capitali judicio Christi vacâssent; quod est contra diei tam sacri religionem, & adversus proprias Judæorum hâc de re leges.

Ratio *tertia* est: Ergo Joseph Arimathæus ipso die Paschatis funerationi Christi vacâsset; quod legibus Judaicis, & Legi divinæ adversatur, quæ prohibet die festo opus servile facere, &c. Ex his ergo concludimus Christum unico die ante Judæos ultimum suum Pascha celebrâsse. De hâc quæstione consule *Capellum in Epistol. collat. ad Joh. Cloppenburgium*, in quâ multa notatu digna occurrunt.

XIX. *Sextò quæritur*; Utrum Christus in cœna Paschali, & eâ adhuc durante; An vero, post eam penitùs peractam & absolutam, de novo accubuerit, & Sacramentum cœnæ instituerit?

Resp. Buxtorfius, in dissertatione de Cœna, tres de hac quæstione enumerat sententias. Auctores *primæ* sententiæ in Paschate duplicem faciunt

Digitized by Google

ciunt cœnam, ſcil. Agni Paſchalis & Azymorum, ſtatuuntque in menſa Azymorum cœnam eſſe inſtitutam. *Sed* Hebræi nihil de diſtincta menſa Agni & Azymorum tradunt: nam ea in unâ menſâ ſimul fuerunt appoſita.

Auctores *ſecundæ* ſententiæ faciunt triplicem cœnam, ſcil. 1. Agni. 2. Azymorum, pro quâ alii communem uſualem cœnam, quia tota familia ex ſolo agno non poterat ſaturari, ſubſtituunt; & 3. Sacramenti cœnæ. *Sed* poſt agnum, ex ſententiâ Judæorum, non licitum fuit amplius edere.

Auctores *tertiæ* & veriſſimæ ſententiæ faciunt duas menſas, ſcil. Agni, & Sacramenti cœnæ poſt penitùs peractam cœnam Paſchalem; ita tamen ut continuò & uno quaſi actu menſis non ſublatis cœnæ Paſchali Sacramentum cœnæ à Chriſto ſubjunctum fuerit. Hanc ſententiam plerique Theologi approbant. Nam Sacramentum cœnæ ſucceſſit in locum agni Paſchalis; ergo cœna Agni debuit priùs eſſe finita. Deinde non legimus Chriſtum ſurrexiſſe inter cœnam Agni & inter Sacramentum cœnæ.

XX. *Septimò quæritur;* An lotio pedum fuit ritus ordinarius, à Judæis in feſto Paſchatis, & aliis conviviis ante accubitum obſervatus?

Reſp. Hæc quæſtio movetur occaſione Chriſti, lavantis pedes diſcipulorum ſuorum *Joh.* 13. Buxtorfius in eâdem diſſertatione ſtatuit pleroſque auctores, Scaligerum, Bezam, Baronium, Caſaubonum, &c. hoc affirmare. Imo poſtremus Exercitatione 16. contra Baronium, *Num.* 22. ita confidenter hoc affirmat, ut dicat: *Hoc non ſolum verum, ſed vel pueris notum eſſe, morem fuiſſe Judæorum, pedes ante accubitum lavandi.*

Sed revera hallucinantur, neque ex exemplo Chriſti ille ritus lotionis pedum probari poteſt: nam 1. Nullibi in toto Talmude, nec in ullis Judæorum ritualibus, agentibus de ritibus conviviorum & Paſchatis, fit ulla mentio lotionis pedum tanquam ritûs ordinarii ante convivia uſitati. 2 Chriſtus demum poſt cœnam lavit pedes, uti habetur *v.* 4. *&* 5.

Contra hanc negativam ſententiam Scaliger lib. 6. *de emend. temporum* Textum *Luc.* 7: 44. objicit, ubi Chriſtus recens Hieroſolymam adveniens, Phariſæo, à quo cœnâ exceptus fuerat, exprobrat: *Ingreſſus ſum domum tuam, aquam pedibus meis non dediſti.*

Reſp. Lotio pedum fuit quidem uſitata inter Judæos ad pedes abluendos, vel ad laſſitudinem viæ & æſtus tollendam, ſi qui peregrè veniebant; nam Judæi olim non utebantur caligis & calceis ſicuti nos: ſed negamus lotionem fuiſſe ordinarium morem uſitatum in conviviis & Paſchate.

XXI. *Octavò quaeritur*; Qualis hymnus *Matt.* 26:30. intelligatur, quem Christus post Pascha unà cum discipulis cecinit?

Resp. Judaei post absolutam coenam Paschalem solent cantare Psalmos 113, 114, 115, 116, 117, & 118. Et verosimile est Christum hunc hymnum, vocatum הלל מצרי *hymnum Ægyptium*, cantâsse, cùm sciamus Eum mores praecipuos in Paschate adhiberi solitos observâsse. Deinde si insuetum hymnum cecinisset, discipuli non ita potuissent Christo accinere. Judaei solent Psalmos 113. & 114. ante agnum, & reliquos post agnum comesum cantare. Procul dubio Christus eandem consuetudinem observavit.

XXII. *Nonò quaeritur*; Unde natus est inter Christianos mos ille mittendi alios tanquam stultos primo die Martii & Aprilis ab uno ad alium?

Resp. Mos ille procul dubio est excogitatus à Pontificiis in memoriam Christi missi (*Matt.* 27:1, 7, 11, 15.) ad Pilatum, à Pilato ad Herodem, ab Herode iterum ad Pilatum, & sic deinceps. Et quia hoc circitèr in medio horum duorum mensium factum est, inde dicunt nostrates; *Op den eersten dagh van den Meert sentmen den geck waermen begeert; op den eersten dagh van April sentmen den geck waermen wil.* Hinc *quaeritur*; An ille mos sit approbandus, vel à Christianis adhibendus? *Resp.* Nullo modo.

XXIII. *Decimò quaeritur*; Quare Judaei hoc festum per octiduum continuent, constituendo duos dies priores & duos posteriores sacros, cùm Deus tantùm septem dies instituerit, scil. primum & ultimum sacrum, & quinque intermedios semi-sacros.

Resp. Quia Judaei nesciunt an novilunium Martii sit inchoandum à conjunctione solis & lunae; an vero ab ejus apparitione: ideo, ne errarent, biduum constituunt sacrum, uti dissertatione praecedenti docuimus. Et quia dubitant de die primo, ideo etiam dubitant de decimoquinto die, quo agnus est comedendus: ideoque ne hìc etiam errarent, constituunt duos priores & duos posteriores dies sacros.

Explicatio hujus Figurae.

XXIV. Quia suprà ad quaestionem quintam dicitur, quod immolatio apud Tabernaculum fieri debuerit; ideo ut Lector sciret quid sit Tabernaculum, & quomodo illud fuerit in deserto, & postea in Terra Sancta ter erectum, curavimus figuram ejus exsculpi. De Tabernaculo haec sequentia considerabimus.

1. Deus

Digitized by Google



Tabernaeculum Erectum.

Digitized by Google

Digitized by Google

1. Deus mandavit Mosi ædificationem Tabernaculi, & Moses populum convocavit; eique voluntatem Dei de ædificando aperuit, *Exod.* 35: 4. & seqq.

2. Præcipui auctores qui Tabernaculum confecerunt, fuerunt nominatim Bezaleël & Aholiabus, quos Deus spiritu, peritiâ, notitiâ & omni arte implevit *Exod.* 35: 30, 31, 34, 35. Præterea alii viri industrii etiam ad hoc opus efficiendum sunt vocati *Exod.* 36: 1. *Fecit ergo Bezaleël & Aholiab, & omnis vir sapiens corde, quibus dederat Jehova sapientiam & intelligentiam, ut scirent facere omne opus ministerii Sanctuarii.* Etiam mulieres industriæ neverunt manibus suis, & attulerunt netum hyacinthinum & purpureum, & coccineum dibaphum, & xilinum *Exod.* 35: 25, 26. *Omnis praterea mulier sapiens corde, manibus suis neverunt & attulerunt quod neverant, hyacinthum, & purpuram, & vermiculum cocci, & byssum. Omnes autem mulieres quarum cor extulit illas in sapientia, neverunt caprarum pilos.* Quinam necessaria ad Tabernaculum efficiendum attulerunt? Illi quos extulit animus, & quoscunque spontè movit spiritus, attulerunt oblationem Jehovæ, ad opus tentorii conventus, & ad totum ministerium ejus, & ad vestes sanctas *Exod.* 35: 21, 22, 23, 24.

3. Undecimo die mensis Septembris, postquam Moses veniam vituli fusi à Deo impetrâsset, inceperunt opus Tabernaculi *Exod.* 35: 1. & seqq. illudque absolverunt primo die Martii *Exod.* 40: 1. Ergo totum Tabernaculi opus fuit absolutum spatio quinque mensium & novendecim dierum.

4. Materia communis Tabernaculi fuit aurum, argentum, æs, hyacinthina, purpurea, coccinea dibapha, linum xylinum, lana caprarum, pelles arietum rubefactæ; pelles melium, ligna credrorum lectissimarum, oleum ad luminare, odoramenta & lapides pretiosissimi, *Exod.* 34: 5, 6, 7, 8, 9. *Omnis spontaneus corde suo, afferet eam* oblationem *Jehovæ, aurum, argentum & æs. Et hyacinthum, & purpuram, & vermiculum cocci, & byssum & caprarum pilos. Et pelles arietum rubricatas, & pelles taxorum & ligna sittim. Et oleum pro luminari, & aromata pro oleo unctionis, & ad suffimentum aromaticum. Et lapides onychinos, & lapides plenitudinum pro Ephod & pro pectorali.*

5. Tabernaculum non ex ingenio Mosis, sed secundùm formam Mosi à Deo in monte Sinai ostensam (*Exod.* 25: 40.) & mandatam, est formatum *Exod.* 25: 8.

5. Vasa præcipua ad usum Tabernaculi facta, sunt 1. Arca è lignis cedrorum *Exod.* 25: 10. cui tabulæ lapideæ inclusæ fuerunt, *v.* 16. 2. Men-

Digitized by Google

ſa aurea cui panes Propoſitionis impoſiti fuerunt. 3. Candelabrum aureum, *Exod.* 25: 31. 4. Altare ſuffitûs *Exod.* 30: 1. 5. Altare holocauſti *Exod.* 26: 1. Statim ex profeſſo de vaſis Templi & Tabernaculi agemus, ibique ad oculum præcipuorum vaſorum formam demonſtrabimus.

7. Sacerdotes expiationem facientes, & obſervantes obſervationem Sanctuarii & altaris, erant Aharon, duoque ejus filii Elhaſar, & Ithamar, *Num.* 18: 5. Illis adjungebantur Levitæ ad miniſtrandum miniſterium tentorii conventûs *verſ.* 2, 6. Non omnes Levitæ adjungebantur, ſed ab anno trigeſimo uſque ad quinquageſimum, *Num.* 4: 3. Non tamen pauci ſed quamplurimi, ſcil. octies mille quingenti & octuaginta *verſ.* 48. Hi omnes fuerunt diviſi in tres partes ſecundùm tres familias trium filiorum Levi, ſcil. Kohathi, Gerſchonis & Merari. *Primi* erant Kohathitæ, quorum numerati fuerunt bis mille ſeptingenti quinquaginta, *verſ.* 39. Hi humeris portabant res ſanctas *Num.* 7: 9. ut arcam fœderis, candelabrum aureum, menſam auream, altare ſuffitûs, &c.

Secundi, ſcil. Gerſchonitæ erant bis mille ſexcenti triginta *Num.* 4: 40. & in duobus ex his ſex curribus portabant aulæa tabernaculi, tentorium conventûs, tegumentum ejus & tapetes ocellatos atrii, &c. *verſ.* 25, 26.

Tertii, ſcil. Meraritæ erant ter mille ducenti, & in quatuor curribus portabant aſſeres tabernaculi, & tranſtilla ejus, columnasque ejus& ſtylobatas ejus, &c. *Num.* 4: 31, 32.

8. Quando Tabernaculum in deſerto erat erectum, tum triplex ſanctitatis gradus conſiderabatur. *Primus* ſive ſummus ſanctitatis gradus erat in loco ipſius Tabernaculi, h. e. in illo ſpatio, quod hîc velis & columnis atrii comprehenditur. Nulli immundo propter tactum mortuum licebat hoc atrium intrare, niſi, poſt ſeptem dies immunditiei, à Sacerdote aqua ſeparationis fuerit aſperſa ſuper eum, *Num.* 19: 11, 12. 13. *Secundus* gradus ſanctitatis erat extra hanc Tabernaculi ſtructuram in loco Levitarum: nam Levitæ, diviſi in tres partes juxta tres familias, in ſpatio quod erat intra Tabernaculum & Iſraelitas collocabantur. Non licebat ulli ſeminifluo intra hoc ſpatium venire, etiamſi ipſi licuerit deliteſcere inter Iſraelitas. *Tertius* gradus erat in loco in quo omnes Iſraelitæ, diviſi in duodecim quaſi exercitus juxta duodecim Tribus, deliteſcebant. Leprâ laborantes extra hunc tertium locum, ſejuncti à mundis, ſolitarii vivebant: *Num.* 5: 2. *Præcipe filiis Iſraëlis, ut ejiciant è caſtris omnem leproſum.*

9. Moſes, Aaron & duo ejus filii Elhaſar & Ithamar caſtrametabantur ante Tabernaculum ab anteriore parte ante tentorium conventûs Orientem verſus, ubi duo tentoria hîc depicta videtis; ad Auſtrum eſt tentorium

Digitized by Google

rium Mosis, & ad Aquilonem est tentorium Aharonis. *Kohathitæ* castrametabantur ad latus tabernaculi Meridiem versus, *Numer.* 3: 29. *Gerschonitæ* verò post tabernaculum Occidentem versus, *vers.* 22. & *Meraritæ* ad latus tabernaculi Aquilonem versus.

10. Tribus Judæ, Isfacher & Zebulun habebant castra Orientem versus *Num.* 2: 3, 5, 7. Tribus Ruben, Simeon & Gad, Meridiem versus, *vers.* 10, 12, 14. Tribus Ephraim, Menasse & Benjamin Occidentem versus, *vers.* 18, 20, 22. Tribus Dan, Ascher & Napthali Aquilonem versus, *vers.* 25, 27, 29.

11. Intrantes atrium Tabernaculi ibant versus partem dextram, exceptis lugentibus qui ibant versus partem sinistram, ut ab aliis intrantibus distinguerentur. Exeuntes ibant retrorsum, ne tergum Tabernaculo obverterent.

12. Hìc in medio atrii Tabernaculum conspicitur erectum. Quanta est ejus magnitudo? longitudo est 30. latitudo verò & altitudo 10. cubitorum. Tabernaculum respectu longitudinis in duas dividitur partes; anterior pars versus Orientem longa est 20. cubitos, lata & alta 10. & vocatur Sanctum; posterior pars est versus Occidentem, continetque 10. cubitos undequaque, & vocatur Sanctum Sanctorum. Quomodo distinguitur Sanctum à Sancto Sanctorum? 1. Per velum factum ex hyacinthino, purpureo, coccineo dibapho, & xylino internexo, quod Cherubinis refertum erat, *Exod.* 26: 31, 33. Hoc velum ab uno latere Tabernaculi usque ad alterum expansum erat. 2. Per quatuor columnas è cedris lectissimis factas, quæ quatuor stylobatis argenteis impositæ erant, *Exod.* 36: 35. Per has columnas, quibus velum superiùs erat appensum, Pontifex die Expiationis intrabat Sanctum Sanctorum, *Exod.* 26: 32.

13. Quæ continebat Sanctum, & quæ Sanctum Sanctorum? In Sancto erant hæc seqq. 1. *Mensa aurea, Exod.* 26: 35: cui duodecim panes faciei imponebantur, *Levit.* 24: 5. 2. E regione mensæ versus Meridiem collocabatur *Lychnuchus*, *Exod.* 26: 35. in quo septem lampades de die & nocte semper ardebant, *Exod.* 27: 20. 3. In medio Tabernaculi versus velum erat *Altare aureum* sive suffitûs, *Exod.* 30: 6. In hoc Aharon unoquoque mane suffitum aromatum adolebat, *vers.* 7.

In Sancto Sanctorum erant 1. *Arca fœderis*, *Exod.* 40: 3. *Urna* plena Homer Man, *Exod.* 16: 34. 3. *Virga* Aharonis, *Num.* 17: 26.

14. Quibus rebus constabant latera Tabernaculi? A tribus lateribus erigebantur 48. asseres, qui transtillis invicem conjungebantur; viginti asseres erant versus plagam australem, totidem versus plagam Aquilo-

narem, & octo versus Occidentem, *Exod.* 26. Decem cubitorum erat longitudo cujusque asseris, & sesquicubiti latitudo asseris uniuscujusque, *vers.* 16. Singuli asseres imponebantur duobus stylobatis, *vers.* 21. Ad plagam Orientalem erigebantur quinque columnæ, per quas Sacerdotes in Tabernaculum ibant, *Exod.* 26: 37. Præter hos asseres constabat ipsum Tabernaculum decem aulæis, quæ facta erant è xylino internexo, hyacinthino, purpureo, coccineo dibapho, & referta Cherubinis. Longitudo aulæi uniuscujusque vicenûm octonûm cubitorum, & latitudo quaternûm cubitorum, cujusque aulæi. Quinque aulæa erant conjuncta unum ad alterum, &c. *Exod.* 26: 1, 3, 4, 5, 6.

15. Quibus tegumentis tegebatur Tabernaculum? Præcipuè tribus. 1. *Infimum* tegumentum constabat undecim aulæis factis è lana caprina, *Exod. Cap.* 26. *vers.* 7. & seqq. 2. *Medium* verò pellibus arietum rubefactis, *Exod.* 26: 14. 3. *Supremum* constabat pellibus melium ut adversus cœli injurias defenderetur, *ibid.*

Tabernaculum etiam tegebatur nube, quæ instar columnæ supra Tabernaculum conspiciebatur. Quando nubes illa è Tabernaculo sustollebatur, proficiscebantur filii Israëlis, *Exod.* 40: 36. Etiam ab anteriori parte Tabernaculi erat cortina, quæ à parte orientali supra introitum supernè ad dimidium columnarum appensa erat; sub hâc ibant Sacerdotes in Tabernaculum.

16. Tabernaculum erectum circumcingebatur atrio, *Exod.* 27: 9. Longitudo atrii istius erat centum cubitorum, latitudo quinquaginta, & altitudo quinque cubitorum, *Exod.* 27: 18.

17. Circum Atrium erigebantur in universum 56. columnæ; à parte Australi 20. à Septentrionali totidem, à parte Occidentali 8. sive decem quando angulares adduntur, & totidem à parte Orientali. Singulæ Columnæ imponebantur uni stilobatæ æreo, cujus, ut & columnæ figura infrà inter vasa Tabernaculi conspicitur. Ad columnas illas ligabantur tapetes ocellati facti è xylino internexo, *Exod.* 27: 9. A parte orientali, per quam homines ingrediebantur in ipsum atrium, erant tapetes ocellati in quindecim cubitos in uno latere, & columnæ tres, & totidem in altero latere; sed in ipsa porta atrii erat tegumentum viginti cubitorum ex hyacinthino, purpureo, coccineo dibapho, & xylino internexo opere Phrygiano, atque quatuor columnis erat alligatum, *Exod.* 27: 14, 15, 16. Hoc tegumentum tollebatur ut introitus pateret. Et ne columnæ vi ventorum dejicerentur, funiculis intrinsecè ligabantur.

18. Totum hoc atrium dividitur in duas æquales partes, quarum una

est

Digitized by Google

Digitized by Google



Vasa Tabernaculi et Templi.

Digitized by Google

est versus plagam Orientalem, & altera versus Occidentalem. In priori parte, quæ est versus Orientem, erant instrumenta sive vasa, quibus ministerium Tabernaculi peragebatur; in posteriori verò erat ipsum Tabernaculum.

19. In priori parte Atrii, quæ 50. cubitos quadratim continet, erant hæc seqq. 1. *Altare holocausti,* quod è regione portæ Tabernaculi collocabatur ad distantiam decem cubitorum. In hoc comburebantur holocausta. 2. Moses posuit *labrum* æneum inter tentorium conventûs & altare holocausti, ut in eo se lavarent Sacerdotes quando Tabernaculum intrarent. Hoc hîc in loco atrii, qui est versus austrum, conspicitur. 3. Versus Septentrionem erant *columnæ*, quibus infixi erant varii uncinuli ferrei, è quibus bestias sacrificandas suspendebant & sacrificabant. 4. Juxta altare & columnas illas erant pro holocaustis *quatuor mensæ* è cæsis lapidibus, longitudine & latitudine sesquicubiti, altitudine autem cubiti unius, in quibus deponebant instrumenta, quibus jugulabant holocausta & sacrificia, *Ezech.* 40: 42. 5. Versus Meridiem juxta altare conspiciuntur *aliæ mensæ*; tum quibus vasa aurea & argentea offerendis sacrificiis inservientia, tum quibus sacrificia jam præparata, & jam jam offerenda, imponebantur. Quid ipsum Tabernaculum & omnes ejus partes denotent, vide doctissimè differentem Claris. Collegam D. Essenium in 2. parte Systematis dogmatici *pag.* 56. & seqq.

20. Antequam finiam *quæritur*; Quomodo tot centena Israelitarum millia, ad minimum quinquaginta, potuerint ubique in deserto aquam pro se & pro jumentis suis accipere?

Resp. Quando Tabernaculum erat erectum, fluebat statim propè portam introitus atrii copiosus aquæ fons, qui per fossas, ab Israelitis factas, fluebat; primò circum atrium tabernaculi; secundò circum Levitas, quos fossæ quoad familias etiam distinguebant; tertiò fluebat hæc aqua circum omnes Israelitas; ita tamen ut hæc aqua etiam distinctionem faceret inter singulas Israelitarum tribus. Extra has exteriores fossas habitabant leprosi. Hinc nonnulli per fontem illum copiosum ubique circa portam atrii fluentem intelligunt sequentem petram, cujus Paulus 1 *Cor.* 10: 4. mentionem facit: *Bibebant ex sequente spirituali petra.* Hæc quoad illustrationem hujus figuræ dicta sufficiant.

Explicatio vasorum Tabernaculi & Templi.

XXV. Quia sæpissime in explicatione Tabernaculi mentionem fecimus Va-

Digitized by Google

Vasorum Tabernaculi, ut altaris æenei, altaris aurei, labri æenei, arcæ fœderis, candelabri, virgæ Aharonis, panum faciei, afferum, columnarum atrii, &c. ideo consultum judicavimus aliam figuram hìc addere, in quâ præcipua vasa Templi & Tabernaculi ad oculum demonstrantur.

1. Maximum instrumentum, quod numero 1. denotatur, vocatur mare æneum, sive lacus fusus 2 *Chronic.* 4: 2. 1. *Reg.* 7: 23. *Fecit mare fusum decem cubitorum à labro ejus, usque ad labrum ejus rotundum in circuitu.* Salomo fecit hunc lacum: decem cubitorum à labii parte una ad alteram, rotundum circumquaque, & quinque cubitorum altitudine, quem filum triginta cubitorum cingebat circumquaque. Et colocynthides subter labium ejus circumquaque cingebat ipsum, denæ in cubitum ambiebant lacum circumquaque: duobus ordinibus colocynthides fusæ in fusura ejus. Hic lacus erat supernè impositus duodecim bobus, tribus respicientibus ad aquilonem, & tribus ad occidentem, & tribus ad meridiem, & tribus ad orientem. Crassitudo ejus maris æenei erat palmaris, & labium ejus simile erat operi labii calicis, aut floribus lilii, & bis mille bathos continebat, 1 Reg. 7: 23, 24, 25, 26. 2 Chron. 4: 2, 3, 4.... *Et quinque cubitorum altitudo ejus, lineaque triginta cubitorum ambiebat illud per circuitum. Similitudo quoque boum subter illud per circuitum, qui circumdabant illud decem cubitis, ambientes mare per circuitum, duo ordines erant boum fusorum in fusione illius. Stabat super duodecim boves: tres respiciebant Aquilonem, & tres respiciebant ad Occidentem, tres autem respiciebant ad Meridiem, & tres respiciebant ad Orientem: eratque mare super eos desuper. Omnia autem posteriora eorum erant intrinsecus.* Sacerdotes pedes & manus suas lavabant hâc aquâ, quando sacra obirent, vel ad altare accederent, 2 *Chron.* 4: 6. Chaldæi hoc mare æneum fregerunt, ejusque æs transportarunt in Babyloniam, 2 *Reg.* 25: 13.

2. Est unum ex decem labris, quæ Salomo fecit ad abluendum ex iis opus holocausti 2 Chron. 4: 6. *Fecit insuper conchas decem, & posuit quinque à dextra, & quinque à sinistra, ad lavandum in eis opus holocausti: lavare solebant in ipsis: & mare, ut lavarent sacerdotes in eo.* Unumquodque labrum impositum basi uni continebat quadragenos bathos, quaternûm cubitorum erat labrum unumquodque, 1 *Reg.* 7: 38, Salomo etiam fecit decem bases æneas, quarum singulis imposuit singula labra. Quaternûm cubitorum erat longitudo & latitudo basis uniuscujusque, & ternorum cubitorum altitudo ejus. Zophori erant basibus inter denticulatos toros. Ipsis zophoris inerant leones, boves, Cherubini, &c. Unicuique basi æneæ erant quaternæ rotæ. Vide cætera 1 *Reg.* 7: 27--37. Tale labrum unà cum basi,

Digitized by Google

si, rotis, &c. hîc conspicitur. Ubi Salomo decem illa labra collocavit? Quinque disposuit in Templo à dextra, & quinque à sinistra, 2 *Chron.* 4: 5.

3. Est Arca fœderis quam fecit Bezaleël è lignis credrorum lectissimarum, duûm cubitorum cum dimidio longitudine suâ, ac sesquicubiti latitudine & altitudine suâ. Ea intus & foris auro fuit obducta. Limbum aureum fecit ei circumquaque. Et fudit ei quatuor annulos aureos ad quatuor impages ejus, ita ut bini annuli essent in quoque latere. Vectes è lignis credrorum, auro obducti, annulis immobiliter fuerunt inditi ad ferendam illam. Deinde fecit operculum propitiatorium ex auro puro, duûm cubitorum cum dimidio longitudine suâ, & sesquicubiti latitudine suâ. In operculi illius extremitatibus fecit duos Cherubinos aureos, continente opere fecit eos. Cherubinum unum ab extremitate una hinc, & Cherubinum alterum ab extremitate altera inde: ita ut Cherubini illi essent alis sursum expansis, obtegentes alis suis operculum ipsum, faciebus sibi invicem obversis & ad operculum propitatorium pronis, *Exod.* 37: 1--9. & *cap.* 25: 10--15. E medio duorum Cherubinorum istorum Deus alloquebatur Mosen *Exod.* 25: 22. *Et conveniam tecum illuc, & loquar tecum è propitiatorio inter duos Cherubim quod est super arcam testimonii quæcumque præcipiam tibi* dicendo *filiis Israël.* Huic arcæ impositæ erant Tabulæ Legis ab ipso Deo sculptæ, *Exod.* 25: 16. & 34: 29.

4. Altare æneum sive holocausti. In S. Scripturâ fit mentio triplicis altaris holocausti. 1. Antequam Deus certum aliquem locum cultui publico assignâsset, altare erat fabricandum ex terra, vel ex lapidibus non cæsis, *Exod.* 20: 24, 25. *Altare terreum facito mihi, ut sacrifices super ipsum holocausta tua, eucharistica tua. Quod si altare ex lapidibus facies mihi, ne extruito ex eis cæsis.* 2. Ante portam Tabernaculi erigebatur aliud altare, quod è lignis Sittim erat confectum & tabulis cavum; longum & latum quinque, altum vero tres cubitos. Super quatuor angulis erant cornua altaris. Hoc altare erat circumquaque ære obductum. Intus ad medietatem ejus erat cribrum, opus reticulatum æreum; unde in angulis quatuor *annuli ænei* foras prodibant recipiendis *vectibus ligneis* ære obductis, *Exod.* 27: 1, 2, 4, 5, 6. & *cap.* 38. 1, 2, 4, 5, 6. Tale altare in hâc figurâ depingitur, & distinctionis ergò *Num.* 4. designatur. Hîc conspiciuntur duo vectes annulis suis impositi; cribrum reticulatum in ejus medio, in quo holocausta comburuntur. Quare hoc cribrum erat perforatum? Ut cinis & holocausta combusta per ejus foramina desuper caderent. Hîc supernè in quatuor angulis conspiciuntur quatuor extremi-

Digitized by Google

tates, quæ vocantur cornua altaris. Pro hoc altari etiam erant vasa ærea facta *Exod.* 27: 3. ut *crateres* ad excipiendum sanguinem; *lebetes* ad cineres; *forcipes*, *fuscinulæ* & *palæ* ad ignem disponendum, excitandum & transferendum. 3. Salomo pro Templo fecit aliud altare æneum, longum & latum viginti, & altum decem cubitos; 2 *Chron.* 4: 1.

5. Est altare aureum sive suffitûs. Hoc altare erat quadratum, & confectum è lignis cedrorum, eratque unum cubitum longum & latum, duos vero cubitos altum; ab angulis ejus prominebant cornua. Hæc omnia auro puro erant obducta. In ejus ambitu erant limbus aureus & bini annuli aurei infra limbum juxta binos angulos, in duobus lateribus ejus, ut essent sedes vectibus auro obductis, ad portandum altare, *Exod.* 30: 1, 2, 3, 4, 5. & *cap.* 37: 25, 26, 27, 28. Locus hujus altaris erat ante Velum, è regione Arcæ, *Exod.* 30: 6. In hoc altari adolebat Aharon suffitum aromatum, unoquoque mane; & semel quotannis in ejus cornibus facienda erat expiatio per sanguinem sacrificii pro peccatis in die solennis expiationis, *vers.* 7, 8, 10. Salomo pro Templo aliud altare suffitûs fecit, 2 *Chron.* 4: 19.

6. Candelabrum aureum sic fuit confectum ex auro puro, opere continente, ut septem lucernis à Sacerdotibus accendendis lucem præberet ab omni parte Tabernaculi. In hoc lychnucho erat *scapus* unus, ex quo prodibant sex *rami* à lateribus in circuitu. Hi singuli iterum ternas continebant *lances*, amygdalarum speciem referentes, cum *calicibus* & *floribus* singulis. In ipso *scapo* erant quatuor *lances* eâdem formâ cum *calicibus* ac *floribus*. Vide hujus candelabri plenariam descriptionem Exod. *cap.* 25. *vers.* 31. & seqq. Salomo pro Templo fecit decem lychnuchos aureos, posuitque quinque à dextra & quinque à sinistra, 2 *Chron.* 4: 7.

7. Est Virga Aharonis, quæ producens germen emittebat florem, & producebat amygdala, *Num.* 17: 8.

8. Est mensa facta ex lignis Sittim longa duos cubitos, lata unum, & altum sesquicubitum, auro obducta. In ambitu ejus erat *limbus* aureus circumquaque, ei addebatur tænia palmarum circumquaque cum alio limbo aureo ad tæniam ejus ne vacillaret structura. In angulis quatuor pedum erant quatuor annuli aurei proximè sub fasciâ, ad recipiendos vectes ligneos sed auro obductos. Huic mensæ imponebantur duodecim panes propositionis. Panibus his recipiendis duodecim erant scutulæ, quæ tegebantur & circumcludebantur totidem scutellis, *Exod.* 25: 23 — 30. Hi

panes

Digitized by Google

panes disponebantur duobus ordinibus, seni in ordinem quemque, *Levit.* 24: 6. Instrumentis aureis in mensa substernebatur vestis hyacinthina, *Num.* 4: 7. *Super mensam panum faciei expandunto vestem hyacinthinam, impositis ei scutulis ejus & acerris, scopulisque & scutellis tegumenti, & panis jugis super eam esto.* Utrimque juxta hanc mensam scutula conspicitur.

9. Est unus ex 48. asseribus, qui tria latera Tabernaculi constituebant. Facti erant è lignis Sittim, sed auro obducti. Singuli erant arrectarii decem cubitos longi & sesquicubitum lati. Infrà singulis asseribus affixi erant bini cardines, qui imponebantur stylobatis argenteis, qui hîc infra asseres depicti sunt. In singulis asseribus hîc conspiciuntur transtilla facta è lignis Sittim & auro obducta, quina singulos asserum ordines per annulos aureos singulis asseribus infixos transcurrebant, ab uno extremo ad alterum, ita tamen ut medianum accuratè medietatem asserum transcurreret, *Exod.* 26: 15, 16, 17, 18, 19, 21, 26, 27, 28, 29.

10. Est una ex 56. columnis æreis facientibus & claudentibus atrium Tabernaculi, de quibus suprà ad Tabernaculum *Sect.* 17. diximus. Unaquæque columna imponebatur stylobatæ æneo, cujus figura hîc sub columnâ depingitur. Omnes illæ columnæ atrii circumquâque erant redimitæ fasciis argenteis, quæ uncis terræ infixis alligabantur. Figura talium duorum uncorum hîc infra columnam & stylobatam conspicitur. Vide *Exod.* 17: 10. & seqq.

Sub his uncis est urnula mannæ, in qua erat plena mensura Homer man, quæ erat collocanda ante conspectum Jehovæ, & asservanda per ætates, *Exod.* 16: 32, 33. Hæc de Vasis Tabernaculi & Templi dicta sufficiant.

DISSERTATIO TRIGESIMA NONA.

Quæ est pars septima

DE

Mensuris Temporum V. & N. T.

In specie adhuc.

De festo Pentecostes & Tabernaculorum.

I. *Festum Pentecostes variis nominibus denominatur.*

II. *Judæi debent numerare diem quinquagesimum ab altero die Paschatis.*

III. *Ratio additur. Usque ad trigesimum tertium diem post Pascha tristantur Judæi, & quare? Die 33. tondentur.*

IV. *Rationes dantur, quare Deus hoc festum instituit.*

V. *Antiqui & recentiores Judæi diversimodè hoc festum celebrârunt.*
Prælegunt librum Ruth.

De Festo Tabernaculorum.

I. *Hoc festum celebratur die 15. Septembris, & durat octo dies.*

II. *Causa hujus festi instituti dantur.*

III. *Non eodem modo ab antiquis & hodiernis Judæis celebratur.*

IV. *Figura Tabernaculorum explicatur,*

V. *Explicatur figura continentis quosdam Judæos ad lunæ radios excurrentes. Dies octavus, qui incidit in 22. Sept. festo additur. Ratio ejus additionis est incerta.*
Die 23. Sept. celebratur festum lætitiæ Legis.

VI. *Judæi annis vulgaribus & intercalaribus Sectiones Legis quinquaginta quatuor absolvunt.*
Unaquaque Sectio dividitur in septem partes.

VII. *Explicatur figura festi lætitiæ Legis. Etiam munera Ecclesiastica venduntur.*

I. SEquitur alterum festum anniversarium, scil. festum Pentecostes, quo plerique Hierosolymam proficiscebantur. Hoc festum variis nominibus insignitur. 1. Vocatur חג שבועות *Festum septimanarum*, Exod. 34: 22. Quia septem septimanæ erant à Paschate numerandæ, h. e. 49. dies. 2. חג הקציר *Solennitas messis*, Exod. 23: 16. Quia tunc messis incipiebat. 3. יום הבכורים *Dies primitivorum fructuum*, *Num.* 28: 26. Quia Deo primitias novarum frugum in gratiarum actionem offerebant. 4. in Novo T. *Act.* 2: 1. & 20: 16. vocatur πεντηκοστὴ *quinquagesimus*, scil. ἡμέρα *dies*; quia quinquagesimus dies hoc festum constituebat.

II. De

II. De hoc festo *primò quæritur*; A quo die Israelitæ quinquagesimum diem numerârunt? Et quibus cæremoniis?

Resp. 1. Israelitæ diem quinquagesimum incipiebant numerare non à primo die Paschatis, sed ab altero die: sic enim mandavit Deus *Levit.* 23: 15, 16. *Numerabitis vobis à postero die istius cessationis: septem septimanæ integræ erunt. Usque ad posterum diem septimanæ septimæ numeratote quinquaginta dies.* Ex. gr. Si Pascha incideret in diem Saturni, tum demum primus dies quinquaginta illorum dierum esset numerandus à die Solis sequenti, & finitis septem septimanis integris Pentecoste incideret rursus in diem Solis. Ergo nostrum festum Pentecostes, abusivè sic dictum, non solet incidere in quinquagesimum diem, si nempe supputatio à secundo die inchoetur. Ex his etiam facili negotio investigari potest, quo die Judæi tempore mortis Christi Pascha suum celebrârint. Scaliger ait: *Constans est & fuit semper Ecclesiæ Christianæ sententia Spiritum S. in Apostolos missum fuisse die Dominica*, atqui in festo Pentecostes missus est Spiritus S. Ergo Judæi illo anno Pascha celebrârunt die Saturni; & per consequens non eodem die cum Christo, qui die Veneris illud celebraverat.

Resp. 2. Quia Deus dicit *Lev.* 23: 15, 16. *Numerabitis quinquaginta dies*, ideo ad hoc præceptum accuratè attendunt, & chartulas imprimunt, in quibus quadraginta novem dies post invicem recensentur unà cum benedictionibus, &c. Sic enim dicunt primo die, ברוך אתה יהוה אלהינו מלך העולם אשר קדשנו במצותיו וצונו על ספירת העומר היום יום אחד בעומר *Benedictus tu Jehova Deus noster mundi domine, qui nos sanctificâsti præceptis tuis, nobisque præcepisti numerationem messis: hodie verò est dies primus messis.* Simili ferè modo reliqui dies à Judæis & quidem stantibus solent numerari, additâ hâc supplicatione pro restauratione Urbis & Templi, quæ etiam in illis chartulis expressa est: יהי רצון מלפניך יהוה אלהינו ואלהי אבותינו שיבנה בית המקדש במהרה בימינו ותן חלקנו בתורתך *Sic beneplacitum tuum, Jehova Deus noster, & Deus patrum nostrorum, ut reædificetur domus Sanctuarii citò in diebus nostris, & da nobis portionem nostram in Lege tua.* Recensent hoc præceptum de numerandis septem septimanis inter 613. præcepta, quæ Judæi elicere solent ex Pentateucho.

III. *Quæritur*; Quare Deus præcepit ut eos dies numerarent?

Resp. Ne variis negotiis districti obliviscerentur festum Pentecostes. Judæi à primo die Paschatis usque ad trigesimum tertium diem tristes sunt, nullas nuptias celebrant, capillos non resecant, balnea non subeunt: sed demum trigesimo tertio die tondentur (uti in hâc figurâ conspicitur) balnea subeunt, & convivium agitant, &c. Quare? Ob viginti quatuor mil-

Digitized by Google

lia discipulorum Rabbi Akibhæ, qui omnes hoc tempore mortui sunt; eò quòd sibi invicem inviderent, & se mutuo spernerent. Et quia hi omnes à mulieribus noctu sepulti sunt, ideo mulieres post solis occasum non audent laborare. *Vide Synagogam Buxtorfii cap.* 19.

Hac Figura repræsentat Judæum, qui die trigesimo tertio post Pascha tondetur.

IV. *Secundò quæritur;* Quare Deus festum Pentecostes instituit?

Resp. 1. *In memoriam datæ Legis:* Deus enim quinquagesimo die ab egressu populi ex Ægypto in monte Sinai Legem suam tradidit. Hoc festo gratias agebant Deo, quod cum antea legibus Ægyptiorum tenerentur, jam, acceptâ Lege Divinâ, ei tantùm obstricti essent. 2. offerebant duos panes è novis frugibus coctos pro primitiis Domino, ut admonerentur se fruges omnes, adeoque cuncta ad victum necessaria è manu Dei beneficâ accipere. 3. Secundùm quosdam est typus illius festi Pentecostes, quo Christus, postquam in altum ascendit, dona Spiritus S. miraculosè super Apostolos effudit.

V. *Tertiò quæritur;* Quid antiqui Judæi festo Pentecostes secundùm Legem Dei facere tenentur? Et quid novitii Judæi faciunt?

Resp. I. Antiqui Judæi offerebant Sacrificium novum, duos panes primitiarum, *Levit.* 23: 17. Septem agnos anniculos, & juvencum unum subrumum, atque arietes duos, & erant in holocaustum cum libamentis in odorem suavissimum Jehovæ, *vers.* 18. Etiam parabant hircum caprarum in peccatum, & duos agnos anniculos in sacrificium Eucharisticum, *vers.* 19. Nullum opus servile debebant facere, *vers.* 21.

Resp. II. Recentiores Judæi nonnulla alia observant, quæ Deus non mandavit. 1. Judæi hoc festum, cum Deus tantùm unicum diem illi assignaverit, per biduum celebrant, iterum propter incertitudinem noviluniorum. Nesciunt enim utrum novilunium sit inchoandum à conjunctione Lunæ cum Sole; an vero ab ejus apparitione. *Vide suprà Diss.* 37.

2. Præter Textus quosdam de oblationibus agentes librum Ruth publicè prælegunt. Quinque libelli, scil. *Canticum Canticorum*, *Ruth*, *Threni* Jeremiæ, *Ecclesiastes* & *Esther* immediatè post Pentateuchum in multis Bibliis Hebraicis compinguntur, cum ad Hagiographa, sive tertiam Bibliorum partem pertineant. Sed quare? Quia certis quibusdam festis, sicuti sectiones Pentateuchi diebus Sabbathi, publicè in Synagogis prælegüntur; *Canticum* prælegitur festo Paschatis, *Ruth* festo Pentecostes, *Threni* die nono mensis Abh (*Julii*), *Ecclesiastes*, festo Tabernaculorum,
&

Digitized by Google



Tuguriola. 296.



Tonsio Judaica. Pag. 294.



Festum lætitiæ Legis. 301.



Viri exeuntes ad radios lunares. 298.

Digitized by Google

Digitized by Google

& *Esther* festo Purim, quod 14. & 15. Febr. celebratur. Vide rationes hujus lectionis *in Dissertatione* 2. *Philologi Hebræi.*

3. Pavimenta ædium, plateas & Synagogam gramine perspergunt, fasciculos ramusculorum viridium passim fenestris apponunt, corollas virides capitibus impositas gestant. Quare? Quia illo tempore, quo Lex in monte Sinai tradita est, omnia fuerunt florentia & viridantia. Hinc jam facilè conjicirur, unde natus sit inter Christianos mos ille fenestras ex parte tegendi ramis virentibus in illis locis, ubi vicini conveniunt, vel ubi convivia celebrantur. Mos ille originem habet à Judæis, & ab illis descendit ad Christianos.

4. Lacteis cibis, ut scriblitis & libis vescuntur, eò quòd Lex, tum temporis ipsis data, alba instar lactis fuerit. Vide reliqua in *Synag. Buxtorf. cap.* 20.

De Festo Tabernaculorum.

TErtium festum anniversarium est festum Tabernaculorum; quod ita denominatur à Tabernaculis, in quibus hoc festo habitare solent.

I. De hoc festo *primò quæritur;* Quando à Judæis fuerit celebrandum? Et quamdiu?

Resp. 1. Hoc festum fuit celebrandum in mense Tisri, h. e. mense septimo anni sacri, qui annus incipit à Martio. Hinc apud Latinos noster mensis nonus vocatur September, decimus October, & sic deinceps. Ratione anni civilis mensis Tisri est primus mensis: & propterea Judæi ab hoc mense annos suos civiles inchoant. Hic mensis ferè totus fuit festivus, & plura festa hoc mense fuerunt celebranda, quàm ullo alio mense. Quare? Deus voluit hoc mense plura festa celebrari propter commoditatem temporis: nam hoc tempus erat admodum idoneum ad celebranda festa, eò quòd tum omnes fruges terræ ex agris erant collectæ.

2. Die decimo quinto incipiebat hoc festum, Levit. 23: 34. *Decimo quinto die mensis septimi festum Tabernaculorum septem diebus* est *Jehovæ.*

3. Durare debebat septem dies, Num. 29: 12. *Celebrabitis festum Jehovæ septem diebus.* Idem confirmatur *Deut.* 16: 13, 15. Sed Judæi iterum per octiduum hoc festum, uti etiam Paschatis festum, continuant, atque duos priores & duos posteriores dies constituunt sacros, cum Deus tantùm primum & septimum sacrum esse voluerit. Sed hoc iterum fit ob incertitudinem novilunii. Nesciunt enim utrum novilunium sit inchoandum à luminarium solis & lunæ conjunctione; an verò ab ejus apparitione, uti suprà docuimus.

II. *Se-*

Digitized by Google

II. *Secundò quæritur*; Quare Deus festum Tabernaculorum instituit?

Resp. 1. Ut Israëlitæ in memoriam revocarent se diu in deserto in Tabernaculis habitâsse, Levit. 23: 43. *Ut cognoscant generationes vestræ, me fecisse ut in Tabernaculis habitarent, &c.* Voluit ergo Deus hoc festo admonere populum suum afflictionum & miseriarum, quas eorum majores in deserto per 40. annos perpessi sunt. 2. Ut Deo majores gratias referrent videntes statum Majorum in deserto, eumque cum hodierno conferentes.

III. *Tertiò quæritur*; Quomodo hoc festum ab antiquis judæis fuit celebratum? Et quomodo à novitiis celebratur? Et quid duobus diebus sequentibus agunt?

Resp. 1. Octo diebus post invicem quædam offerebant, *Num.* 29: 13, 14, 15, 16. *Die primo offeretis holocaustum igne absumendum, juvencos subrumos ternos denos, arietes binos, agnos anniculos quatuordenos*, &c. Versu 17, 18, 19. *Die secundo juvencos subrumos duodenos, arietes binos, agnos anniculos quatuordenos*, &c. Versu 20, 21, 22. *Die tertio juvencos undenos, arietes binos*, &c. Versu 23, 24, 25. *Die quarto juvencos denos, arietes binos*, &c. Versu 26, 27, 28. *Die quinto juvencos novenos.* Versu 29, 30, 31. *Die sexto juvencos octenos*, &c. Versu 32, 33, 34. *Die septimo juvencos septenos*, &c.

2. Jussi fuerunt Judæi ramos decerpere, quibus Tabernacula sibi extruerent, Lev. 23: 40. *Sumetis vobis die primo fructum arboris pulcherrimæ, spathulasque palmarum & ramos ligni densarum frondium, & salices de torrente.* Ex his tenebantur extruere tabernacula, domicilia & gurgustiola subita & tumultuaria, qualia solent esse pastorum & militum in castris.

IV. *Explicatio Figuræ Tabernaculorum.*

Hic conspicitur Tabernaculum סֻכָּה dictum, quale ab unoquoque ferè patrefamilias festo Tabernaculoruum extruitur. Antea egimus de Tabernaculo משכן appellato, quod in deserto in medio Israelitarum erigebatur; sed jam agimus de Tabernaculis, ut privatis domiciliis, quæ Judæi singulis annis in festo Tabernaculorum erigere solent in memoriam quòd Patres in deserto habitaverint in Tabernaculis. In his edunt & bibunt, sed ob aëris frigus & loci humiditatem in iis jam non dormiunt, uti olim solebant. Vide *Nehem.* 8: 15, 16, 17. *Et audiri facerent ac transire vocem per universas urbes suas, & per Jerusalem, dicendo: Egredimini in montem, & afferte frondes olivæ, & frondes arboris pinus, & frondes myrti, & frondes palmæ*

Digitized by Google

palmarum : & frondes arboris densæ : ut faciatis tabernacula, sicut scriptum est. Egressi sunt itaque populus, atque tulerunt, feceruntque sibi tabernacula, quisque super tectum suum, & in atriis suis, & in atriis domûs Dei, & in platea portæ aquarum, in platea portæ Ephraim, &c. Arbores de quibus ramos decerpere solent, sunt oleosæ, olivæ, myrti, resinosæ, &c. Hæ propter pinguedinem diu viriditatem retinent. Tabernacula extruunt sub dio, januis ea non claudunt, sed in iis sedent undiquaque aëri expositi. Olim in tectis ædium erigebantur, sed jam in horto vel in area extra ædes. Tectum tabernaculorum è solis ramusculis viridibus conficiunt. Divites tapetes in iis expandunt, vasis aureis & argenteis ea exornant, & superius ad tectum fructus venustissimos pensiles faciunt, ut mala citrea, pepones, melones, cucumeres, cucurbitas, &c. Et ut fructus nonnullos rariores sibi comparare possent, quotannis sedecim Judæi in Hispaniam proficiscuntur, dicente Buxtorfio *cap. 21. in Synagoga.* Quantæ altitudinis solent esse hæc Tabernacula? Non debent altiora esse quàm viginti cubitorum, nec humiliora quàm decem palmorum sive spithamarum. Vide totam Tabernaculorum fabricam descriptam in *Syn. Buxt. cap. 21.*

3. Die decimo quarto in Synagogis convenientes, cantant & orant donec noctescat. Deinde domum revertentes in Tabernacula sua sese conferunt. Ne præcepti de extruendis & inhabitandis Tabernaculis obliviscerentur, solent parvas tabellas exarare, easque suspendere, in quibus expressa sunt hæc verba ex *Levit. 23: 24.* בסכות תשבו שבעת ימים כל האזרח בישראל ישבו בסכות *In illis Tabernaculis manetote septem diebus; quisquis indigena est in Israele: maneto in Tabernaculis.*

4. Decimo quinto die, qui est primus hujus festi, summo mane in Synagogam redeunt, ibique orando & cantando tempus transigunt. Cum præcentor pervenit ad illa verba, *Domine da pacem*, tum unusquisque fasciculum ex palmæ, oleæ & salicis ramis colligatum in manum dextram, & malum citreum in sinistram sumens dicit: *Benedictus esto tu Domine Deus noster, mundi Rex, qui nos præceptis tuis sanctificâsti, & ut fasciculum palmarum gestemus, imperâsti.* Dum hæc dicunt, quisque fasciculum manu concutit, ut strepitum edat: postea fasciculum hunc ter Orientem, ter Meridiem, ter Occasum, & ter Septentrionem versus impellit, mox sursum ac deorsum pugilum instar illum quatit, putans se strepitu & sonitu isto Satanam ipsum ita perterrefecisse, ut ulterius ne hiscere, multo minus ipsos coram Deo accusare audeat. His factis, mox accurrit aliquis, qui librum ex arcâ depromit, & super suggestum collocat: deinde omnes fascicu-

fciculis & malis citreis suis suggestum circumeunt, idque faciunt singulis septem diebus ut sibi in memoriam revocent, quod septies olim muros Hierichonticos Israelitæ circumivere, unde factum ut tandem muri conciderint, & urbs capta fuerit, sperantes muros Imperii Romani aliquando esse collapsuros, & Judæos Christianorum dominos esse evasuros.

5. Die decimo sexto prorsus eodem modo feriantur, non Divino mandato moti, sed fluctuatione acti, nescientes quando præcisè est dies decimus quintus mensis Tisri.

6. Dies quatuor intermedii partim illis sunt festivi, partim etiam profesti. In his multum orant, & fasciculos similiter concutiunt.

7. Septimus dies iterum illis est sanctus & appellatur ab illis הושענא רבא h. e. *summo adjuva auxilio*. Præsentissimum, *inquit Buxt. in Synag. pag.* 462. & valentissimum adversus hostes suos à Deo auxilium implorant prosperumque & fertilem annum exoptant. Quidam ob magnam hujus diei sanctitatem, summo mane ante lucem, vel frigidâ vel calidâ lavantur aquâ, in scholam se conferunt, multas candelas accendunt, strenuè canunt & precantur, &c. Hoc die quidam ante solis ortum se lavant, deinde in Synagogam abeunt, candelisque multis accensis canunt, libros septem (in Polonia omnes) ex arcâ desumunt; in suggestum collocant; quod quum septies cum fasciculis suis circumiverunt, singulis vicibus librum unum ex his septem resumptum iterum in arcam recondunt. Præterea dicunt Deum hoc die determinare, quantum hoc anno pluere debeat.

8. Hâc ipsâ nocte diei septimi ad lunæ radios excurrunt: quia putant sibi per lunæ radios hâc nocte revelari omnia quæ anno eventura sunt.

Explicatio hujus figuræ, quæ extat pag. 294

V. Hic conspiciuntur duo vel plures Judæi, qui unà cum fasciculis ad lunæ radios excurrunt, expiscaturi totius anni eventa: sed unius caput latitat, & in umbra non conspicitur: inde concludit se hoc anno esse moriturum. Buxtorfius in Synag. cap. 21. hæc omnia ita describit: "Noctu ad Lunæ radios pergunt, quidam aperto tantùm capite, quidam cum solo indusio, vel etiam nudi, lecticariâ sindone involuti, quam cadere sinunt, brachiaque, & manus expandunt. Si cui in umbrâ desit Caput, in capitis venit discrimen qui hoc experitur, & signum est, hoc ipso anno illi moriendum esse; si defuerit Digitus, amici mors portenditur; si Manus dextra, " filius

„ filius, si sinistra filia cum morte vitam commutabit; si nullam omnino umbram viderit, naulum Charonti præparet: nullam enim omnino mortis vitandæ spes est, & si iter facere constituerit, signum est, nunquam domum reversurum, &c. Hoc Rabbini ex verbis *Numer.* 14: 9. *recessit ab eis umbra eorum*: demonstrant. Scribunt verò, non intelligi de umbra simplici, eò quòd fieri non possit, ut quis ad splendorem Lunæ suam umbram non videat; sed de umbrâ umbræ. Si enim rectè attendatur, duplicem observari umbram, quarum altera fit à reflexione umbræ prioris, Rabbini vocant בבואה דבבואה *Umbram Umbra*„.

9. Dies octavus, sive primus post festum, etiam ipsis secundùm legem sacer est, vocaturque ab ipsis שמיני עצרת *Octavus detentionis*; forsan ideo sic vocatur, quia amicos suos, quos per septem dies secum habuerant, & conviviis lautioribus exceperant, die quoque octavo non dimittunt. Hic octavus dies incidit in diem 22. Tisri, sive Septembris. *Vide Buxt. in Synag. cap.* 21. Sacrificia hoc die offerenda describuntur Num 29: 35, 36, 37, 38. *Die ipso octavo, interdicti dies esto vobis: opus nullum servile facitote. Sed offeretis holocaustum, juvencum unum, arietem unum, agnos anniculos septenos*, &c. *Quæritur*; Quare Deus hunc octavum diem instituit? *Resp.* Judæi incerti sunt quare hic dies octavus festo Tabernaculorum fuerit additus: ideoque varii varias rationes excogitârunt. 1. Nonnulli putant ideo fuisse institutum, ut peractis septem diebus populus per hunc diem etiam detineretur. 2. Vel ne dimissi hoc die laborarent, & negotiis suis domesticis vacarent. 3. Vel ut populus hoc die contribueret pecuniam in usus sacrificiorum. 4. Vel ut hic solennis dies esset typus & figura collectionis omnium gentium, vel electorum tantùm ad regnum Cœlorum. 5. Vel ob collectionem frugum, ut hoc die serotinarum frugum primitiæ afferrentur, & pro iisdem Deo gratiæ agerentur. Sed pleraque sunt incerta.

10. Die nono, h. e. die 23. mensis Tisri sive Septembris celebratur festum, à Judæis institutum, quod vocatur festum שמחת תורה *Lætitia Legis*. Hoc die hæc sequentia fiunt. 1, Ultimam sectionem Pentateuchi jam absolvunt, & primam de novo legere incipiunt eodem die. Pentateuchus divisus est in 54. sectiones majores, quarum singulæ ferè tribus majusculis פפפ vel ססס distinguuntur. Singulis Sabbathis talis magna sectio legitur, & singulæ hebdomadæ à sectione quæ legitur nomen sortiuntur.

VI. *Quæritur*; Quomodo Judæi singulis Sabbathis legentes unicam sectionem

nem possunt unico anno absolvere totum Pentateuchum? An ergo sunt 54. hebdomadæ in anno Judaico?

Resp. Judæi ad annum intercalarem respiciunt, in quo sunt 54. hebdomadæ & 5. ferè dies: nam Judæi tertio cuilibet anno, vel aliquando secundo, adjiciunt integrum mensem. In annis verò vulgaribus, constantibus mensibus 12. solent parvas quasdam sectiones conjungere. Vide me fusè hæc explicantem in Dissertatione IV. *Philologi Hebr.* Quare eodem die de novo inchoant primam sectionem Geneseos? Ne diabolus Judæos accusaret, & diceret: *Judæi absolverunt quidem librum Legis, sed nolunt amplius legere.* Non legunt integram primam sectionem Pentateuchi, sed tantùm Caput primum & versus tres priores, Capitis secundi. Singulæ sectiones à septem viris leguntur, vel saltem septem advocantur, quorum singuli benedicunt Legi. Hinc in Bibliis majoribus Buxtorfii ad Pentateuchum in margine inveniuntur hæ voces, לוי *Levi* vel שני *secundus*, ישראל *Israel* vel שלישי *tertius*, רביעי *quartus*, חמישי *quintus*, ששי *sextus*, שביעי *septimus.* Primi nomen, qui legit non exprimitur, sed est כהן *Sacerdos*, secundus est Levita, tertius Israelita, & sic deinceps. Unusquisque legit eam sectionis majoris particulam, ad quam voces illæ sunt notatæ. *Vide Synagog. Buxtorf. c:* 16. In Bibliis minori forma sub auspiciis Rabbi Menassis Ben Israel, impressis Amstelodami apud Jansonium, exprimuntur multis in locis tantùm majusculæ Alphabethi literæ, scil. א, ב, ג, ד, ה, ו, quæ idem denotant quod superiores voces לוי &c. Exempla vide in Genesi, *Capp.* 19. 20. 23. 24. 26. 27. 29. 30. 31. 32. 33. 44. &c. In Bibliis non punctatis, meo nomine Anno 1694. Francofurti editis, singulæ sectiones Pentateuchi in septem partes per literas Alphabeti Hebraici distinguuntur.

2. Omnes libri simul ex arcâ promuntur, & per Synagogam circumferuntur. Vidi Amstelodami in Synagogâ simul sexaginta circitèr Pentateuchos Manuscriptos auro & argento ornatos, & pretiosissimis involucris involutos, à totidem Viris magnâ cum pompâ circum suggestum fuisse portatos. Interea temporis candela arcæ imponi solet, ne planè vacua sit.

3. Ut infantes etiam hujus festi participes fierent, seniores per Synagogam projiciunt poma, pyra, nuces, &c.

Expli-

Digitized by Google

VII. Explicatio hujus Figurae, quae extat pag. 294.

Hîc conspiciuntur Judaeus & Judaea projicientes per Synagogam pro pueris pyra, poma, nuces, &c. Buxtorfius in Synagoga *cap.* 27. haec breviter ita describit, "Multos fructus, utpote poma, nuces, pyra, & alia id
„ genus, in scholâ in turbam puerorum immittunt, ut in illis quoque laeti-
„ tiae suppetat argumentum; verùm saepe fit, ut pugnis laetitia immi-
„ nuatur „.

4. Quia hoc die Lex absolvitur, ideo publicè in Synagogâ per auctionem venduntur munera ecclesiastica, quae spectant ad lectionem Legis, &c. sic, ut ille, qui vice tertiâ plurimum pecuniae pro illis se daturum promiserit, iis praeficiatur. Munera haec enumerantur à *Buxtorfio in Synag. c.* 27. scil. 1. Munus accendendi candelas per totum annum. 2. Munus vini dandi & porrigendi ad Sabbathi aliorumque festorum consecrationem. 3. Munus replicandi librum Legis. 4. Tollendi. 5. Prehendendi ligna tornata, quibus Lex annectitur, &c. Ex hac auctione saepe maximae rixae oriuntur; plerumque etiam Sacrosanctum Dei nomen blasphemiis impetitur: quia saepe personarum habetur respectus; imo tanta saepe oriuntur jurgia, ut res haec etiam quandoque ad Christianum Magistratum deferatur. Vide reliqua *in Synag. Buxt. l. cit.*

DISSERTATIO QUADRAGESIMA.

Quae est pars octava

DE

MENSURIS TEMPORUM. V. & N. T.

In specie adhuc

De Festo Expiationis, Purim & Encaeniorum.

I. *Festum Expiationis celebratur die decimo Septembris.*

II. *Variis modis Judaei se praeparant ad hoc festum.*

Judaei quatuor remedia excogitârunt, quibus justitiae Divinae conantur satisfacere. Etiam se mutuo flagellant.

Pontifex hoc die Sanctum Sanctorum ingrediebatur.
III. *Observatio festi Expiationis diversimodè instituitur.*
IV. *Causa instituti festi Expiationis. De festo Purim.*
V. *Hoc festum celebratur* 14. & 15. *Februarii.*
VI. *Explicatio figuræ festi Purim. De festo Encæniorum.*
VII. *Quare hoc festum institutum sit inquiritur.*
VIII. *Ut & tempus, & a quo? &c.*
IX. *Modus celebrandi hoc festum describitur.*

I. SEquitur festum Expiationis, quod decimo die mensis Tisri (Septembris) à Judæis fuit celebrandum: *Levit.* 23: 27, 28, 29, 30, 31, 32. *Decimo die mensis septimi dies Expiationum est, convocatio sancta esto vobis, ut affligatis animas vestras. Nullum opus servile facitote*, &c. Non solum hoc die affligebant animas suas, sed etiam aliquot diebus ante. Celebrabant ergo hoc festum dupliciter, partim se præparando, partim ipsum festum celebrando.

II. *Primò quæritur;* Quomodo Judæi se præparant ad hoc festum?

Resp. 1. A primo die hujus mensis usque ad decimum vocantur *dies pænitentiæ.* Illis diebus jejunant: multùm orant ut à peccatis liberentur, & quotidie confessionem peccatorum manè ter recitant.

2. Neminem illis diebus excommunicant, nec in jus vocant.

3. Die nono summo mane surgunt, Synagogam adeunt, ibique orant, inde domum redeuntes singuli viri gallum gallinaceum, si fieri possit, album, fœminæ gallinam: & gravidæ gallum & gallinam in remissionem peccatorum mactant. Judæi in Messiam non credentes, vident se propriis operibus justitiæ divinæ satisfacere non posse; ideo quatuor remedia excogitârunt, quibus justitiæ Divinæ satisfacere conantur, scil. *propriam mortem.* Hinc in mortis lectulo hæc verba ipsis continuò in ore sunt מיתתי תהי כפרתי *Mors mea sit expiatio mea* pro peccatis meis. Deinde excogitârunt *Opera supererogatoria Patriarcharum.* Tertiò *Purgatorium*, in quo similes sunt Pontificiis. Denique *gallum gallinaceum* in eum finem etiam mactant. Buxtorfius in *Synagoga cap.* 25. fusè describit modum mactandi gallum, & simul dat rationem quare potius gallum mactent, quàm alia animalia.

4. Absolutâ mactatione sepulchra adeunt, ibique orant & eleemosynas distribuunt.

5. A meridie se in aquâ frigidâ lavant: quia putant se sordes peccatorum aquâ abluere posse.

6. Qui

Digitized by Google

6. Qui unquam usquam alterum læsit sive verbis, sive verberibus, sive aliis modis, veniam ab eo deprecatur. Si læsus condonet benè se res habet, sin minus tres alios secum assumit, & aliquoties rursus veniam petit: si adhuc nolit injuriâ affectus condonare, decem secum assumit, iterumque veniam deprecatur. Si mortuus sit, tenetur qui injuriâ affecit, sepulchrum ejus adire & dicere: *Peccavi in Deum Israëlis & in N. N. qui hic situs est.*

7. Sibi mutuo peccata confitentur. Quomodo? Duo simul eunt in locum aliquem secretiorem Synagogæ, ibi incurvat se unus, tergum meridiem versus inclinans: hujus dorsum alter cum ligulâ pelliceâ tricies novies, sive potius decies ter, scil. semel ad singula verba ex *Psal.* 78: 38. percutit. Nam olim tredecim tantùm plagas infligebant, supputantes singulas pro tribus propter tria lora quibus utebantur. Deinde ille, qui alterum verberavit, humi postratus totidem quoque à socio plagas sibi infligi patitur. De modo flagellationis vide infrà *Dissert.* 49. & *Præfationem libri de Abbrev. Buxt.* ibique etiam docetur, quomodo Paulus 2 *Cor.* 11: 24. conqueratur se quinquies à Judæis plagas quadraginta minus unâ accepisse.

8. Vestes pretiosas induunt, quibus subinducunt grande & latum lineum indusium ad calceos usque prominens, innuentes se postero die puros à peccatorum sordibus, & angelis similes fore.

9. Ipse Pontifex, quia diem Expiationis Sanctum Sanctorum intrare debebat, per septem dies ante diem Expiationis separabatur: ita ait Misna in יומא *Joma*, *cap.* 1. *Sect.* 1. שבעת ימים קודם יום הכפורים מפרישין כהן גדול מביתו ללשכת פלהדרין ומתקינין לו כהן אחר תחתיו שמא יארע בו פסול *Septem diebus ante diem Expiationis separant Sacerdotem Magnum à domo suâ ad conclave Parhedrorum, substituuntque ei alium Sacerdotem, si quod vitium ei contingat.* Ideo tam diu Pontifex separabatur, ne fortassè cum uxore menstruâ ignarus concumberet. Lege enim sancitum erat, *Levit.* 15: 24. ut talis maritus septem dies immundus fieret: sed qui scientes volentesque cum uxoribus menstruis concumberent, exscindi debebant è medio populi, scil. mariti & uxores, *Levit.* 20: 18. *Vide Scheringhamium in Joma cap.* 1.

III. *Secundò quæritur;* Quomodo Judæi ipsum festum Expiationis celebrare solent?

Resp. Varia tenentur observare, sed nonnulla sunt tantùm Rabbinorum instituta. Misna in *Joma cap.* 8. varia comprehendit, cum ait: יום הכפורים אסיר באכילה ובשתיה וברחיצה ובסיכה ובנעילת הסנדל ובתשמיש המטה

המטה והמלך והכלה ירחצו את פניהם והחיה תנעול את הסנדל דברי רבי אליעזר וחכמים אוסרין *In die Expiationis interdictum est in cibo, in potu, in lotione, in unctione, in inductione calcei, & in ministerio lecti; Rex verò & sponsa lavabunt facies suas, & puerpera calceos inducet, verba Rabbi Eleazaris, sed Sapientes prohibent.* 1. Per totum diem debebant jejunare, & ab omni cibo & potu abstinere, etiam pueri 12. & puellæ 11. annorum, ut & puerperæ à triduo partus. Si quis contra fecisset excisionis pœnâ plectebatur, *Levit* 23: 39. *Omnis anima quæ non afflicta fuerit in die isto excidetur è populis suis.* Non tantum excisione mulctabatur, sed etiam vapulabat, *Maccoth. cap.* 3. ubi inter vapulantes numeratur האוכל והעושה מלאכה ביום הכפורים *qui cibum sumpsit, & qui opus fecit in die expiationis.*

2. Quæ in textu Misnico suprà sequuntur, sunt tantùm statuta Rabbinorum. Non licitum erat lavare os, vultum, &c. Imo ne minimum digitum, nisi quis alvum suum exoneràsset. Sed Regi & sponsæ lotio permissa fuit. Illi, quia gratiosus vultus recreat subditos; huic, ne fœdata sordibus à sponso contemneretur. Sed quamdiu sponsa vocatur sponsa? Per 30. dies à nuptiis. *Vide Schering. in Joma.*

3. Nemo die Expiationis oleo vel aquâ odoratâ lini debet.

4. Non licet uti calceis coriaceis: ita David. 2 *Sam.* 15: 30. incedebat tempore tristitiarum discalceatus. Sed senes & debiles soccos laneos, & puerperæ 30. diebus post partum calceos induere possunt.

5. Conjuges in eodem lecto non concumbunt, sed maritus ab eâ abstinet ac si menstruata esset, imo sibi à contactu leviculo temperat.

6. Secundùm *Levit.* 23: 28. nullum opus servile licebat facere.

7. Conceditur excommunicatis venia orandi cum aliis in Synagogâ.

8. Quidam per totam ferè diem & noctem cantant & orant, & in pedes stant. Buxtorfius in Synag. *cap.* 26. ait, se hoc die vidisse quosdam, qui per septem & viginti horas in eodem loco steterunt. Hinc tantam sibi imaginantur puritatem hoc die, ut ne diabolus quidem ullam maculam in illis expiscari possit.

9. Clangunt tubâ in jubilæi memoriam qui hoc die incipiebat.

10. Pontifex hoc die sacrificaturus vestes sacras induebat, & accipiebat juvencum expiatorium & arietem pro holocausto; à populo verò duos hircos è capris, &c. Sortiebatur quoque Pontifex inter duos hircos, uter horum mactaretur Domino, vel ablegaretur in desertum. Vide *Lev.* 16: 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9.

IV. *Tertiò quæritur*; In quem finem Deus festum Expiationis instituit?

Resp.

Digitized by Google

Digitized by Google


Candelabrum Encoeniorum. 307.


Feſtum Purim. Pag. 305.


Dies nonus July. 377.


Flagellatio Judaica. 337.

Digitized by Google

Resp. In expiationem pro peccatis. Sed Judæi non contenti hoc fine, ajunt hoc festum etiam esse institutum in memoriam ejus beneficii, quod Deus eis remiserit peccatum Idololatriæ, vituli fabrefactione, ejusque adoratione in deserto commissum.

DE FESTO PURIM.

V. FEstum פורים *Purim*, h. e. sortium, quod jam sequitur, celebratur 14. & 15. Februarii. Non tam festum est, quàm bacchanalia Judæorum. Jam edunt, bibunt, ludunt, nonnulli per Synagogam tanquam stulti discurrunt. Totam historiam hujus festi vide fusè descriptam in Synagoga Buxtorfii *cap.* 29.

VI. *Explicatio hujus figuræ, quæ ab ipsis in Ritualibus Hebræo-Germanicis tali modo depingitur.*

Hic conspiciuntur tres Judæi miro modo vestiti, & per plateas discurrentes. Solent enim Judæi festum Purim omnibus generibus lætitiarum condecorare, vel potius profanare. Quidam instar stultorum, variegatis vestibus induti, & vulpecularum caudis ornati, non tantùm per plateas, sed (uti ipsemet vidi) per Synagogam discurrunt, & quidem tum, quando liber Estheræ publicè in Synagoga prælegitur. Buxtorfius in dicto capite modum celebrandi hoc festum describit: " Festum hoc epulis, vinoque ge-" neroso celebrant & honestant; quia Regina Esther in lauto convivio, quum " Rex vino lætus esset, gratiam hanc consequuta est, ut Judæi in vita inco-" lumes & illæsi conservarentur. Quapropter jus & æquum postulare vo-" lunt, ut ipsi quoque vino sese exhilarent. Nihil aliud itaque per totum " illud biduum, præsertim vesperâ secundâ, quàm cibo & crapulâ se rum-" punt, ludunt, saltant, fistulâ & altâ voce canunt, rythmos & jocosa dicte-" ria recitant, mulieres virorum, viri mulierum personam ferunt, &c. Imo " expressè scribitur in Talmude, Tract. Megilla *fol.* 7. 2. *Tenetur homo in festo* " *Purim eò usque inebriari, ut nullum discrimen norit inter* Maledictum Ha-" mam, *&* Benedictum Mordechai. „ *Buxt. in Synag. pag.* 560. ex Talmude narrat historiam de Rabba & Rabbi Sira, qui cum unà hoc festum egregiè celebrassent, accidit, ut Rabba ex ebrietate Rabbi Siram interficeret, mane, quid pridie fecisset, intelligens, & misericordiam Dei implorans, miraculosè eum à mortuis iterum suscitavit.

DE FESTO ENCOENIORUM.

VII. Ultimum ex anniversariis festis est festum *Encœniorum*, sive *consecrationis*, Hebræis חנוכה *Canuccah* dictum. Græci vocant *ἐγκαίνια* ab ἐν & *καινὸς*, inde *ἐγκαινίζω innovo, vel rem profanam facio sacram.* Aliàs hoc festum vocatur *dedicatio, consecratio*; fortassè ideo, quia in memoriam dedicati & consecrati Templi Hierosolymitani, & reliquarum rerum ad Templum pertinentium, institutum est.

VIII, *Quæritur*; Quando hoc festum institutum est? *Resp.* Annis ante Christum circitèr 162. A quo? A Judâ Macchabæo. In quem finem? Quia heros ille post patris Matathiæ mortem, Græcos, qui Hierosolymam occupaverant, templumque polluerant, & sacrum oleum perdiderant, vicit, Urbem recuperavit, & Templum iterum consecravit. Quando, & quamdiu hoc festum est celebrandum? Est celebrandum vigesimo quinto die Novembris, & continuatur per octiduum, 1. Macch. 4: 59. *Statuit Jehuda cum fratribus suis, & tota Ecclesia Israelis, ut agerentur dies instaurationis altaris temporibus suis quotannis, diebus octo, incipientibus à vigesimo quinto mensis Cisleu cum lætitia & gaudio.*

IX. *Porro quæritur*; Quid agunt hoc festo?

Resp. 1. Non orando sed potando, non Deum colendo, sed Veneri Bacchoque sacrificando, non dona Deo offerendo, sed donis & bonis divinis pessimè abutendo, genio & ingenio suo indulgendo dies hujus festi transigunt.

2. Candelabrum, septem cereis candelis ornatum, accendunt. Figuram talis candelabri vide suprà inter vasa Templi & Tabernaculi & paulò antè. Quando illud candelabrum accendunt? Singulis noctibus candelam unam accendunt. Quare? In memoriam continuati miraculosè per octiduum sacri olei, quod in templi dedicatione necessarium erat. Judas Macchabæus cum urnulam olei in templo invenisset, quod uni tantùm nocti sat erat, & impossible esset aliud oleum sacrum nisi intra octiduum comparare: nam urbs Tehoa quatuor dierum itinere Hierosolymis distabat, Deus miraculum fecit, & oleum illud ita conservavit, ut per octiduum arserit. Hujus festi fit mentio *Joh.* 10: 22. *Facta sunt Encœnia Hierosolymis & hyems erat.* Judæi hoc festo solent quasdam peculiares benedictiones recitare, quas in peculiari chartula imprimere solent, eæque sunt hæ sequentes: ברוך אתה יהוה אלהינו מלך העולם אשר קדשנו במצותיו.

Digitized by Google

באיאמת׳ שעשה ניסים במצותיו וצונו להדליק נר של חנוכה. Secunda est, באיאמת׳ שהחיינו וקימנו לאבותינו בימים ההם ובזמן הזה. Tertia est, והגיענו לזמן הזה *Benedictus Jehova Deus noster, Rex mundi, qui nos sanctificavit præceptis suis, & præcepit accendere lucernam Chanuccah*, 2. —— *Qui fecit prodigia Patribus nostris diebus illis & tempore hoc*, 3. — *Qui vivificavit nos, & confirmavit nos, & pervenire fecit nos usque ad hoc tempus.* Cætera quæ de hoc festo dici possunt, vide in Synagoga Buxtorfii cap. 28.

Figura Candelabri, septem candelis ornati, quod accenditur à Judæo in festo Encæniorum.

DISSERTATIO QUADRAGESIMA PRIMA.

Quæ est pars nona & ult.

DE

MENSURIS TEMPORUM V.&N.T.

In specie

De Anno Sabbathico & Jubilæo.

I. *Septimus annus est annus Sabbathicus, docetque ipsos agros ad Deum pertinere.*
II. *Agri hoc anno non colebantur, & debita à creditoribus non exigebantur.*
III. *Deus populo Judaico uberrimè anno sexto benedixit.*
IV. *Rationes, quare Deus hunc annum Sabbathicum instituerit, sunt diversæ.*
V. *Jubilæus videtur sic vocari à peculiari sono qui tum edebatur.*
VI. *Jubilæus initium sumpsit à die decimo mensis Septembris, & ab anno 14. ingressus in Terram sanctam.*
VII. *Jubilæus continebat quadraginta novem integros annos, & incidebat in annum quinquagesimum.*
VII. *Judæi hoc anno servos manumittebant; prædia prioribus dominis restituebant &c.*
9. *Rationes dantur quare Deus Jubilæum instituerit.*

I. SEquuntur jam festa stativa, sive post aliquot annos recurrentia; eaque sunt annus Sabbathicus & Jubilæus. Sicuti septimus dies inter dies hebdomadæ est & fuit sacer, sic etiam septimus annus inter annos sacer fuit. Deinde sicuti Sabbathum *hebdomadarium* denotabat ipsos Judæos esse Dei populum; quique

 pro-

Digitized by Google

propterea etiam à propriis suis operibus abstinebant; similiter Sabbathum *Septennale* denotabat præter Judæos etiam ipsos agros ad Deum pertinere.

II. De hoc anno Sabbathico *primò quæritur;* Quæ potissimum hoc anno fuerunt observanda?

Resp. Præcipuè hæc duo. 1. Agri hoc anno non colebantur: ita mandavit Deus *Exod.* 23: 10, 11. *Sex annis conseres terram tuam; & colliges proventum ejus: Septimo autem intermittito eam, & relinquito eam incultam, ut comedant egentes è populo tuo, residuum verò eorum comedant bestiæ agrestes: sic facito vineæ tuæ & oliveto tuo.* Eadem ferè *Levit.* 25: 3. repetuntur. Hic annus terræ quies vocatur *Levit.* 25: 6. שבת הארץ *Sabbathum terræ.*

2. Debita hoc anno à creditoribus non exigebantur: hinc vocatur *annus remissionis;* quia debita remittebantur & condonabantur. Hanc legem Deus præscripsit *Deut:* 15: 1, 2, 3. *Septimo anno facies intermissionem. Hoc autem esto jus intermissionis, intermittito omnis creditor, jus habens vindicandi manu suâ, id quod vindicaturus esset à proximo suo: Ne exigito à proximo tuo & à fratre tuo, quum indicta fuerit intermissio Jehovæ. Ab alienigenâ exiges, &c.* Hæc intermissio appellatur *Deut.* 15: 2. שמטה ליהוה *Schemitta Laihova*, intermissio Jehovæ. Et quemadmodum שבת *Sabbathum* significet septimum diem septimanæ & integram hebdomadam; sic etiam שמטה denotat & annum septimum intermissionis, & integros septem annos, h. e. totius hebdomadis annalis complexum. *Vide Lex. Hebr. Buxtorf. Rad.* שמט.

III. *Secundò quæritur;* Quid ergo ederunt anno septimo, si non licitum fuit eo anno agros colere?

Resp. Deus anno sexto uberrimè benedixit populo Judaico in proventu terræ. Hæc difficultas solvitur *Levit.* 25: 20, 21. *Si dicatis, quid comederemus anno illo septimo? Ecce non sumus seminaturi neque collecturi proventum nostrum. At amandabo benedictionem meam vobis anno sexto, ita ut proferat in annos ternos proventum suum.* Nihilominus quoties exteri reges illis pecunias imperaverunt, septimus quisque annus ita in angustum oppidò, omnes eorum copias coëgit, penè ut pendere eas nequiverint: nam Judæi res opesque omnes sitas in agris habebant. Ex illis vel abundantia eorum, vel egestas pependit. Non enim mercaturæ exercendæ ergò maria transibant, neque exteros visebant, neque ab his visebantur: sed intra terræ suæ fines, iis contenti opibus, quas illic natura producebat, vitam procul commerciis agitavêre. Hinc Alexander Macedo, cùm Jerosolymæ ex Danielis libro didicisset dominationem Persarum olim Græco ab

Digitized by Google

co ab homine destruendam, lætus vaticinio, quasi ad se pertineret, Judæos petere ingens beneficium aliquod jussit. Ibi illi significaverunt, nihil sibi posse majus dari, quàm uti ne rex septimi anni tributa exigeret, idque impetrârunt. Sed Samaritanis idem petentibus fuit denegatum. *Vide Cunæum de Rep. Hebr. lib.* 1. *c.* 4.

IV. *Tertiò quæritur*; Quare Deus annum Sabbathicum instituit?

Resp. 1. Si agros *civiliter* consideremus, dicendum est Deum propterea quietem agrorum mandasse, ne Judæi, nimiùm avaritiæ dediti, terram indesinenter colendo, sulcando & arando omni succo & fœcunditate destituerent, ac proinde sterilem redderent. Uti enim res aliæ commodâ vicissitudine delectantur & recreantur, ita quoque & terra suâ gaudet quiete.

2. Si *mysticè* hanc quietem consideremus, dicendum est Deum voluisse eis repræsentare statum integritatis Adami ante lapsum, in quo spontaneis tantùm fructibus vescebatur.

3. Deus voluit eos docere ne nimiùm laboribus suis confiderent, sed ut se providentiæ divinæ subjicerent; utque crederent Deum posse se sine externo illo labore sustentare.

4. Deus voluit hâc ratione adumbrare æternum illud Sabbathum, scil. vitam æternam, ubi omnes labores & miseriæ præsentis vitæ, & creditorum crebræ & exosæ exactiones & emunctiones finem habebunt, debitaque omnia in hoc mundo contracta gratis credentibus dimittentur. *Vide Thummium de festis.* Si quis omnia particularia, hoc anno Sabbathico observanda, desideret, adeat Misnajoth, ubi in parte primâ inveniet integrum tractatum, qui vocatur שביעית *annus Septimus.*

DE JUBILÆO.

V. Alterum festum stativum est יובל *Jubilæus*, sive annus quinquagesimus, de quo *primò quæritur*; Quid vox יובל (*Jubilæus*) denotat, & unde derivatur?

Resp. Quod vox יובל origine sit Hebraica nemo dubitat: sed circa Etymologiam ejus assignandam omnes non conveniunt. 1. Sunt qui יובל explicant per *arietem*, & synechdochicè per *cornu arietinum*: quia hoc festum cornu arietino solenniter promulgari solebat. Paraphrastes Chaldæus voces *Jos.* 6: 5. בקרן היובל *cornu arietis* ita etiam exponit per בקרן דכרא.

2. Alii per *allationem*, *reductionem* & *restitutionem* explicant, à verbo הוביל *adduxit*, *reduxit*: quia hic annus quinquagesimus unicuique pro-

Digitized by Google

ventum hæreditatis suæ apportabat, & unumquemque in hæreditatem restituebat. Sed vox יובל usitata fuit, antequam solennis illa anni quinquagesimi emancipatio esset instituta. *Exod.* 19: 13.

3. Alii à *diductione soni* derivant; quod anno quinquagesimo sonus solemni ritu diduceretur, h. e. quod in alia loca tubæ sonitus duceretur, donec tandem illius cantu universa terra Israelitica personaret.

4. Alii à Jubal, primo inventore instrumentorum musicorum, deducunt.

5. Alii à peculiari sono, qui tum edebatur, vocem יובל deductam volunt: sic *Num.* 10: 26. fit mentio gemini clangoris tubæ, scil. תקיעה & תרועה. *Ille* denotabat vocem æquabilem, officiumque ejus erat domi convocare coetus; *hic* vero significabat fragorem celerrimum, concisumque, & officium ejus erat movere castra, & excitare militum animos ad prælium. Sic Israelitæ ad Jubilæum indicendum utebantur quidem שופר תרועה *tubâ clangoris*, sed quæ sonum dedit certum & distinctum, quem S. Scriptura יובל *Jubilum* appellat. Hinc Latini, qui multas voces ex linguâ Hebræâ mutuati sunt, dicunt *jubilare*, quod denotat clamorem lætum tollere, aut sonum indistinctum & confusum edere, gaudii & exultantis animi indicem. Hæc ultima sententia est verosimillima, & ab Hottingero in *Analectis, Dissert.* 3. approbatur.

VI. *Secundò quæritur*; A quo die & anno Judæi Jubilæos inceperunt supputare?

Resp. A decimo die in mense Tisri sive Septembri, *Lev.* 25: 9. & quidem ab anno decimo quarto ingressûs in terram sanctam supputârunt Jubilæos. Septem enim annos transegerunt in occupatione terræ, & septem in ejusdem divisione.

VII. *Tertiò quæritur*; Utrum Jubilæi inciderunt in annum quadragesimum nonum; an verò in annum quinquagesimum?

Resp. Jubilæi in annum quinquagesimum, sive in initium ejusdem anni incidebant. Jubilæi ergo continebant solidos annos 49. & ab initio anni quinquagesimi incipiebant Jubilæi; sic dicitur *Levit.* 25; 8, 10, 11. *Numerabis tibi septem septimanas annorum, septem annos septem vicibus, ita ut tempus septem septimanarum annorum sint tibi quadraginta novem anni. Ut sanctificetis annum quinquagesimum, & proclametis libertatem in ipsâ terrâ omnibus habitatoribus ejus; Jubilæi* annus *ille esto vobis. Jubilæus hic est, annus quinquagesimus esto vobis.* Ergo annus quinquagesimus fuit annus ultimus Jubilæi, & simul annus primus sequentis Jubilæi.

VIII. *Quartò quæritur*; Quid Judæi in Jubilæis fecerunt, & à quibus se abstinuerunt?

Resp.

Resp. 1. Judæi omnes servos suos manumittebant. 2. Prædia, & bona alia immobilia, ut ædes, agros, vineas & hortos absque pretio dominis restituebant, *Lev.* 25: 10. Hæc conditio in emtione & venditione semper subintelligebatur. Imo si aliquis agrum suum absolutè in æternum vendidisset, nihilominus tenebatur emptor eum in Jubilæo restituere. Si quis dono dedisset agrum, etiam eundem anno Jubilæi donator recipiebat. Sed ædificia, quæ in urbe mœnibus cincta erant, illa eodem anno quo vendebantur, redimi debebant, aliter anno elapso cedebant in possessionem emptoris, nec in Jubilæo restituebantur, *Lev.* 25: 29. 3. In Jubilæo non colebant terram, *Lev.* 25: 11. 4. Non metebant spontè crescentia, neque vindemiabant uvas intermissarum vinearum, *vide ibidem.*

IX. *Quintò quæritur*; Quare Deus Jubilæos instituit?

Resp. 1. Ut tribus & familiæ Israelitarum conservarentur: nam agri ad proprias tribûs, & servi ad proprias familias redibant: aliter enim facilè tribus & familiæ fuissent turbatæ. 2. Ut Deus misericordiam suam ostenderet erga servos in eorum dimissione; & erga pauperes in restitutione bonorum immobilium.

Jubilæi mysticè denotabant. 1. Quod nos in æterno Jubilæo, qui in hâc vitâ inchoatur, tubâ Evangelii liberum accessum simus habituri ad avitas possessiones amissas, scil. ad amissum Regnum Cœlorum. 2. Sicuti servi in Jubilæis manumittebantur, ita & nos à servitute peccati & diaboli liberati, domini ac hæredes vitæ æternæ constituemur. 3. Quemadmodum in Jubilæis absque messe & vindemia, quæ prohibitæ erant, solâ benedictione Divinâ Israëlitæ vivebant, ita & nos in perpetuo Jubilæo, sine omni rerum indigentiâ, solius Dei benedictione vivemus. Hæc de mensuris Temporum hactenus dicta sufficiant.

DISSERTATIO QUADRAGESIMA SECUNDA,

Quæ est pars prima

DE

IDOLIS VETERIS T.

I. *Dantur Idola Ammonitarum, Assyriorum, Ægyptiorum, Moabitarum, &c.*

II. *Tempus primum inceptæ Idololatriæ inquiritur.*

III. *Generalia Idolorum nomina enumerantur.*

IV. *Idola in masculino & fem. genere*

nere usurpantur.

V. *Quidam Idololatriam ad tres, alii ad decem species referunt.*

VI. *Idolum* מוֹלֶךְ Molech *variis modis scribitur, & putatur esse originis Ægyptiacæ.*

VII. *Moloch putatur esse Mars.*

VIII. *Idolum Moloch fuit erectum prope Hierosolymam in valle Hinnom.*

IX. *Forma Molechi tribus modis describitur.*

X. *Infantes in Idolo Molochi revera fuisse combustos probatur variis rationibus.*

XI. *Causæ recensentur quare filios suos combusserint.*

I. HOmines primævi, non contenti cultu veri Dei, se ad falsos Deos & Idola, instigante diabolo, contulerunt. Et quoniam nonnullorum falsorum Deorum & Idolorum in Veteri T. fit mentio, quorum cognitio Theologis & Philologis ad S. Scripturam benè intelligendam per quàm necessaria est: ideo non abs re me facturum arbitror, si generalem & specialem illorum Idolorum descriptionem breviter delinearem. *Illa* de origine Idololatriæ, & de Idolorum nominibus in genere aget; *hac* verò de Idolis in specie breviter & succinctè tractabit, scil. 1. De Idolis Ammonitarum, ut Moloch. 2. De Idolis Assyriorum, quæ sunt Asima, Adramelec, Anamelec, Nergal, Nisroch Nibchas, & Thirtak. 3. Ægyptiorum, ut Rephan, Thamuz, Teraphin, Apis sive vitulus aureus, & Baal-Zephon. 4. De Idolis Moabitarum, ut Baal-Peor & Camosch. 5. Zidoniorum, ut Astaroth. 7. Philistæorum, ut Baal-Zebub sive Baal-Zebul. 7. Asdodæorum, ut Dagon. 8. Syrorum, ut Gad.

II. Circa generalem Idolorum descriptionem *primò quæritur*; Quo tempore Idololatria incepit? —

Resp. Non est omnium eadem sententia. 1. Nonnulli primam Idololatriæ originem referunt ad tempora Enoschi: ita ait Maimon *Tractatu* de *idolol. c.* 1. §. 1. בימי אנוש טעו בני האדם טעות גדול ונבערה עצת חכמי אותו הדור ואנוש עצמו מן הטועים היה. וזו היתה טעותם. אמרו הואיל והאל ברא כוכבים אלו וגלגלים להנהיג את העולם—כיון שעלה דבר זה על לבם התחילו לבנות לכוכבים היכלות ולהקריב להן קרבנות *In diebus Enoschi errârunt homines errorem magnum, & obbrutuit consilium sapientum generationis illius; imo ipse etiam Enoschus inter errantes fuit. Hic autem fuit error eorum, ut dicerent: Ecce Deus creavit stellas istas & sphæras, ut gubernarent mundum. —— Cum vero hæc opinio ipsorum corda invasit, inceperunt ædificare stellis templa, illisque offerre sacrificia.* Occasionem huic opinioni dedit Textus ex *Genes.* 4: 26. male explicatus & translatus. *Et Seth natus est filius, & vocavit nomen ejus Enosch,* אז הוחל לקרא בשם יהוה *tunc cæptum est invocari nomen*

men Jehovæ. Sed hic Textus à multis aliter transfertur: *Tunc profanatum est in invocando nomine Jehovæ:* nam חלל sæpe *profanare* significat, ut *Lev.* 19: 12. וחללת את שם אלהיך *Et polluës nomen Dei tui.* Onkelos simili modo transfert, בכן ביומוהי חלו בני אנשא מלצלאה בשמא דיהוה *Tunc in diebus ejus supersederunt filii hominum ab invocando nomen Jehovæ.* Paraphrastes Chaldæus sub Jonathanis nomine tritus, clariùs hanc opinionem confirmat, cum ait: הוא דרא דביומוהי שריאו למטעי ועבדו להון טעון ומכנין לטעותהון בשום מימרא דיהוה: *Illa erat ætas, in cujus diebus inceperunt errare, & fecerunt sibi Idola, & cognominabant Idola sua nomine Sermonis Jehovæ.* Schalf. Hakkab. p. 92. 6. addit eum etiam Imagines fabricâsse: אנוש היה ראשון למצא צורות כדי להעיר רוח חבריות שיתפללו לאלוה באמצעותם *Enoschus fuit primus qui invenit Imagines, ad excitandum spiritum creaturarum, ut mediantibus illis Deum invocent.* Alii tamen Textum *Genes.* 4: 26 vel de publicis cœtibus, vel certa precandi formulâ, vel de nomine Jehova ah Enoscho primùm usurpato interpretantur.

2. Alii Chamum primum Idololatriæ esse inventorem arbitrantur.

3. Alii posteris Arami hoc inventum adscribunt; quia post Captivitatem quilibet Gentilis vocatus est ארמאה *Syrus.*

4. Ut ut sit, interna & subtilis Idololatria videtur primùm sedem suam fixisse in Kaini familia; sed externa & crassa, consistens in publico Idolorum cultu, videtur adscribenda Chami nepotibus, h. e. Sabæis. Vide *Hottingerum in disput. de εἰδωλογραφίᾳ.*

Secundò quæritur; Quænam sint generalia Idolorum nomina, quibus communiter Idola in Veteri T. denominantur?

Resp. Ea sunt varia. 1. A cultu vocantur אלהים *Dii, Exod.* 22. 19. *Qui sacrificat* לאלהים *Diis falsis, anathema sit.* Et *cap.* 32. *vers.* 31. Vitulus aureus tali nomine insignitur. Hoc nomen אלהים, quod aliàs in primariâ significatione vero Deo tribuitur, datur etiam falsis Diis; quia Idola sive falsi Dii pro vero Deo à cultoribus suis habentur.

2. A formâ nominantur צלם *Imago*, Num. 33: 52. *Perdetis omnes Imagines fusas eorum; &* פסל *Idolum sculptum*, Exod. 20: 4. *Ne facito tibi sculptile.*

3. Ab effectu appellantur און *molestia*, *Idolum*, 1 Sam. 15: 23. quia homines quoad animam & corpus ex Idolorum cultu molestiâ afficiuntur.

4. עצב *dolor, Idolum*, plur. עצבים *dolores, simulacra*, Psal. 106: 36. *Et coluerunt* את עצביהם *dolores illorum*, h. e. imagines illorum. Idola vocantur *dolores*, quia dolores quotannis, statuis & monimentis mortuorum, qui postea

Digitized by Google

postea in Diis recensiti sunt, conspiciendis, instaurabantur; vel quia cultus Idolorum cum dolore & cruciatu erat conjunctus; sive quia æternorum dolorum & cruciatuum causa existebat.

5. מפלצת *horror, Idolum*, 1 Reg. 15:15. Rabbi Levi ad hunc locum ait Idolum sic vocari שהוא מביא פלצות וצרות רבות לעובדיו *Quia adducit horrorem & calamitates multas cultoribus suis.*

6. בשת *pudor, pudendum Idolum*, Jer. 11:13. Quia ab homine ingenuo nihil alienius esse debet, quàm cultus Idoli.

7. Idola vocantur צירים *tormina, dolores*, ut Jes. 45:16. ubi denotat *Imagines, Idola*: quia cultoribus dolores excitant.

IV. *Tertiò quæritur*; Cum Deus masculino genere in S. Scripturâ proponatur: queritur, An idem genus etiam Idolis tribuatur?

Resp. Profani auctores voces אלהי צדנים (*Dii Sydoniorum*) in Veteri T. occurrentes, transferunt per θεὰς Σιδωνίων in fœm. gen. LXX. Interpretes vocabulo Baalis modò articulum Masculinum præfigunt, *Num.* 22: 41. τῦ Βάαλ, modò fœmininum *Jerem.* 2:28. ἔθυον τῇ Βάαλ. Hinc Apostolus in Novo T. ad *Rom.* 11:4. etiam in fœm. gen, usurpat, οἵτινες οὐκ ἔκαμψαν γόνυ τῇ Βάαλ, *Qui non flexerunt genu Imagini Baalis.* Profani auctores putant Venerem marem & fœminam fuisse: hinc Græcis & Romanis Venus armata & barbata culta fuit. Ideo etiam *Lunus* & *Luna*, uti etiam apud Hebræos ירח Masc. & לבנה Fœm. gen. dicitur.

V. *Quartò quæritur*; Ad quot species Idololatria, cujus meminit S. Scriptura, potest referri?

Resp. Rabbi Moses Nachmanides in Legem in sectionem יתרו scribens, ait tres dari species Idololatriæ.

Prima est quâ coluntur Angeli. Nonnulli credebant quidem summam & absolutam potestatem esse penes Deum, nihilominus tamen etiam colebant Angelos: quia existimabant eos posse benefacere & malefacere. Hæc species interdicitur *Exod.* 22:19. *Sacrificans* לאלהים Diis, *occidetur.*

Secunda species Idololatriæ est, quâ Idololatræ coluerunt Exercitum cœlestem, Solem, Lunam, aut aliud aliquod Sydus cœleste. Credebant se cultu suo demereri Sydus illud, ut ipsis prodesset, 2 *Reg.* 17:16. *Incurvârunt se universæ militiæ Cæli.*

Tertia est quâ coluntur Diaboli; quia credebant eos posse nocere hostibus. Hujus speciei fit mentio *Deut.* 32:17. *Sacrificârunt Dæmoniis.*

Abarbenel in Comment. ad 2 *Reg.* 17. non quidem rejicit hanc Nachmanidis sententiam; sed ait eum nimis generaliter istas species proponere,

re; & quaſdam alias ſpecies omittere: ideoque ipſe Idololatriam. Veteris T. ad decem ſpecies refert.

Prima ſpecies Idololatriæ eſt quâ coluerunt Angelos.

Secunda eſt, quâ coluerunt Exercitum cœleſtem, Solem, Lunam, Stellas, &c.

Tertia eſt cultus figurarum & Imaginum quæ *Taliſman* vocantur: eas certis horis faciebant, ut ipſis eloquerentur & indicarent futura. Hi cultores colebant Imagines & figuras. De hâc ſpecie agitur 2 *Reg.* 17: 16. *Fecerunt ſibi conflatile, duos vitulos & lucum.*

Quarta ſpecies eſt cultus Imaginum peculiarium pro felici accretione plantarum & agricultura. Hoc artificium vocabatur עוֹנְנוּת & artifices ſive cultores מְעוֹנְנִים. Hi eligebant certas horas, quæ conducere videbantur ad multiplicandos proventus terræ. De hâc ſpecie ait Textus 2 *Reg.* 17: 10. *Statuerant ſibi Statuas & Lucos in omni colle excelſo, & ſub omni arbore virente.*

Quinta eſt cultus figurarum Teraphim: harum factores credebant, quod ipſæ doceant, per ſigna ab ipſis prodeuntia, res futuras. Illæ figuræ in ſomnio aut in viſione credebantur indicare futura, *Zach.* 10: 2. *Theraphim loquuta ſunt vanitatem.*

Sexta eſt quâ coluerunt animalia irrationalia, ut Aſtaroth, Dagon, &c. 2 *Reg.* 17: 12. *Coluerunt Deos ſtercoreos.*

Septima ſpecies Idololatriæ vocata קסם *Divinatio*, eſt, quâ coluerunt Mortuos aut Oſſa eorum, credentes ſe per ea expiſcari poſſe futura. Qui tali modo futura inquirebat, vocabatur אוב *Pytho*, vel ידעוני *Ariolus*. De hâc ſpecie ſcribit Jeſaias *cap.* 8. *verſ.* 19. *Quum dicunt vobis, conſulite Pythones aut Ariolos qui pipiunt. & qui muſſitant: nonne populus Deum ſuum conſulturus eſt? Pro viventibus mortuos conſulat?*

Octava eſt, quando colunt Cæſares & Reges, qui proſperè geſſerunt bella ſua, multaſque terras ſibi ſubjecerunt. Credebant Deum eos in terrâ conſtituiſſe ſuo loco: propterea eorum Imagines faciebant, & ſe eis incurvabant. Talis fuit ratio Nebucadnezaris, item Senacheribi dicentis *Jeſ.* 14: 14. *Aſcendam ſupra excelſa nubis denſa, me æquabo Excelſo.*

Nona ſpecies vocata ניחוש, eſt eorum, qui judicant ex rebus quæ per accidens eveniunt, & ex iis putant ſe judicare poſſe de futuris. De hâc ſpecie loquitur Ezechiel *cap.* 21. *verſ.* 21. *Stabit Rex Babylonia in bivio, in capite duarum viarum, ad divinandum divinationem, terget cultros, conſulet imagines, inſpiciet jecur.*

Decima ſpecies, vocata כשפים, eſt eorum qui colunt Dæmones. Hæc con-

venit cum tertiâ ſpecie Nachmanidis. Abarbenel ait eam ſpeciem frequentiùs inveniri inter mulieres ob infirmiorem earum animum: hinc Textus ait *Exod.* 22: 17. *Magam vel veneficam non ſines vivere.* Vide plura de decem his ſpeciebus Idololatriæ in diſſertatione 7. quam Buxtorfius ex Abarbenele unà cum aliis diſſertationibus ex Linguâ Hebræâ in Latinam tranſtulit.

Nos omiſſis illis decem ſpeciebus, quæ omnes ab Abarbenele dicuntur inventæ inter Iſraelitas, agemus de omnibus, etiam de peregrinis Idolis, quorum mentio fit in Sacris literis; & quidem ſecundùm Nationes à quibus ea fuerunt culta & honorata, uti in principio hujus Diſſertationis diximus. Sequitur igitur talis ſpecialis Idolorum ſecundùm Nationes enarratio, in quâ ab Ammonitarum Idolo Moloch exordium ſumemus.

VI. *Primò quæritur;* Quot modis Hebraicè Moloch ſcribitur in V. T. & unde derivatur?

Reſp. Communitèr vocatur מֹלֶךְ *Molech*, ſed 1 *Reg.* 11: 5. vocatur מִלְכֹּם *Milcom*, & Seph. 1: 5. מַלְכָּם *Malcam* Syrus & Arabs ſcribunt מלכום *Melcom*, & Theodotion μιλχόμ.

2. Multi nomen Molech originis Hebraicæ eſſe volunt; & propterea derivant vel ab הלך *ambulavit*, vel à מלך *regnavit*: ſed veroſimile eſt hoc nomen potius eſſe originis Ægyptiacæ: quia cultus Molechi non à Judæis tranſiit ad Ægyptios, ſed è contra ab Ægyptiis ad Judæos: & propterea cum res nata ſit in Ægypto, non mirum etiam ſi ipſum vocabulum ibidem fuerit natum: nam adhuc hodie Regem devaſtationis Copticè ſolent vocare Moloch. Hotting. *in Bibl. Orient.* p. 313. ait: *Meloch Rex devaſtationis eſt. Meloch, ſive Tiphon Ægyptiorum, malus genius, omnia deſtruens, dominus tonitruum & ignis, & commotionis credebatur.* Ægyptii nomen Regis commune habent cum Hebræis, Chaldæis & Syris. Molech ergo denotat Regem.

VII. *Secundò quæritur;* Quale fuit hoc Numen Moloch?

Reſp. Multi putant eſſe Saturnum, partûs & procreationis liberorum causâ, ſacrificiis cultum & adoratum. Sed aberrant, intelligitur Mars: nam Molech Ægyptiis aliàs Typhon dicitur: & Perſis Mithra, qui Mars eſt. Qui Saturnum fuiſſe volunt, communione Sacrorum decipiuntur: nam non obſtet; quo minus utrique Idolo recepta fuerit ἀνθρωποθυσία *hominis ſacrificatio.*

VIII. *Tertiò quæritur;* Ubinam hoc Idolum fuit erectum?

Reſp. Jalkut in Comment. in Jerem. *cap.* 7. ait: *Etſi fuerint omnes domus*

Digitized by Google

mus idololatricæ in ipsâ urbe Jerusalem; Molechi tamen fuit extra urbem in loco separato. Sed ubinam? בני חנם *in valle Hinnom*, sive בני בן חנם *in valle filii Hinnom*, quæ in agro suburbano erat. Sed unde illa vallis ita fuit nominata? A rugitu seu lamentis puerorum dum exurebantur: nam חנם derivatur à נחם *gemuit*, *rugiit*. Locus ille Siloë fontibus irrigabatur, & Hieronymi ævo amœnus erat, nemorosus, & hortorum beatus deliciis. Josias 2. *Reg.* 23. locum illum contaminavit, projiciendo illic cadavera, fimum, stercora ac omnes res immundas, ne amplius horrendæ isti Idololatriæ consecratus esset, aut religiosus haberetur, uti Kimchi annotat. *Vide Lex. Hebr. Buxt.* Rad. גיא. Idem ad Psal. 27: 13. annotat: *Gehinnom est locus vicinus urbi Jerusalem, contemptissimus, in quem projiciebant sordes ac cadavera, fuitque illic ignis continuus ad comburendum cadavera, ossa ac reliquas sordes.* Inde, ab horrendis istis cruciatibus & igne perpetuo, postmodum locus impiorum, in quo pœnas æternas sustinebunt, vocatus est גיהנם *Gehinnam* h. e. *γέεννα Gehenna.* Eò tendunt verba Christi Matth. 5: 22. *εἰς τὴν γέενναν τοῦ πυρὸς In Gehennam ignis.*

In hâc valle Hinnom erat locus excelsus תפת *Topheth* dictus, in quo sacrificuli idololatræ immolabant liberos Idolo Molech. Sed unde ille locus vocatur תפת *Topheth*? à תוף *tympano*, vel תפים *tympanis*: nam sacrificuli, ne lamenta illa & gravissimi ejulatus filiorum à parentibus exaudirentur, tympana pulsabant.

IX. *Quartò quæritur*; Quæ fuit forma & figura Idoli Molech?

Resp. Jalkut in loco suprà cit. ait: Imago Molechi erat ærea, habens faciem vituli, manus expansas instar hominis manus aperientis, ut ab alio aliquid accipiat, intrinsecus excavata. Septem ipsi exstructa fuère sacella, ante quæ Imago ista fuerat collocata. Avem sive pullum columbinum offerens, primum sacellum ingrediebatur; ovem aut agnum, secundum; arietem, tertium; vitulum, quartum; juvencum, quintum; bovem, sextum; qui denique filium proprium offerret, septimum occupabat sacellum. *Vide Lex. Buxt.. Rad.* גיא.

Lyranus in *Levit.* 18. paulò aliter commemorat: Moloch erat Idolum cupreum, ad formam hominis factum, interius concavum, & in illa concavitate fiebat ignis, quousque Idolum esset quasi ignitum, & tunc ponebatur puer inter manus Idoli, & sacerdos tympana percutiens tantùm sonitum faciebat, ut vox pueri morientis audiri non posset, ne parentes compaterentur, sed magis crederent, animam acceptam à Diis in quiete, & sine dolore esse.

Fagius in Paraph. Chald. Levitici ab utroque parumper dissentit, cum

ait:

Digitized by Google

ait: Moloch fuit Imago concava habens septem conclavia. Unum aperiebant similæ offerendæ: aliud turturibus: tertium ovi: quartum arieti: quintum vitulo: sextum bovi: qui verò volebat offerre filium, huic aperiebatur septimum cubiculum; & facies hujus Idoli erat ut facies vituli. Manus planè dispositæ ad recipiendum ab adstantibus. Et saltabant interim quo puer in Idolo succenso igne cremabatur, percutientes tympana ne pueri ejulatus audiretur.

X. *Quintò quæritur*; Utrum infantes in Idolo Molechi fuerint revera combusti; an verò tantùm per ignem fuerint traducti & quasi sebruati?

Resp. Lev. 20: 2, 3. habetur; *Qui dederit de semine suo Molecho*, &c, sed Levit. 18: 21. & 2Reg. 23: 10. interdicitur: *Ne de semine tuo permittito traducendum Molecho*. Hinc duplex nata est sententia. Prior est Salomonis Jarchi, Kimchi, Mosis Kotzensis, &c. qui scribunt non mactatos aut combustos fuisse infantes, sed, duabus extructis pyris, per illarum medium infantes traductos solùm, & ad eum modum purgatos fuisse.

Posterior sententia est aliorum Rabbinorum, qui asserunt illos infantes tamdiu fuisse ustulatos, donec expirarent. Hanc posteriorem sententiam cum plerisque Christianis etiam defendimus propter has rationes. 1. Ex emphaticâ voce ויזבחו *& sacrificârunt*, quæ vox in hac materia occurrit Psal. 106: 37. *Et Sacrificârunt filios suos & filias suas Dæmoniis*. vers. 38. *Et effuderunt sanguinem innocuum, &c.* LXX. & Syri ajunt; *Et immolaverunt filios suos*. Arabes; *Et jugulaverunt filios*.

2. Hic mos immolandi filios à Judæis descendit ad Gentiles: atque hi, iratum Numen placare volentes, revera filios immolârunt, & non tantummodò per ignem traduxerunt.

3. Hebræi, immolantes filios suos, voluerúnt procul dubio imitari exemplum Abrahami, cui Deus Gen. 22: 2. dixerat, *Assume nunc filium tuum unicum Isaacum, & offer eum in holocaustum.* Hinc religio facta est, & immanibus exemplis comprobata, *Jer.* 7: 31. 2. *Par.* 28: 3. Hìc Achaz dicitur arsisse filios suos igne.

4. Probatur ex figurâ Molechi, & loco, qui sacrificio huic erat destinatus. Suprà figuram vidimus. Locus vocatur Gehinnam, qui comparatur Gehennæ infernali ob cruciatus immensos, quos infantes patiebantur in illo loco: atqui si tantùm traducti fuissent infantes per ignem, quæ pœna tam gravis non fuit, tum similitudo ita non quadraret.

5. Gravissimi Auctores Hebræi, Christiani & Gentiles hæc verba Scripturæ aliter non intellexerunt, nisi de combustione totali: ut Josephus

Digitized by Google

phus *lib.* 9. *c.*12. & Philo Judæus *lib. de Abrah.* Ex Christianis Eusebius in oratione de Laudibus Constantini ait; Κρόνῳ γὰρ Φοίνικες καθ' ἕκαστον ἔτος ἔθυον τὰ ἀγαπητὰ καὶ μονογενῆ τῶν τέκνων. *Vide Seldenum de Diis Syris, cap.* 6. Idem confirmat Porphyrius περὶ ἀποχῆς *lib.* 11. cum ait: Phœnicios in extremitatibus gravioribus dilectissimos quosque Saturno obtulisse.

Contra hæc fortè excipiet nonnemo, quod Lev. 18: 21. habeatur tantùm *traducere semen Molecho*: sed traducere non est immolare.

Resp. Sed non obstat quo minus infantes etiam immolarentur seu transeundo planè sacrificarentur.

XI. *Sextò quæritur;* Quare sacrificârunt filios suos Molecho?

Resp. Lyranus in *Lev.* 20. ait, eos obtulisse filios, quia putabant se hâc ratione consequi quicquid vellent. 2. Etiam tali sacrificio sperârunt victoriam contra hostes, uti legimus 2 *Reg.* 3: 27. in Moabitarum Rege, qui filium suum propterea super murum obtulit. 3. Maimon *More Neboch.* l. 3. c. 38. ait, eos traduxisse filios ne morerentur. 4. Rabbi Levi ait: "Falsi flamines patri prolis spondebant, beneficio oblati filii prosperè habiturum reliquum „ ejus semen, quocunque se verteret, adeoque domi suæ habiturum benedi„ ctionem & prosperitatem. Utque dolus faciliùs succederet, nullam ini„ tio fixerunt legem, nisi illi, cui præter semen datum aliud superesset, „ ne obsequium detrectarent, sive comburendus planè fuerit filius, sive „ traducendus tantùm per flammam„. Vide *Hottingerum Juris Hebr. legem* 208.

DISSERTATIO QUADRAGESIMA TERTIA.

Quæ est pars secunda

DE

IDOLIS VETERIS T.

I. *Idolum Asima fuit Hircus, quem coluerunt Assyrii.*
II. *Samaritani non videntur Gen.* 1: 1. *pro Deo posuisse Asimam.*
III. *Idola Adrammelec & Hanammelec conveniunt cum Molocho.*
IV. *Idolum Nergal fuit ignis Idolum.*
V. *Modus colendi hoc Idolum describitur.*
VI. *Idolum Nisroch est ignotum.*
VII. *Uti etiam Nibchas & Thartak.*
VIII. *Etiam dubium est quid* Succoth Benoth 2 *Reg.* 17: 30. *denotet.*
IX. *Ægyptiorum Idolum Ciun Act.* 7: 43.

Digitized by Google

43. *vocatur Remphan, quod putant esse Ægyptiacæ originis, & denotare Saturnum.*
X. *Idolum Thammuz diversimodè scribitur; estque originis Ægyptiacæ. Putatur esse Osiris, Rex Ægyptiorum, à Typhone vitâ privatus. Colebatur planctu & gaudio.*

I. JAm sequuntur Assyriorum Idola, quæ sunt Asima, Adrammelec, Anammelec, Nergal, Nisroch, Nibchas & Thirtak.

Idoli *Asimæ* fit mentio 2 Reg. 17: 30. *Homines Chamathæ fecerunt Asimam.*

De hoc Idolo *primò quæritur*; Quale fuit Idolum, & sub quâ formâ fuit cultum?

Resp. Seldenus *Syntag. de Diis Syris* l. 2. c. 9. fatetur se ignorare, quale Idolum fuerit; *Hamathitarum Deus Asima quid fuerit, non capio. Hebræi plerique Hircum fuisse volunt.* D. Hieronymus in locis Hebraicis scribit: *Asima est oppidum in terrâ Judæ* (hîc includitur etiam Samaria) *quod ædificaverunt hi qui ad eam venerant de Emath*, h. e. de *Hamath.* Verùm non tantùm oppidum fuisse, sed etiam Deum ex S. Scripturâ suprà probatum est. Kircherus in suo Pantheo etiam defendit Asimam Hircum fuisse, quod à nobis etiam approbatur. Multæ gentes Hircum coluerunt; Ægyptii signum Arietis: ac propterea non solùm prohibitum inter ipsos fuit mactare oves, sed etiam in summo contemtu & abominatione fuerunt pastores ovium. Hinc dixit Moses: *Ecce sacrificabimus abominationem Ægyptiorum.* Ad hunc modum ex aliis quidam fuerunt, qui Dæmones colentes, existimârunt, quod forman hircorum haberent: unde & Dæmones שעירים h. e. Hircos appellabant. Vide *Maim.* More Nev. l. 3. c. 46.

II. *Secundò quæritur*; An Samaritani Pentateuchum corruperunt, substituendo ab initio Genes. pro בראשית ברא אלהים *In principio creavit Deus*, בראשית ברא אשימא *In principio creavit Asima?*

Resp. Aben Ezra in præfat. ad Ester. scribit Samaritanos his verbis Pentateuchum auspicari, *In principio creavit Asima.* Sed ob inveteratum in Samaritanos odium calumnia hæc, ut & ejusdem farinæ multæ aliæ à Judæis consarcinatæ sunt, & Samaritanis impactæ. Verum quidem est Dositheum Samaritanum S. Literas impiè & profanè interpolâsse: sed non videtur verosimile eum tam insanum fuisse, ut nomen Idoli loco veri Dei substituerit.

III. Secundum Idolum est *Adrammelec*, & tertium *Hanammelec*, de quibus agitur 2Reg. 17: 31. *Sepharvæi comburebant filios suos igne Adrammeleco & Hanam-*

Digitized by Google

Hanammeleco diis Sepharvajimorum. Quæritur: Quale fuit hoc utrumque Idolum?

Resp. Utrumque Numen fuit unum idemque, & cum Molecho convenit: nam idem cultus Molecho & his duobus Numinibus adscribitur, scil. combustio filiorum per ignem. Porrò *quæritur:* Si sit idem cultus cum Molecho, quare non eodem nomine hoc triplex Idolum insignitur?

Resp. Respectu diversarum gentium, colentium hæc Idola; & respectu diversæ figuræ quâ colebatur hoc Idolum, etiam diversis nominibus fuit insignitum. Ammonitæ Idolum hoc, cui sacrificabant filios suos, vocarunt Moloch, sed Assyrii Adrammelec & Anammelec. Moloch ergo quasi nomen generale fuit. Quemadmodum nomen בעל *Baal* fuit nomen generale multis competens; sed quatenus ad diversas restringitur gentes, etiam diversis nominibus fuit insignitum: ex gr. Ægyptiorum Idolum fuit Baal-zephon; Philistæorum Baal-zebub; Moabitarum Baal-peor: sic etiam nomen Molechi respectu diversarum gentium aliter fuit nominatum.

Deinde hoc Idolum diversâ figurâ fuit cultum: Kimchi refert Adrammelech phasiani aut coturnicis, vel ut quidam volunt, equi effigie fuisse cultum. Posteriori sententiæ favet cæterarum gentium *ἱππολατρεία cultus equorum*, quem sustulit Josias 2. Reg. 23: 11. *Abolevit equos illos quos posuerant Reges Jehudæ Soli, & currus Solis combussit igni.* Vide Hotting. *in disp. de Idolis.*

IV. Quartum Idolum est *Nergal.* de quo legitur 2. Reg. 17: 30. *Homines Cuthi fecerunt Nergal.* Hebraicè dicitur נֵרְגַל *Nergal.* De hoc Idolo *primò quæritur;* Quid denotat propriè Nergal? *Resp.* Hottingerus ex Pantheo Kircheri citat Nergal esse vocem Samariticam, quæ idem denotat quod תרנגול *gallus*, vultque Idolum esse Ignis seu Solis sub galli figurâ. Kimchi Nergal gallinam sylvestrem, & Jarchi gallum gallinaceum fuisse ajunt. Sed illa Etymologia non videtur vera: נרגל enim non ponitur pro תרנגול Seldenus Syntagm. l. 2. c. 8. ita scribit: *Nergal hac sacra forsan vocabant vetustissimi Chaldæorum (à quibus accepisse Persas, rectè conjectat Agathias historiarum* 11.) *quasi à* ניר Nir *&* גל *aut* גלגל galgal *aut* גלל galal *factum, quod utcunque ita vel fontem ignis lucisve, vel ignem aut lucem versatilem, imo πυραθεῖα poterit interpretari. Et optimè cum igne inextinguibili quem in Sacrariis illis, ut Solis symbolum servabant, convenit.*

Secundò quæritur; Quale fuerit hoc Idolum Nergal?

Resp. Procul dubio fuit Ignis Idolum. Nam Ignis antiquitùs apud Chaldæos fuit cultus; adeo ut Ur Chaldæorum, quod habetur *Geneseos Cap.*

Digitized by Google

11, pro eorum Deo Igne capiatur: אור *Ur* enim ignem seu lucem denotat. Maimonid. More Nev. l. 3. c. 30. de vetustissimo Ignis cultu ita scribit: *Notum est quod Abraham natus est in gente quæ serviebat Igni, & in incredulitate illorum qui credebant quod non erat Deus alius nisi Stella. —— Dixerunt quod Sol & Luna sunt maximi Deorum.* Illi opinioni cum Abraham contradiceret, vinculis dicitur mandatus, bonis spoliatus, & in Canaan à Rege exterminatus. Volebant Solem omnia regere, nec alium Deum eo esse superiorem: & Ignis erat Solis symbolum seu signum. Hoc Idolum ergo Nergal sive Ignis est Deus τῦ Nahor, *Gen.* 31: 53. & Dii alieni quibus servierunt Veteres Abrahæ ævo, *Jos.* 34: 2. Imo ante Captivit. Babyl. πυραθεῖα illa cultusque Ignis inter Judæos fuerunt: nam חמנים 2 *Chron.* 34. quæ Rex Josias destruxit, sunt Pyrathæa talia; *Diruerunt coram eo altaria Baalim, &* חמנים simulachra *comminuit.* Per simulachra Rabbini effigiem Solis intelligunt. Nam Solem & Calorem חמה *Chammah* vocant. Inde vox Chamanim sumitur pro sacratis Solis sive simulachris sive septis aut pyrathæis. *Levit.* 26: 30. ait Textus: *Ego eliminabo excelsa vestra & exterminabo* חמניכם Chamanechem, h. e. Idola vestra Solis honori dicata, ut interpretantur Hebræi. Et quia Persæ hunc cultum à Chaldæis acceperunt, inde etiam Ignem coluerunt. Persarum Dii fuerunt quidem multi, sed præcipuus erat Ignis, quem in omni sacrificio imprimis, ut Romani Janum, invocabant. Sic Strabo; ὅτῳ δ' ἂν θύσωσι θεῷ, πρώτῳ τῷ πυρὶ εὔχονται. *Vide Seldenum loco cit.*

V. *Tertiò quæritur;* Quomodo fuit cultum hoc Ignis Idolum?

Resp. 1. Persæ usualem ignem mundè tractabant, nec licitum erat talem ignem immunditiis polluere. Hinc Euphrates Persa apud Dioscoridem Antholog III. c. IV. corpus suum vetat cremari, ne ignem inquinaret —— πῦρ ἢ μιῆναι,

ἡμῖν τῦ χαλεπῦ πικρότερον θανάτυ.

Ignem autem polluere nobis acerbius est amara morte.

2. Deinde sacella sive templa πυραθεῖα vel πυρεῖα dicta, Igni consecrabant, in quibus Idolum Ignis inextinguibilis servabatur. Strabo tanquam oculatus testis *lib.* 15. hoc affirmat: *In Cappadocia, magna est Magorum multitudo, qui Pyrethi dicuntur. Multa item Persicorum divum fana. —— Sunt etiam* πυραθεῖα sacraria *quædam memoratu digna. Horum in medio ara est in qua cinis multus. Ignem ibi inextinguibilem servant Magi,* &c.

3. Colebant Ignem ut Deum suum, & tanquam Solis symbolum. Chaldæi tandem cultum religiosum & Soli & Igni detulerunt, quod cum Abraham præstare noluisset, patriâ ejectus est. *Vide Hottingerum Smeg. Orient.*

Digitized by Google

ent. p. 293. *& in disput. antea cit.* Quæ de Persis hîc probavimus etiam inter Chaldæos videntur fuisse usitata: nam Persæ hujus Idoli cultum didicerunt à Chaldæis.

VI. Quintum Idolum est *Nisroch*, de quo bis agitur, 2 Reg. 19: 37. & Jes. 37: 38. *Factum est ipso se incurvante in æde Nisroch Dei sui*, &c.

Quæritur: Quale est Idolum Nisroch? *Resp.* Notæ marginales in Bibliis Belgicis dicunt esse Deum Ninivitarum. Seldenus Syntagm. l. 2. c. 10. ait: *Numen erat Assyriorum, templum ejus, ut videtur, in Ninive. De eo præterquam quæ in his locis leguntur, me nec quicquam scire nec hactenus legisse fateor.* Lxx. Seniores in 2. Regum libro illud Idolum vocant Μεσοϱὰχ, in Jesaia vero Ασαϱὰχ. Kircherus in Pantheo putat fuisse *Naviculæ Imaginem*, quæ Arcam Noæ repræsentaret. Hoc ut probet, putat historiam Noachi, Diluvium, Arcæ quietem, & reliquias ejus Orienti fuisse notissimas; eas Arcæ reliquias putat ab Orientalibus in medicinam esse conversas, & ab aliis etiam cultas. Hinc Assyrios mutasse suum נסרוך h. e. נסרא נוחא *Tabulam Noachi*; adeo ut Arcula fuerit, sive Navicula ab Assyriis culta. Alii verosimiliter explicant נסרוך per נסרא נוח *Aquilam* vel *avem Noachi*. Hebræis enim נשר est *Aquila*, & Arabibus נסר *Accipiter*. Hottingerus citat ex Talmude Tract. *Abboda Zara* textum, in quo fit mentio נישרא שבערביא *Aquilæ Arabicæ*, quia, ut Baal Aruch explicat, *in Arabia fuit Ædes idololatrica, in quâ figura Aquilæ lapidi fuit insculpta quam adorabant.*

VII. Sextum Idolum est *Nibchas*, & septimum *Thartak*, de quibus legitur 2 Reg. 17: 31. *Havæi fecerunt Nibchas & Thartak. Quæritur:* Qualia fuerunt hæc Idola? *Resp.* Kimchi & Jarchi ajunt Idolum Nibchas *Canis* imaginem retulisse, & Thartak figuram *Asini*. Ut ut sit, fuerunt Idola sub diversâ figurâ culta.

VIII. An *Succoth Benoth*, de quo scribitur 2 Reg. 17: 30. *Homines Babelis fecerunt Succoth Benoth*, etiam sit Assyriorum Idolum, non satis constat. Kimchi & Jarchi volunt *Succoth Benoth.* esse דמות תרנגלת עם אפרוחיה *Imaginem gallinæ cum pullis suis.* Alii interpretantur *Succoth Benoth* per *Tabernacula filiarum.* Sed Lxx. scribunt σωκχὼθ Βενὼθ, tanquam proprium Numinis vocabulum. Seldenus *Syntag.* l. 2. c. 7. ab antecedentibus dissentit, cum ait: *Atqui explosis omnino Rabbinorum lyris, Succoth Benoth non tam Deum aliquem Deamve quàm fanum ipsum ritusque circa illud sacros denotare censemus. Ipsissimum enim erat Babyloniæ Militta sive Veneris Uraniæ templum, ubi puellæ corollis revinctæ, & sedentes singulis in spatiis, quæ funiculis erant distinctæ, hospites opperiebantur, qui ritè imploratâ Venere Mylitta, pecuniaque quantulacunque data cum eis à fano subductis rem haberent. Nec cuiquam fas*

Digitized by Google

erat prius discedere quàm ad hunc ritum fuerit ad res Venereas electa. Unde fiebat, ut per biennium nonnunquam & triennium expectarent, quæ deformes, miseræ. Lege patria omnibus fœminis erat commune ut semel in vita ita desidentes cum advenis consuetudinem haberent. Hi ritus videntur Levit. 19: 29. vetitis *Non publicabis filiam tuam, ut faciat scortari eam.*

IX. Sequuntur Ægyptiorum Idola, quæ sunt *Ciun* sive Rephan, *Thammuz Teraphin*, *Apis* sive vitulus aureus, & *Baal-zephon.*

De כִּיּוּן *Ciun* agitur Amos 5: 26. *Portastis tabernacula Molech vestri, & Ciun Imaginem vestram, Stellam Deorum vestrorum, quam fecistis vobis.* Hic Textus allegatur in Novo T. *Act.* 7: 43. ubi pro Hebraico *Ciun* in quibusdam exemplaribus habetur, Ῥεμφὰν *Remphan*, in aliis Ῥεφὰν *Rephan*, vel Ῥαιφὰν. Origenes locum illum citans habet Ῥομφᾶ. Seldenus *Syntag.* I. 2. c. 14. ait: *Pro* Ῥεφὰν *stant plerique codicum vulgatorum, atque ita legebant & Syrus & Arabs interpretes.* LXX. Seniores pro *Ciun* in Amozo posuerunt *Raiphan*, quos Lucas in allegatione hujus Textus sequutus est: nam Ciun & Raiphan sive Rephan idem Idolum denotant. Drusius putat Sacros Scriptores *Actor.* 7: 43. pro Rephan debuisse scripsisse *Kephan*, quasi conveniens cum Hebr. כִּיּוּן *Chevan*, Amos. 5: 26. sed erraſſe scribendo Rephan. Verum piaculum esto tale quid sentire de iis, qui Spiritu S. dictante, ex Veteri T. ad rem Christianam promovendam, quid adduxère.

Primò quæritur; Unde Rephan derivatur?

Resp. 1. Qui legunt Remphan vel Romphan, deducunt quasi à רם־פנים, & sic tanquam *Jovem altitonantem* significaret. 2. Alii derivant à *Rephaa Gigante*, quasi olim Hercules, qui sub imagine Gigantis cultus fuit, per Rephan denotatus esset. 3. Alii volunt Rephan esse vocem Ægyptiacam; & illi iterum abeunt in duas classes. *Primò*, quidam putant Herculem Ægyptiorum *Chon* dici. Sed hoc non placet Seldeno: quia credit nondum constare Herculem Ægyptium eâ voce denotari. *Secundò*, Hottingerus admodum probabiliter vocem *Rephan* simpliciter agnoscit esse Ægyptiacam, & denotare Saturnum. Hoc probat. 1. Auctoritate Versionis N. T. Copticæ sive Ægyptiacæ, quæ habet *Rephan*. 2. Consensu tum Commentariorum Copticorum in *cap.* 7. *Actor.* tum Lexici Arabicò-Coptici, quod septem Planetas ordine recenset, & inter eos Ρηφὰν *Saturnum.* Judicamus ergo Rephan esse vocem Ægyptiacam primitivam, quæ à nullâ aliâ voce derivatur, & denotare Saturnum.

X. Secundum Ægyptiorum Idolum est *Thammuz*, de quo legitur Ezech. 8: 14. *Et introduxit me ad ostium portæ domus Jehovæ, quæ est ad Aquilonem, & ecce ibi sedebant mulieres* מבכות את התמוז *plangentes Thammuz.* De hoc Idolo

Idolo *primò quæritur*; Quot modis scribitur hoc Idolum? *Resp.* Vox hæc ambiguè scribitur. Hebraicè est תמוז. Lxx. scribunt Θαμμȣς vel Θαμύζ. Alii *Thamur*, vel *Thamut*. Herodotus & Plutarchus legunt *Ammuz*.

Secundò quæritur; Cujus originis est vox תמוז & quid denotat?

Resp. Est vox originis Ægyptiacæ: & cultus hujus Idoli ab Ægyptiis descendit ad Judæos. Præterea Thammuz duo significat; primò Ægyptiis abstrusum & occultum significat; ut Manetho Sebennites apud Plutarchum interpretatur; quamobrem sacra illius quoque erant opertanea: secundò denotat mensem quartum, sive Junium: quia hoc mense hoc festum Thammuzi celebrabatur.

Tertiò quæritur; Qualis Persona, sivè quale Idolum fuit Thammuz?

Resp. Sunt variæ sententiæ. 1. Jarchi putat Thammuz fuisse Idolum, quod intrinsecus calefaciebant; præterea putat oculos ejus fuisse plumbeos, qui calore ita fuerunt calefacti, ut videretur lacrymare. 2. Kimchi refert esse quosdam qui putent fuisse Imaginem, in cujus oculos plumbum imponeretur; quæ & admoto igne & plumbo liquefacto, flere videretur. 3. *Maimon More Nev.* l. 3. c. 29. talem fabulam, quam originem hujus Idoli putat, enarrat: *Propheta falsus cum prædicaret cuidam Regi, ut serviret septem Stellis & Signis duodecim, præcepit Rex eum interfici gravi morte. Nocte vero mortis ipsius convenerunt omnes Imagines ab extremis terræ in palatio Babylonis ad Imaginem auream, quæ erat Imago Solis; & pendebat inter Cœlum & Terram, & prostavit se in medio palatii, & omnes Imagines circumquaque, & narravit eis quicquid contigerat Thammuz. Imagines vero flebant & lamentabantur per totam noctem. Et consuetum est quotannis in principio diei mensis Thammuz lamentari & flere super Thammuz.* 4. Rejectis sententiis præcedentibus Thammuz ab aliis dicitur esse *Osiris*, Rex Ægyptiorum à Typhone vitâ privatus, quem amissum quotannis in Ægypto defleri jusserat Isis. Hæc Isis præstigiis suis & incantationibus magicis tantam sibi & marito auctoritatem apud Ægyptios comparaverat, ut pro Diis haberentur, & mense quarto colerentur. Assyrii & Phænicii Thammuz aliter vocant אדונים alii Ἀδωνις. Persæ vocant Abobam. Vide Hottingerum *io cit. disput.*

Quartò quæritur; Quales fuerint illæ fœminæ quæ deflebant Thammuz?

Resp. *Junius* per fœminas intelligit Sacerdotes Isidis impudicissimas, quæ phallos & ithyphallos gestabant, indutæ vestibus lineis, & publica lupanaria incolebant in domo Jehovæ cum pueris meritoriis, Osiridis administris.

Quintò quæritur; Quomodo hoc Idolum fuerit cultum?

 Resp.

Resp. 1. Colebatur *planctu*; ita testatur Ezechiel *& plangebant Thammuz.* Hieronymus *Comm.* III. *ad Ezech.* è fabulis notat Adonim interfectum ab apro, idque mense Junio. Revixisse autem & anniversarium ei celebratam solennitatem esse, in qua plangitur à mulieribus quasi mortuus, & postea reviviscens canitur atque laudatur. 2. Colebatur *gaudio*; sic apparet ex loco Hieronymi jam cit. Nam non tantùm propter mortem Osiridis plangebant, sed etiam propter ejusdem reditum onusti gaudio incedebant. Plutarchus scriptum reliquit mortem Osiridis & reditum eodem tempore celebrata: credunt enim Adonim ab inferis reducem fuisse.

DISSERTATIO QUADRAGESIMA QUARTA.

Quæ est pars tertia

DE

IDOLIS VETERIS T.

I. *Origo vocis* Teraphim *inquiritur.*
II. *Variis nominibus hoc Idolum nominatur.*
III. *Certo tempore fabricabatur.*
IV. *Forma Teraphin describitur.*
V. *Modus fabricandi enarratur.*
VI. *Finis hujus Idoli fabrefacti indicatur.*
VII. *Vitulus aureus videtur fuisse Bos.*
VIII. *Ratio datur quare Israelitæ potius Bovem fecerint quam aliud animal.*
IX. *Ægyptii coluerunt Bovem: & propterea Aharon etiam Bovem fecit: nam est magna similitudo inter Bovem Aharonis & inter Bovem Ægyptiorum.*
X. *Aliter Israelitæ, aliter Ægyptii coluerunt Bovem. Peccarunt Israelitæ vehementer in conflando Vitulo.*
XI. *Nescitur quanti ponderis fuerit Vitulus aureus.*
XII. *Figmentum Judæorum est, rubicundas barbas natas esse ex nimio potu Vituli aurei.*
XIII. *Baal-zephon videtur fuisse Idolum & non urbs.*
XIV. *Baal-peor, aliàs vocatum Peor, à nudando habet nomen; vel quia cultores nudi coluerunt, vel diductis faucibus.*
XV. *Quale Idolum, & quomodo cultum fuerit hoc Idolum incertum est.*

I. IDola Ægyptiorum sunt *Rephan*, *Thamuz*, *Teraphin*, *Apis* & *Baal-zephon.* De *Rephan* & *Thamuz* egimus sequitur jam ut de tertio Idolo, scil. de *Teraphin* agamus, cujus quindecim in locis per contextum sacrum Veteris T. fit mentio.

Primò quæritur; Unde vox תרפים *Teraphim* derivatur?

Resp.

Digitized by Google

Resp. Non est eadem omnium sententia. 1. Quidam derivant à תרף *turpitudine* quâ stipantur: hinc בית התרפא dicitur *domus turpitudinis, ignominiæ.*

2. Alii à רפה *remissum esse* deducunt: quia hominum manus reddunt remissas; vel quia res eorum est כמו נבואה רפה *tanquam Prophetia vana & inanis.*

3. Aliis תרפים sunt שרפים quasi certus Angelorum ordo.

4. Hottingerus in *cit. disput.* vocem hanc arcessit ex Ægypto, ut sit composita ex *Ζῶρ cista*, & *απ' bos*, h.e. *Arca bovis*; est Numen cui Ægyptii multa tribuerunt miracula. Probat hanc Etymologiam. 1. quia fabrica Teraphim ab Ægyptiis primùm fuit fabricata: ergo putat ibi etiam nomen fuisse excogitatum. 2. Quia in aliis locis Veteris T. etiam retinentur nomina Ægyptiaca, ut צפנת פענח nomen Josephi *Gen.* 41: 45. מולך Molech, &c. 3. Quia eadem S. Literæ tribuunt Teraphin quæ Ægyptii suis Serapidibus.

II. *Secundò quæritur*; Quomodo aliter Teraphin vocantur?

Resp. 1. *Gen.* 31: 30. vocantur אלהים *Dii.* 2. Onkelos & Jonathan à formâ appellant צלמניא *Imagines*, vel simulachra. 3. Ab effectis vocantur דחלן *Terriculamenta*, vel צלמי טעון *Imagines errorum.* 4. A fine מחוי *Indicantia* scil. futura: ita Chaldæus *Hos.* 3: 4 תרפים transfert. Græci in Ezech. pro Teraphin habent *γλυπτὰ sculptilia*; in Genesi *εἴδωλα*; in libro Judic. *τεραφεὶν*, in Historia Michal & Davidis *κενοτάφια*; in Hosea, *δήλυς*; in Zacharia *τὺς Ἀποφθεγγομένυς.* Aquila vertit per *μορφώματα* vel *φωτισμὺς.*

III. *Tertiò quæritur*; An Teraphin potuerunt fabricari quovis anni & diei tempore?

Resp. Hebræi ajunt Teraphin non potuisse fabricari nisi certo quodam tempore. Jarchi in Comm. 2 *Reg.* 18: 24 scribit: העושה אותן צריך לכון שעה אחת ושנה אחת ראויה לכן *Qui faciebat ea opus habebat respicere horam certam, & annum certum, rei convenientem.* Aben Ezra in *Genes.* 31. ait: אחרים אמרים כי יש כוח בחכמי המזלות לעשות צורה בשעות ידועות ותדבר הצורה *Alii dicunt, esse virtutem in Astronomis faciendi Imaginem certis horis, ita quidem ut illa loquatur.* In libro Zohar in Genesin אמר ר' יהודה לא אתעבידו אלא בשעתי ידיען *Dixit R. Jehuda: non conficiuntur* (Teraphin) *nisi certis horis.* Vide *Hotting. Hist. Orient. l.* 1. *c.* 8.

IV. *Quartò quæritur*; Quæ fuit forma & figura Teraphin?

Resp. 1. Aben Ezra in *Genes.* 31. & Kimchi in 1 *Sam.* 19: 13. ajunt, יש אומרים שהוא כלי הנחשת העשוי לדעת חלקי השעות *Quidam dicunt,* *fuisse*

Digitized by Google

fuisse Instrumentum aneum, eo factum, ut in eo apparerent partes horarum. Cæteri volunt Teraphin habuisse figuram humanam. Hinc R. Levi Ben Gerson ait, התרפין הם על צורת אדם *Teraphin sunt Imagines forma humana.* Hæc sententia potest confirmari exemplo Michalis, quæ loco Davidis Teraphin, h. e. Imaginem humanam substravit in lecto. Hottingerus putat Teraphin ab initio quidem Figuram humanam præ se tulisse, postea tamen factum ut synedochicè quælibet μοςφώματα dicerentur Teraphin, sive humanâ sive bestiarum aut avium figurâ fuerint repræsentata.

V. *Quinto quæritur;* Quomodo hoc Idolum Teraphin fuit factum?

Resp. Elias in Thisbi ex Capitulis R. Eleazaris modum fabricandi Teraphin ita describit: "Mactabant hominem primogenitum, cujus caput torquendo præscindebant (*sive* ungue secabant, *aut* manibus discerpebant caput ejus) caput verò abscissum sale & aromatibus condiebant, scribebantque super laminam auream nomen Spiritus immundi, qua supposita capiti ejus, ponebant illud in pariete, incendentes coram eo candelas, & adorantes coram eo. Atque cum ejusmodi loquutus fuit Laban". Eadem ferè habet Paraphrastes ille, qui Ben-Uzielis nomen in Pentateuchum falsò gerit *Gen.* 31: 19. Sed hæc omnia redolent fabulam, & ex traditionum colluvie videntur hausta. Hotting. ait: *Satis est dicere Teraphin figuras fuisse seu imagines, ad certum Stellarum seu Astrorum influxum compositas.*

VI. *Sextò quæritur;* In quem usum hoc Idolum Teraphin fuit fabrefactum?

Resp. 1. Ut mala quælibet pelleret & averruncaret: propterea Teraphin vocantur à quibusdam Ἀλεξητήριοι *Dii averrunci.* Quomodo mala potuerint averruncare, an virtute quâdam naturali & Astrorum influentiâ, an artis beneficio, vel an alio aliquo modo non satis ab auctoribus explicatur. 2. Consulebant Teraphin tanquam Oraculum ut futura cognoscerent, & Teraphin dabant responsum *Zach.* 10: 2. *Teraphin locuta sunt vanitatem.* Rabbini inter causas, cur Rachel Teraphin patris sui sustulerit, hanc unam recensent, ne Labani illorum inspectione innotesceret, per quod iter illa abierat. Erant enim quasi Dii domestici & penates. Ideo Augustinus quæst. 94. in Genes. ait: *Quod Laban dicit, quare furatus es Deos meos, hinc est illud fortasse quod & augurari se dixerat.* Utrum Teraphin locuta fuerint spontè, an alio modo non satis constat. Jarchi ait ad *Hos.* 3: 4. מדברים מאליהן ומגידין נעלמות *Loquuntur ex se ipsis, & revelant occulta,* Vide plura apud Seldenum *Syntagm. de Diis Syris* l. 1. c. 2.

VII. Quartum Ægyptiorum Idolum est *Apis* sive Vitulus aureus, de quo legitur *Exod.* 32. De hoc variæ quæstiones moventur. *Primò quæritur;* Utrum hoc Idolum propriè fuit Vitulus; an vero Bos? *Resp.* Qui Vitulum fuisse

ajunt,

Digitized by Google

ajunt, probant sententiam suam ex voce עגל *Vitulum* denotante, quæ vox etiam ab interpretibus Græcis per μόσχον *Vitulum* redditur. Etiam Onkelos, Interpres Samaritanus, Arabs, & Syrus per Vitulum transferunt. Imo Arabs Textum *Psal.* 106: 20. ubi habetur שור אכל עשב *Bos qui herbam depascitur*, reddit per *Vitulum*. Accedunt Judæi & Muhammedani qui Vitulum conflatum esse volunt.

Alii multo verosimilius & probabilius conjectant fuisse Bovem. 1. Quia vox עגל non quemlibet notat vitulum; sed plaustralem propriè, adeoque juvencam. Hinc Chaldæus *Hos.* 13. pro עגלים habet תוריא *Boves.* 2. Psal. 106: 19, 20. Vitulus expresse vocatur Bos: *Fecerunt Vitulum, mutarunt honorem suum in formam* שור Bovis *comedentis herbam.* 3. Apollinarius in sua Paraphrasi vertit μόσχον κεραελκής *vitulum cornu trahens.* 4. Vox μόσχος nonnunquam pro bove sumitur. Herodotus Ægyptiorum Apim, qui Bos fuit, appellat μόσχον. *Vide Hottingerum.*

VIII. *Secundò quæritur*; Quare Aharon & Israelitæ potius Bovem fecerunt quàm aliud aliquod animal?

Resp. Hoc didicerunt ab Ægyptiis, qui Bovem pro Deo colebant: nam à diebus Asethi, qui tempore Isaac vixisse dicitur, Bos apud Ægyptios in veneratione fuit. Sic ait Eusebius, ἐπὶ αὐτοῦ ὁ μόσχος θεοποιηθεὶς Ἄπις ἐκλήθη *Tempore ejus* (Asethi) *vitulus* (bos) *in Deorum numerum receptus Apis vocatur.*

Porro quæritur; Utrum Ægyptii Bovem fœminam, an marem coluerint?

Resp. Utrumque: Bovem enim marem colebant Osiridi, & fœminam Isidi. Hinc huic Ægyptiorum cultui videtur opposita lex Deut. 4. *Ne se perdant, & Deo similitudinem faciant masculi aut fœminæ.*

Adhuc quæritur; Quare Ægyptiis potius Bos, quàm aliud aliquod animal in veneratione fuerit?

Resp. Hic cultus Bovis, etiamsi videatur antea institutus, videtur tamen confirmatus occasione Josephi, prædicentis Pharaoni septem annos abundantiæ & famis per septem vaccas.

IX. *Tertiò quæritur*; Cum certum sit Aharonem Bovem fecisse ad similitudinem Bovis Ægyptiorum; An ergo est quædam similitudo inter Bovem illum & hunc?

Resp. Inter utrumque magna est similitudo. 1. Ratione materiæ: Aharon enim inaures avelli jussit, ut inde conflaretur Vitulus aureus; atqui Bos Ægyptiorum vocatur Βοῦς διάχρυσος *Bos aureus* vel *inauratus*: nam solem repræsentabat, cujus color auro convenienter exprimitur. Hinc Ægyptii nul-

Digitized by Google

los nisi rufos Religionis causâ mactabant boves. Deinde libentius ex auro fecerunt, quàm ex aliâ viliori materiâ, ut in majori æstimatione apud plebem esset. 2. In Bove Ægyptiorum erant varia signa, qualia etiam videntur fuisse in Bove Aharonis, formavit enim illum stylo sculptorio. 3. Ægyptii in honorem Bovis celebrârunt Festum solenne, ut notat Suidas in voce ἄπιδες. Similiter Israelitæ celebrarunt Festum, Exod. 32: 5, 6. *Aharon proclamavit Festum, & populus sedit ad edendum & bibendum, & surrexit ad ludendum.* 4. Ægyptiorum Bos tandem projiciebatur in aquam, idem etiam accidit huic Bovi Aharonis, vers. 20. *Moses dispergens in superficiem aquarum jussit bibere filios Israëlis.* 5. Respectu finis etiam est analogia inter utrumque Bovem. Populus dicit vers. 1. *Age fac nobis Deos, qui ante eant nobis,* & vers. 4. *Hi sunt Dii tui qui eduxerunt te è terrâ Ægypti.* Hæc eadem adscribebantur Ægyptiorum Bovi: nam juxta Mercurium Trismegistum Osiris erat σωμάτων ἑκάςυ ἔθνυς ἡγεμὼν καὶ ἰσχύος, καὶ ῥώμης καθηγητὴς *corporum uniuscujusque gentis dux, virium item & roboris ductor.*

Quartò quæritur; Quinam præcipuè moverunt Aharonem ad conflandum hunc Bovem?

Resp. Causæ motivæ dicuntur à Judæis fuisse Proselyti Ægyptii, qui unà cum Israelitis ex Ægypto iverant. Illi enim assueti erant in Ægypto colere Bovem.

X. *Quintò quæritur*; An Israelitæ ita coluerunt hunc Vitulum aureum, sicuti Ægypti suum Apim sive Bovem?

Resp. Nullo modo. Ægyptii enim colentes Bovem peccârunt directè contra primum Decalogi præceptum: nam pro Deo coluerunt suum Bovem. Sed Israelitæ contra secundum præceptum peccârunt: nam non directè voluerunt colere Vitulum pro Deo: sed per Vitulum, sive mediante Vitulo, voluerunt verum Deum colere. Similiter Jerobeam 1 *Reg.* 12: 28. faciens duos Vitulos aureos, quorum unum posuit Bethele, alterum Dane, noluit eos esse propriè Deos, sed voluit populum per illos Vitulos colere Deum.

Sextò quæritur; An fuso Vituli tam grande fuit peccatum ut hodierni Judæi ejus pœnam adhuc sustineant?

Resp. Tantum peccatum in conflando Vitulo dicitur ab Israelitis commissum, ut nec in hodiernum diem satis fuerit expiatum: ita dicit Moses Gerundensis, אין לך ישראל פירענות שאין בה אנקיא מעון העגל *Non est tibi, Israël, ultio, in quâ non sit uncia de iniquitate Vituli.* Hinc putant se etiam nondum liberari à diuturno exilio: sed nugæ sunt.

XI. *Septimò quæritur*; Quanti ponderis fuit Vitulus aureus Aharonis?

Resp.

Digitized by Google

Resp. Judaei communiter statuunt Vitulum ponderasse 125. Talenta: ita Jarchi in *cap.* 32. *Exod.* In libro Zohar dicitur tantum ponderasse 120 Talenta. Sed unde probant ponderasse 125. Talenta? *Resp.* Ex voce מסכה *Exod.* 32: 4. occurrente, quæ *conflatile* significat. Illa vox numericè denotat, si singulæ literæ in numerum resolvantur, 125. Ergo tot Talentorum fuit Vitulus. Sed inventum hoc Kabbalisticum meritò exploditur.

XII. *Octavò quæritur;* An rubicundæ barbæ sint natæ ex potatione Vituli aurei?

Resp. Vetustum est Hebræorum commentum de aureâ illâ potatione quam Moses exhibuit Israelitis. Putant inde natas aureo colore barbas, apud eos nimirum posterosque eorum, qui, cum Vituli cultui maximè fuissent dediti, etiam pulverem illum avidius potando haurientes, & barbas & menta & maxillas superfluo liquore tingebant. Hinc carmen tale à Petro Rhemensi compositum est, quod legere est apud Seldenum *Syntag. l.* 1. *c.* 4. Aurum quod fudit Aaron descendit eorum

In barbas tantum, qui coluere Bovem.

Nequitiæ plumbum barbæ monstratur in auro.

Et culpæ pondus aurea barba notat.

XIII. Quintum & ultimum Ægyptiorum Idolum est *Baal-zephon;* de quo legitur Exod. 14: 2. & Num. 33: 7. *Ante Baal-zephonem è regione ejus castrametamini ad mare.*

Quæritur: Utrum sit Idolum; an verò urbs aliqua tali nomine insignita?

Resp. 1. Hebræi statuunt Baal-zephonem esse Idolum à Pharaonis Magis ad cœlestium corporum posituras fabricatum, & juxta sinum Arabicum collocatum, observandi & retinendi utique Israelitas, irretiendi, & à destinatâ, divinitusque datâ profectione avertendi vim habens magicam. Hanc sententiam confirmat Paraphrasis, vulgò Jonathæ tributa, quæ Baal-zephonem transfert per טעות צפון *Idolum Tzephon.* Aben Ezra statuitur hujus sententiæ auctor. Etiam Kircherus vult fuisse Idolum variâ figurâ expressum, quod Israelitas fascino suo detinuisset.

2. Seldenus *Syntag. l.* 1. *c.* 3. vult Baal-Zephon non Idolum sed Urbem tantum fuisse, quæ hoc nomine fuit insignita, sicuti 1 *Chron.* 33: 7. Baal urbs quædam fuit. Ut ut sit, nos putamus Baal-zephonem fuisse Idolum; sed quod tale magicum fuerit, à Magis Pharaonis eum in finem ibi erectum, uti Hebræi volunt, fabulis & somniis Judaicis adscribimus.

Digitized by Google

XIV. Sequuntur jam Moabitarum Idola, quæ sunt *Baal-peor* & *Camosch.* Baal-peor non tantùm Moabitarum sed etiam Midianidarum Idolum fuit. De eo legitur Num. 25: 3. *Copulato Israële cum Baal-peor; accensa est ira Jehovæ.*

Primò quæritur; Quomodo aliter appellatur hoc Idolum Baal-peor?

Resp. Num. 25: 18. vocatur פעור *Peor: Machinati sunt contra vos in negotio Peoris.* Similiter cap. 31: 16. & Jos. 22: 17. *Nondum purificavimus nos ipsos ab iniquitate Peboris.* LXX. Βεελφεγὼρ scribunt.

Secundò quæritur; Unde Idolum פעור *Peor* sic vocetur?

Resp. Variæ & diversæ sunt sententiæ. 1. Jarchi ad *Numer.* 25. ait Idolum Peor sic vocari על שם שפורעין לפניו פי הטבעת ומציאין לעי *Eo quod distendebant coram illo foramen podicis, & stercus offerebant;* & hic ait, erat cultus ejus. Nam פער *aperire* sive *distendere* significat. Maimon in *More Nev.* p, 3. c. 46. hanc Etymologiam ferè confirmat, cum ait: *Tu verò scis quod servitium Idoli quod vocabatur Pabor* (sive Peor) *in temporibus illis erat, ut discooperiret se homo versus eum. Et idcirco præceptum est sacerdotibus ut facerent braccas, quibus cooperirent operienda in horâ Sacrificii.*

2. Alii derivant nomen ab hiante Idoli ore, quasi os ejus fuerit apertum.

3. Alii deducunt à בעל פי עור quod *superius os pellis* denotat; quasi hoc Idolum in summitate pellem haberet, ut turpitudinem membri virilis ostenderet. Ut ut sit, Hottingerus putat hoc Idolum sic vocari, vel quia sacra illa cultores nudi obierint; vel quod osculum diductis & reductis faucibus fixerint.

XV. *Tertiò quæritur;* Quale fuit hoc Idolum?

Resp. 1. Origines simpliciter Idolum *turpitudinis* vocat, & dicit in Numeros *Homil.* 20. *Cum multæ sint turpitudinum species, una quadam ex pluribus turpitudinis species* Beelphegor *appellatur.* 2. Isidorus Originum *l.* 8. *Beelfegor interpretatur Simulachrum ignominiæ. Idolum fuit quod Latini Priapum vocant, Deum hortorum.* Assentitur etiam Hieronymus, qui similiter statuit Peor & Priapum esse eosdem. 3. Seldenus *Syntag.* l. 1. c. 5. ait: Peor vel principem esse inter Divos relatum; vel montem, in quo huic Idolo Peor sacra fiebant. Fuit enim mons *Peor* dictus *Num.* 23: 28. & templum, in quo hoc Idolum colebatur, vocatur *Deut.* 3: 29. בית פעור *Bethpeor.* Seldenus ait quod fœdæ libidines, quæ in historia Moabitidarum recensentur, non videantur esse à cultu Peoris, sed quod fuerint adjunctæ: nam Moabitides amasios suos, ut Deos patrios colerent, libidine pellexerunt. Ergo obscœni mores secundùm eum non ad Idolum Peor, sed ad populum referendi sunt, qui ad tales libidines fuerunt excitati.

Quartò

Digitized by Google

Quartò quæritur; Quomodo hoc Idolum fuit cultum?

Resp. 1. Sacrificiis offerendis: sic testatur Moses Num. 25: 2. *Invitârunt populum ad Sacrificia Deorum suorum.* Hæc Sacrificia erant inferiæ in memoriam defunctorum peractæ. Ita docet Psalmista Psal. 106: 28. *Copulaverunt se cum Idolo Peboris, & comederunt* זבחי מתים *Sacrificia mortuorum.* 2. Temporibus Mosis etiam fuit cultum scortatione: *Num.* 25: 1. *Cœpit populus scortari cum filiabus Moabitarum.* Sed non videtur verosimile scortationem fuisse adjunctum necessarium sine quo hoc Idolum non potuerit coli: nam Moabitæ sciverunt quidem se scortando nullum cultum Deo præstare potuisse.

DISSERTATIO QUADRAGESIMA QUINTA.

Quæ est pars quarta & ult.

DE

IDOLIS VETERIS T.

I. *Origo nominis* Cemosch *& quid significet, est valde dubium.*
II. *Etiam incertum est quomodo, & an ab Arabibus etiam fuerit cultum.*
III. *Dubia est significatio vocis* Astaroth.
IV. *Diversimodè scribitur.*
V. *Incertum est quale Idolum fuerit.*
VI. Baal-zebub Dominus muscæ *invocabatur ab Accaronitis, ut abigeret muscas, à quibus illi vexabantur.*
VII. *Videtur hoc Idolum sic vocatum ab ipsis Accaronitis in honorem ejus.*
VIII. *Hoc Idolum per contemptum* Matth. 12: 24. *vocatur Beel-zebul* Dominus stercoris.
IX. Dagon *videtur à* דג pisce *nomen habere.*
X. *Ab aliis auctoribus diversimodè nominatur.*
XI. *Etiam variis modis colitur.*
XII. *Quid nomen Idoli* Gad *denotet, valde dubium est.*

I. SEquitur alterum Moabitarum Idolum Hebraicè כמוש *Cemosch.* & Græcè χαμὼς appellatum, cujus *Num.* 21: 29. & *Jer.* 48: 7, 13. fit mentio; *Tunc confundetur Moab à Cemoscho, sicut confusa est domus Israël à Bethel,* h. e. à Vitulo aureo in Bethel sacrato.

De hoc *Primò quæritur*; Cujus originis est vox Cemosch, & quid significat?

Resp. Philo Judæus *Allegor.* 11. ait: χαμὼς ἑρμηνεύεται ὡς ψηλάφημα *Chamos sonat ut contrectatio*, sive ut palpatio, quæ cœcis ferè propria est; & ait כמוש componi ex כ notâ similitudinis, idem denotante quod ὡς & מוש *contrectavit, palpavit*; quasi Deum cœcum diceret, qui quidem oculos habet sed non videt. 2. Alii à כמש *abscondidit* deducunt, unde כמוש h. e. סתור *Saturnus, absconditus.* 3. vel à כמש, unde כמוס *tetricus*, ἄστοργος, qualis fuit Saturnus, qui omnes liberos, præter tres, Jovem, Neptunum & Plutonem devoravit. 4. Vel ab Arabico כמש *properavit, celer fuit*, ob actionum celeritatem & excellentiam, qua homines sui temporis ex agresti vitâ ad humaniorem cultum traduxit. Vide Hottingerum *in sæpe laudatâ disput.*. 5. Hieronymus ad *Jes.* 5. ait, hoc Idolum & Baal-peor esse idem; *In Nabo erat Chamos Idolum consecratum quod alio nomine appellatur Baal-peor.* 6. Kircherus putat esse Bacchum. 7. Alii Plutonem. 8. Multi verosimiliter putant denotari Saturnum, quam sententiam pleræque Etymologiæ suprà allegatæ approbant.

II. *Secundò quæritur*; Quomodo hoc Idolum fuit cultum?

Resp. Pocock. p. 316. *Specim.* ex codicibus MSS. Maimon: hæc sequentia de hoc Idolo eruit, כמוש עבודתו בפריעת הראש ושלא ילבש בגד תפור ודברים כלם מפורשים וידועים אצלם מקודם דת ישמעלים *Cemosch*; *cultus ejus peragebatur nudatione capitis, & ut quis vestes sutiles non induat, quæ omnia apud illos manifesta sunt, & antè fuerunt ante conditam Legem Israëlitarum*, h. e. ante Muhammedismum.

Tertiò quæritur; An hoc Idolum ab Arabibus etiam fuit cultum?

Resp. Hoc confirmatur à Maimonide & Arabibus: nam Maimon loco cit. hunc cultum illis adscribit, cum ait, הישמעלים היום אומרים שנפרע ראשנו ושלא נלבש בגד תפור בתפורות הוא כדי שנכנע לפני האל יתעלה ולזכור היאך יעמור אדם מקברו *Ismaëlitæ autem nunc dicunt; ideo nos caput nudamus, & vestes sutiles non induimus, ut nos coram Deo submittamus, & cogitemus, quomodo surrecturus sit homo è sepulchro.* Arabes Templum Meccanum Saturno, h. e. Cemoscho consecrârunt. *Vide plura apud Hotting.*

III. Zidoniorum Idolum succedit, עשתרות *Astaroth* vel *Astarte* vocatum, de quo legitur 1. *Reg.* 11: 5, 33. *Eò quod dereliquerunt me, & incurvârunt se Haschthoreth Dea Tzidoniorum.* Similiter *Jud.* 2: 13. Etiam Philistæi hoc Idolum coluerunt.

De hoc *primò quæritur*; Quid propriè hoc Idolum denotat?

Resp. Vox hæc est ambigua, עשתרה propriè denotat *Gregem*, in plur. עשתרות, *Deut.* 7: 13. & 28: 4. 2. Est nomen urbis *Deut.* 1: 4 אשר יושב בעשתרות

בעשתרות *Qui habitabat Haschtherotis.* 3. Verosimile est Astaroth esse nomen Imaginum, ovium formam habentium, quas pro Deabus colebant Tsidonii & Philistæi; ita vult Kimchi, צלמים עשויים בצורות עשתרות *Imagines facta ad formam ovium.* Templum, in quo colebatur hoc Idolum, vocatur 1 *Sam.* 31: 10. בית עשתרות *domus Haschtharoth*; in hâc suspenderunt arma Saulis. Kimchi hoc Idolum à plur. appellativo עשתרות *Deut.* 7: 13. Scaliger verò à victimarum multitudine deducit retentâ eâdem radice. Philastrius Astar *virum*, & Astaroth *mulierem* esse ait.

IV. *Secundò quæritur*; Quot modis hoc Idolum scribitur?

Resp. 1. Scribitur עשתרת *Astoreth.* 2. עשתרות *Astaroth, Jud.* 11: 13. 2. *Sam.* 7: 12. 3. Seldenus *Syntag.* p. 232. putat non repugnare, quo minus idem Idolum per similitudinem vocetur אשרה *Aschera, lucus*; quia variis in lucis plures sub Astartes seu Astaroth nomine Deæ in veneratione habebantur. 4. LXX. Seniores legunt Ἀςάρτην, & auctor Chronici Alexandrii Εὐςάρτην.

V. *Tertiò quæritur*; Quale Idolum denotatur per Astaroth?

Resp. 1. Lucianus in libello περὶ συρίας θεᾶς opinatur esse Lunam, cum ait: Ἀςάρτην δ' ἐγὼ δοκέω σεληναίαν ἔμμεναι, *Astartem lunam esse opinor.*

2. Alii putârunt esse Venerem sive Junonem. Cicero de Natur. Deorum l. 3. ait; *Quarta Venus Syria Tyroque concepta, quæ Astarte vocatur.* Phœnices testibus Philone, Herodiano, eam simul Lunam dicebant. Vocatur בעלת שמים *Domina* seu *Regina cæli*, sive Juno Olympia. Seldenus ait hæc nomina Lunæ, Veneris, Junonis, &c. esse confusa, quando de Diis Asiaticis sermo est; *Minerva autem, Junonis, Veneris, Luna nomina sunt ita, cum ad Asiaticos Deos respexeris, confusa, ut qui Minervam Belisamam, Junonem Belisamam, Venerem, aut Lunam dixerit; idem semper ipsum dixerit.*

3. Vocatur etiam Astarte Urania, quæ vox idem omnino valet apud Phœnices, quod Juno Lucina apud Latinos. Deducitur Urania ab Hebræo אור *luce*, Nun in fine adjecto aut per se solum, aut cum Jod, quod passim fit à Syris, quasi אורן vel אורני, in fœmin. verò אורניא h. e. *lucidus* & *lucida*, aut *Lucinus* & *Lucina.* Sicuti Luna respectu luminis vocatur Urania, sic respectu luminarium minorum ratione lucis appellatur Ἀςροάρχα *Astroarcha*, παρὰ τὴν τῶν ἀςρῶν ἀρχὴν *ab imperio quod in astra exercet*, h. e. Regina Planetarum, vel ut Horatius loquitur de Luna, *Siderum Regina.* Per Astaroth ergo denotatur Luna, Venus, vel Juno. Atqui Astaroth proponitur genere Masculino אלהי צדונים *Dii Zidoniorum*: ergo non denotatur fœmina. *Resp.* S. Scriptura, nec prisca mysteria gentium sexum Idolorum distinguunt.

Hinc

Hinc ajunt Venerem marem & fœminam fuisse; etiam Romani & Græci eandem barbatam & armatam coluerunt. Ad hæc Idolo Baal aliquando articulus Masculini: nonnunquam Fœminini generis præponitur. *Vide supra Dissert.* 42.

VI. Philistæorum Idolum est בעל זבוב *Baal-zebub*, de quo legitur 2 Reg. 1:2. *Achazias mittens nuncios dixit, ite, consulite Baal-zebub, Deum Hebronis, an sanitatem recepturus sim ex morbo.*

De hoc Idolo *primò quæritur*; Quid significat Baal-zebub?

Resp. Idem denotat quod *Dominus* sive *Deus Musca* aut *Musca*. Flavius Josephus Deum Accaronitarum vocat Μυῖαν *Muscam*. Eo nomine etiam LXX. Seniores & Gregorius Nazianzenus hoc Idolum vocarunt.

Secundò quæritur; Quare hoc Idolum à Muscis nomen accepit?

Resp. 1. Quidam ajunt hoc Idolum sic fuisse vocatum, quia ab Accaronitis invocabatur, ut abigeret muscas, à quibus illi vexabantur. 2. Vel quia multæ muscæ erant supra Sacrificia, quæ in honorem illius Idoli offerebantur, quum veri Dei Sacrificia nunquam muscæ infestârint, uti legitur in *Pirke Aboth.* cap. 5. *Non conspecta est musca in domo mactationis.* 3. Procopius Gazæus putat sic vocari, quia hoc Idolum figuram muscæ habuit. Prima sententia magis arridet.

VII. *Tertiò quæritur*; Utrum hoc Idolum sic fuerit vocatum ab ipsis Accaronitis; an verò a Judæis in ignominiam idololatrarum?

Resp. Nos putamus ita vocatum fuisse ab ipsis Accaronitis in honorem Idoli, & non à Judæis. Ratio 1. Quia ejus tanquam Numinis venerandi fit mentio ab Ahazia, 2 Reg. 1:2. *Ite & inquirite Beel-zebub.* An Numen, quod de salute consuleret, inhonesto nomine compellaret? 2. Si à pellendis muscis, vel à figurâ muscæ sic fuit vocatum, ergo per ignominiam ita non fuit appellatum.

Quartò quæritur; Quare Accaronitæ hoc Idolum coluerunt?

Resp. Ut muscas pelleret, quibus regio Accaronitarum vehementer infestabatur. Hic cultus videtur habuisse originem ab Ægyptiis, qui tali cultu voluerunt abigere muscas, quibus propter Nili eluviem abundabant: ita statuunt Kircherus & Aben Nephius, Scriptor Arabicus. Quod propterea hoc Numen invocatum fuerit, testatur Plinius *Hist.* 10. *cap.* 28. *Cyreniaci Achorem Deum* (invocant) *muscarum multitudine pestilentiam afferente, qua protinus intereunt postquam litatum est illi Deo.* Etiam hoc Idolum de rebus futuris consuluerunt, uti ex exemplo Ahaziæ 2 *Reg.* 1:2. apparet.

VIII. *Quintò quæritur*; Quare hoc Idolum *Mat.* 12:24. in Novo. T. vocetur Beel-zebul, & quid denotet Beel-zebul?

Resp.

Digitized by Google

Resp. Beel-zebul est *Deus* vel *dominus stercoris* vel *stercoreus*. Hoc nomen non tantùm in Græcâ Versione, sed etiam in Arabicâ, Commentariis Origenis, Athanasii, Cyrilli & Chrysostomi ita retinetur. Hoc nomen in Novo T. metaphoricè per contemptum Diabolo datur, quasi ille, cui in Veteri T. putatitium dominium in muscas datur, sit Deus stercoreus, Deus nullius pretii. S. Scriptura ab adjunctâ vanitate & turpitudine vocat Idola אלילים, quia sunt nihil; vel גלולים *stercoreos*, Ezech. 23:3. Ita solent Judæi per mutationem literæ vel literarum quarundam nomina κατ' εὐφημίαν quibusdam data in κακοφημίαν mutare: ex. gr. Fictus ille Messias, בר כוכב *filius stellæ* anteà dictus, postea vocatus est בר כזב *filius mendacii*.

IX. Succedit Asdodæorum Idolum דגון *Dagon* appellatum, de quo legitur Judic. 16:23. *Satrapæ Philistæorum congregati sunt ad celebrandum sacrificium Dagoni Deo suo.* & 1. Sam. 5:2, 3, 4, 5, 6, 7. *Ecce jacebat Dagon coram eâ in terrâ*, &c.

De hoc Idolo *primò quæritur*; Unde derivatur nomen דגון *Dagon*?

Resp. 1. Quidam derivant à דגן *frumento*: ita Philo Byblius δαγὼν, ὅς ἐςι σιτῶν *Dagon est frumentarius.* Hinc Dagon statuitur esse primus inventor frumenti, & aratri repertor. Fuit ergo quasi Jupiter aratrius. Potest etiam vocari Asdodæorum Saturnus: nam ille primus inventor agriculturæ fuisse dicitur; & propterea cum falce depingi solet. Sed hæc Etymologia est falsa.

2. Alii meliùs Dagon deducunt à דג vel דגה *pisce*: nam semipiscis fuit. Kimchi 1. *Sam.* 5:4. verba illa רק דגון נשאר עליו ita explicat, *Tantummodo forma piscis relicta est in eo.* Junius, *Tantum quod referebat piscem remanserat in eo.* A pisce ergo nomen habuit. Seldenus ait, *Dagonis figura fuit ex humanâ & marinâ mista. Corpus ei marinum fuit; sed facies humana, manus item & pedes.* Rabbini ajunt Dagonem à parte inferiori usque ad umbilicum repræsentasse piscem; ab umbilico verò unà cum parte superiori hominem. Ut ut sit, saltem Dagon partim hominem, partim etiam piscem repræsentavit.

Secundò quæritur; Cujus generis est Idolum Dagon?

Resp. S. Scriptura ei Masculinum genus tribuit, etiam LXX. Seniores, δαγὼν πεπλωκὼς ἐπὶ πρόσωπον αὐτῦ. Profani auctores Fœmininum genus ei assignant, cum vocatur *Atergatis* pro *Adertagis*.

Tertiò quæritur; Quomodo Dagon ab aliis auctoribus vocatur?

Resp. Hoc Idolum ab aliis gentibus etiam ferè fuit cultum: hinc vocatur Beroso & Apollodoro ὠάννης, quod dicitur fuisse animal biceps, è

Digitized by Google

cujus caudâ nascebantur pedes, humanis similes. Vox ei humana ex mari Erythræo emersum Babyloniam pervenisse ajunt, occidente verò Sole in mare rediisse, moremque hunc quotidie velut ἀμφίβιον repetiisse; ab eo homines omnifarias artes, literas, agriculturam, &c. didicisse. Hæc ferè conveniunt cum Dagone. *Vide Seldenum.* 2. Vocatur Atergatis, Adergatis, Atargata, Adargidis & Atargatis, quæ sunt corrupta vocabula ex דג אדיר *piscis magnificus.*

XI. *Quartò quæritur*; Quomodo hoc Idolum fuit cultum?

Resp. Variis modis. 1. *Sam.* 5:2. habetur, quod Arcam induxerint in templum Dagonis: ergo illud in honorem ejus fuit fabricatum.

2. Solennitates sive Festa in honorem hujus Idoli instituerunt, *Judic.* 16:23.

3. Syri & Ægyptii ob cultum Dagonis ab esu piscium abstinuerunt: nam timebant ne sibi membra, si animalibus hisce vescerentur, à vindicta Dei intumescerent, ulceribus scaterent, aut tabe consumerentur.

4. Magni faciebant columbas, persuasi columbam miræ magnitudinis ovum fovisse, indeque Deam illam edidisse: Unde Tibull. l. 1. ait; *Alba Palæstino sacra columba suo.*

XII. Ultimò sequitur explicandum Idolum Syrorum גד *Gad* appellatum, de quo legitur Gen. 30:11. *Dixit Lea* בגד baggad, *& vocavit nomen ejus Gad.* Et Jes. 65:11. *Qui ponitis* לגד *laggad mensam.*

Quæritur: Quid proprie in Genesi significat Gad?

Resp. 1. Hebræi *Fortunam bonam* intelligunt, & volunt Leam ita loquutam esse, quasi partui benè esset ominata.

2. Latini vertunt per *feliciter.*

3. Alii volunt מזל טוב *Jovis stellam* denotari, quæ liberorum generationi radiis suis conducere dicitur.

4. Alii interpretantur per duas voces *Venit Fortuna.* Onkelos habet אתא גד *Venit Fortuna.* Jonathan אתא מזלא טבא *Venit Fortuna bona.* Potest significare Fortunam: quia Lea, Syro patre nata, aliquid superstitionis videtur retinuisse, si non crasso Syrorum sensu, pravâ tamen consuetudine; uti loquitur Hottingerus. Mercerus *Jes.* 65. ait, *Gad sidus est. Putatur* צדק h. e. Jupiter, *non Libra, ut vult Augustinus, quod sit mitis ac clemens Planeta; alii Mercurium dicunt; quidam recentiores Martem ab agmine, quod* גדוד *dicitur.* Seldenus *Syntag. l.* 1. *c.* 1. ait Gad in utroque loco denotare Numen commentitium: *In utroque igitur loco tam Mosis quam Jesaiæ τὸ Gad inter Numina commentitia censendum esse, æquum est ut existimemus, ipsamque* Fortunam, *ejusque, uti vocant,* Sortem, Sydus fortunatum, *aut* militiam, seu

Digitized by Google

ſeu exercitum Cœli, *qui Fortunæ auctor & diſpenſator Fati habitus eſt*, *eo denotatum*. Hæc de Idolis Veteris T. dicta ſufficiant.

DISSERTATIO QUADRAGESIMA SEXTA, DE

SYNEDRIIS HEBRÆORUM.

I. *Synedrium Judaicum eſt triplex; Maximum*, LXXI. *Virorum, Majus* XXIII. *& Minimum trium Virorum. Maximum vocatur* סנהדרין Sanhedrin, *quæ vox eſt Græca originis.*

II. *Moſes juſſu Dei inſtituit Sanhedrin, & duravit uſque ad tempora Chriſti.*

III. *Sanhedrin tantùm Hieroſolymæ fuit congregatum in Aula Judiciaria, exſtructa ex lapidibus cæſis.*

IV. *Omnes Viri Sanhedrin æquali auctoritate gaudebant; ſed Moſes erat Caput eorum, &c.*

V. *Unde electi fuerint Seniores, docetur.*

VI. *Non dabatur provocatio à Sanhedrin ad aliud collegium.*

VII. *Seniores manuum impoſitione confirmabantur.*

VIII. *Conditiones variæ ſecundùm Legem Dei requirebantur in Senioribus, quibus Rabbini multas alias addiderunt.*

IX. *Auctoritas horum Seniorum erat maxima, & circa multa negotia ſe extendebat.*

X. *Secundum Synedrium* XXIII. *Virorum miro, ſed incerto modo probatur.*

XI. *Tale erat in omnibus locis, ubi erant* 120. *vel plures familiæ.*

XII. *Enumerantur judicia circa quæ hoc Synedrium verſabatur.*

XIII. *Tertium Synedrium deſcribitur.*

I. ANtequam de pœnis Politicis & quibuſdam Eccleſiaſticis, olim inter Judæos uſitatis, agamus, ante omnia de Synedriis, per quæ pœnæ hæ determinabantur, agendum erit. Synedrium fuit triplex, *Maximum* conſtans LXXI. Viris; *Majus* XXIII. Viris; & *Minimum* conſtans tantùm tribus Viris. De primo Synedrio LXXI. Virorum hæc ſequentia quæruntur.

Primò quæritur; Quali nomine Hebræi ſolent vocare illud Maximum Synedrium? & cujus originis eſt illud nomen?

Reſp. 1. Ab Hebræis ſolet vocari, סנהדרין *Sanhedrin*, h. e. Synedrium, conſeſſus Judicum vel Doctorum, docentium jura Divina & Humana, conſeſſus Senatorum, Seniorum. Per Apocopen dicitur סנהדרי. Elias in Thiſbi ait סנהדרין eſſe pluralis numeri, & in ſingulari nunquam dici סנהדר

Digitized by Google

Sanheder. Matt. 16:11. nominantur Viri τοῦ Sanhedrin *πρεσβύτεροι Seniores* & consessus talium Seniorum *Act.* 22:5. vocatur *πρεσβυτέριον Presbyterium, Seniorum ordo, Senatus Ecclesiasticus.*

2. Sanhedrin vocatur etiam contractè סנררין abjectâ literâ ה.

3. Vox hæc סנהדרין est Græcæ originis, & propterea ejus propria significatio à Græcis est mutuanda. Græcè dicitur *συνέδριον* vel *συνεδρία consessus*, scil. Judicum, ex *σὺν* & *ἕδρα sella*. Hoc confirmat Elias in Thisbi, cum ait סנהדרין לשון יון ממש *Sanhedrin est vocabulum planè Græcum.*

Multi Rabbini, Græcam hujus vocis originem ignorantes, mirum in modum in Etymologiâ ejus investigandâ hallucinati sunt. 1. Quidam derivarunt ex סן, *Lex*, & הדרין *repetentes*, *versantes*, quasi Seniores מהדרין *repetiissent*, vel explicâssent Legem commentariis. 2. Alii, quasi סונאים הדרת פנים בדין *Odio habuerint acceptationem vultus in judicio.* 3. Alii quasi שונאי דורונות *Odio habuerint munera*. Sed falluntur omnes. *Vide Lex. Talm. Buxtorfii.*

II. *Secundò quæritur;* Quis primò instituit Sanhedrin? Et quamdiu duravit?

Resp. 1. Moses jussu Dei instituit Sanhedrin, *Numer.* 11:16, 17. *Dixit Jehova Mosi, congrega mihi septuaginta viros è Senioribus Israëlis, quos nosti esse Seniores populi & moderatores ejus. —— Portabunt tecum onus populi, neque tu solus portabis.* His si Moses præses addatur, fiunt LXXI. qui numero rotundo vocantur Septuaginta.

2. Hoc Synedrium cùm semel à Mose constitutum esset, semper deinceps sub Judicibus, Regibus & Pontificibus usque ad extremam Judææ desolationem, sive usque ad tempora Christi, vel si præcisè loqui velimus, usque ad annum quadragesimum ante Templi secundi vastationem duravit. *Schabb. fol.* 15. 1. Herodes anno 36. regiminis sui dicitur omnes viros Sanhedrin uno excepto trucidâsse. In ipsâ captivitate Babyl. ubi omne regimen videbatur Judæis ereptum, mansit nihilominus Sanhedrin. In Talmude Tract. *Sanhedrin* pag. 5. hoc confirmatur, לא יסור שבט מיהודה אלו ראשי גליות שבבבל, שרודין את ישראל בשבט *Sceptrum non recedet à Judâ, sunt Capita exilii Babyloniæ, quæ regnârunt supra Israëlem sceptro suo.* Etiam in Targum Cantici Cantic. *Cap.* 6. *vers.* 1. idem affirmatur, ומרי עלמא קבל צלותהון ברעוא ונחת לבבל לסנהדרין דחכימיא ויהב רוחא לעמיה *Dominus mundi recepit preces ipsorum in gratiam, & permittebat Sanhedrin in Babyloniâ manere, & dabat respirationem populo suo.*

III. *Tertiò quæritur;* In quâ urbe, & in quâ parte urbis Sanhedrin fuit congregatum?

Resp.

Digitized by Google

Resp. Tantùm Hierosolymis, & quidem בלשכת הגזית in aulâ Judiciariâ ex lapidibus cæsis & politis exstructâ. Sic scribitur in Tract. Misnæ *Middoth*, *cap.* 5. *Sect.* 3. לשכת הגזית בה היתה סנהדרין גדולה של ישראל יושבת *In conclavi cæsi lapidis Sanhedrin magnum Israëlis sedebat.* Illud conclave vocabatur conclave *cæsi lapidis* ab apparatu lapidum, quibus hoc conclave exstructum erat. Lapides enim hi singulari quadam ratione erant fabrefacti, cæsi aut dolati. Sic 1. *Reg.* 5:17. אבני גזית *lapides cæsi* transferuntur à Targumistâ per אבנין פסילן *lapides dolatos.*

IV. *Quartò quæritur;* An omnes LXXI. Seniores æquali auctoritate gaudebant?

Resp. Moses omnium Seniorum fuit Caput, Præses & Princeps; sed mortuo Mose omnes Seniores æquali gaudebant potestate exceptis duobus, qui auctoritate præcellebant: horum prior totius Synedrii Caput erat, & vocabatur נשיא בכל מקום *Princeps in omni loco;* posterior verò Principi adjungebatur & huic proximus erat, sed minor, & appellabatur אב בית דין *Pater domûs judicii*, & sedebat Principi ad dextram. Hi duo soli sedebant, nonnihil à reliquis Senatoribus sejuncti, qui deinceps quasi semicirculum faciebant, ut duo illa Capita omnes reliquos Senatores conspicere possent. Ante illa duo Capita sedebant duo Scribæ; unus ad dextram, alter ad sinistram, & scribebant sententias absolventium & condemnantium. Totum Synedrium instar horrei dimidiati fuit, orbiculare, ut unus alterum contueri posset. Vide Sanhedrin *Cap.* 4. *Sect.* 3.

V. *Quintò quæritur;* Unde hi Senatores eligebantur?

Resp. Non de plebe hominum vel de fæce civitatis; sed nobilissimi omnes, qui amplitudinem Majorum, ac prisca familiæ decora præferebant, eligebantur. 2. Etiam Levitæ & Sacerdotes aliquando allecti fuerunt. 3. Aliquando Pontifex, ex sententia Maimonidis, אם היה ראוי בחכמה *si cordatus, & capiendis consiliis non ineptus esset*, etiam eligebatur. *Quæritur;* An non per aliquod tempus ante electionem Seniores fuerunt separati ab aliis hominibus, & quodammodo judicati digni futurâ electione? *Resp.* Diu ante electionem fuerunt ab aliis hominibus separati tali modo, uti describitur in *Sanhedrin* Cap. 4. Sect. 4. *Tres ordines Candidatorum* (h. e. exspectantium, qui erant in singulis ordinibus viginti tres) *coram illis sedebant. Horum quisque suum servabat locum. Si quem promoveri necessitas exigeret, ex primo ordine is capiebatur. Tum primus secundi ordinis in primum ascendebat, ex tertio item in secundum; denique ex cœtu delectus aliquis in tertio ordine non quidem in loco primi, sed sibi conveniente, collocabatur.*

VI. *Sextò quæritur;* An licitum fuit à Sanhedrin provocare ad aliud collegium, sive ad Regem?

 Resp.

Digitized by Google

Resp. Nulla ab hoc Synédrio ad aliud dabatur provocatio. Hi Seniores summâ gaudebant potestate, & quicquid cæteri magistratus judicesque in Palæstinæ oppidis & in ipsâ urbe Hierosolymâ decidere nequibant, id omne ad horum Seniorum jurisdictionem pertinuit. *Vide Cunæum de Rep. Hebræor. l.* 1. *c.* 12.

VII. *Septimò quæritur*; Qualibus cæremoniis Seniores hi fuerunt electi & confirmati?

Resp. 1. Hæc senatoria dignitas solenni actu, scil. impositione manuum deferebatur. Ea ab Hebræis סמיכה, & à Græcis χειροθεσία vocatur. Ita Moses, Josuæ & septuaginta Senioribus, manum imposuit, & Deus post initiationem eos Spiritu implevit. *Num.* 11: 17, 25. *Et seponens de Spiritu, qui erat super Mosen, indidit septuaginta illis viris.* Hi cùm tali modo initiati essent, etiam alios simili modo auctoraverunt: sed non extra Terram Sanctam: nam omnis ejus vis Palæstinæ finibus addicta erat. Tandem tamen illa impositio manuum, quæ diu usitata fuerat, cessavit. Hic mos à Judæis tandem ad Christianos descendit: & propterea nostri Candidati ad Sacrum Ministerium manuum impositione initiantur. 2. In electione etiam citabatur carmen aliquod his verbis: הרי את סמוך ויש לך רשות לדון אפילו דיני קנסות *Ecce, manus tibi imposita est, daturque potestas tibi judicia exercendi etiam criminalia.*

VIII. *Octavò quæritur*; Quales conditiones fuerunt requisitæ in Senioribus eligendis?

Resp. Alias conditiones requirit Lex Divina, alias Lex Rabbinorum. Lex Divina requirit in Judicibus. 1. Sapientiam, 2. Prudentiam. 3. Justitiam. 4. Timorem Dei. 5. Amorem veritatis. 6. Odium avaritiæ. 7. Non respectum personarum, *Exod.* 18: 21. *Deut.* 1: 13, 16, 17. Has duas posteriores conditiones etiam postularunt Pagani in Judicibus: propterea pictores, præcipuè Thebani, pinxerunt Justitiam sine manibus & sine oculis, ad indicandum Judices non debere accipere munera, nec respicere personas. *Vide Plutarchum in Iside.*

Judæi præter has conditiones in his Senioribus postularunt adhuc alias. 1. Ut essent liberi ab omni vitio corporis. Debebant enim ex sententia Judæorum esse corpore integro. Qui ergo vitium aliquod in corpore habebant, arcebantur. Hinc claudi, lusci, monoculi, &c. erant incapaces hujus supremæ functionis. 2. Ut callerent 70. linguas. Judicabant enim omnes populos undique ex Terra Sancta ad se venientes; atque Judæi putant Linguam Hebræam fuisse divisam in 70. linguas. Si ergo tot linguas non calluissent, per Interpretes debuissent audivisse subditos; quod videtur esse contra Majestatem

Digitized by Google

jestatem Seniorum. Sed hæc conditio ficta est. 3. Ne essent nimis senes: nam senes solent sæpe repuerascere. Hæc conditio apud Romanos etiam fuit observata, uti apparet ex communi illo adagio, *Sexagenarius de ponte.* 4. Ne essent Eunuchi: tales enim judicabantur esse crudeles. 5. Ut essent Patres liberorum; quia tales judicabantur magis inclinare ad clementiam & misericordiam quàm cœlibes. Cœlibes ergo ab hac honorifica functione arcebantur. 6. Ut essent Magiæ periti: aliter enim putabant eos fuisse ineptos ad judicandum Magos. Hinc tanti faciebant hanc artem, ut, qui nescirent eam, in hunc ordinem non putentur fuisse recepti. Sed vanissima est hæc opinio. Verum quidem est sacrum quendam instinctum non defuisse septuaginta Senioribus, postquam solenni actu manus illis essent impositæ. Deus enim eundem Spiritum illis promittit, qui in Mose fuit. Non ergo indiguerunt tam futilis scientiæ præsidio, qui meliora & certiora cœlitus erant edocti, *Vide de his Mosen Kotsensem in Sanhedrin.*

IX. *Nonò quæritur;* Quanta fuit auctoritas penes hos Seniores?

Resp. Summa potestas & auctoritas penes hos Seniores fuit, illimitata quidem respectu Legum Humanarum, sed limitata Divinarum Legum respectu. 1. Illis licitum erat per omnem Judæam ire, conventus populi lustrare, & in singulis oppidis novos magistratus creare. 2. Novas leges & traditiones condere, modo Legibus Divinis non essent contrariæ; & modos quosdam comminisci, quibus lex exponeretur & legeretur. 3. Tribus, Pontifices, Prophetæ, cum graviter deliquissent, vel cùm Pseudoprophetæ fierent, ab his Senioribus tantùm judicabantur. Hinc Lucas in Evangelio ait, Prophetam non perire extra Hierosolymam: nam Sanhedrin tantùm congregatum erat Hierosolymis. 4. Rege mortuo alium Regem eligebant. 5. De bello gerendo, de pace ineunda, de hostibus profligandis, deque siclorum pensitatione annua deliberabant. 6. Uxor à viro zelotypo adulterii suspecta per aquas amaras examinabatur, Sacerdote juxta Legem sacram ritus præstante, *Num.* 5: 12. 7. Urbs atriumve non nisi his jubentibus amplificabatur. 8. In nullam urbem sententia universalis apostasiæ ferebatur, nisi ab his LXXI. Viris. 9. Ab hoc Synedrio instituebatur temporum calculus, ut Neomeniarum designatio, Mensium & Annorum intercalatio, Sabbathicorum & Jubilæorum ratio, &c.

Digitized by Google

De Synedrio XXIII. Virorum.

X. JAm sequitur secundum sive *Majus* Synedrium, quod constabat XXIII. Viris. De hoc *primò quæritur*; Unde Judæi probant hoc Synedrium debere constare XXIII. viris? *Resp.* Hoc probant in Tract. Sanhedrin *Cap.* 1. *Sect.* 6. tali modo; *Num.* 35 : 24, 25. habetur, *Et judicabunt cœtus, & eripient cœtus.* Cœtus judicat & cœtus eripit, habes vicenos. Sed unde probatur quod cœtus contineat decem homines? Quia decem malitiosi exploratores terræ Canaan vocantur cœtus, *Num.* 14 : 27. *Quousque cœtui huic malitioso.* Simili absurdo ferè modo probant ternos Judices esse addendos.

XI. *Secundò quæritur*; In quibus locis hoc secundum Synedrium fuit congregatum?

Resp. 1. In ipsa urbe Hierosolyma talia duo Synedria fuerunt, quorum unum ad portam atrii fuit, alterum verò ad portam, quæ aditum aperuit ad montem templi. Judices ad portam montis sancti sedentes magnificum sibi duxère, si in senatum adscriberentur, qui ad portam atrii erat. Hæc accuratè distinguuntur à Maim. in *Halacha Sanhedrin cap.* 1. De his non loquimur. 2. In omnibus cæteris Palæstinæ urbibus & locis, in quibus 120 vel plures cives, sive potius œconomiæ erant, secundum hoc Synedrium erat congregatum.

XII. *Tertiò quæritur*; Circa quæ hoc Synedrium versabatur?

Resp. 1. Circa judicia capitalia, quæ quatuor ordinaria apud Judæos erant, scil. *Lapidatio*, *Ustio*, *Decollatio*, *Strangulatio.* Hoc Synedrium judicabat an aliquis esset occidendus, & si esset occidendus, an esset lapidandus, comburendus, decollandus vel strangulandus. 2. Alia infinita negotia certo respectu magni momenti, quorum judicium ad Sanhedrin non pertinebat, etiam determinabat. 3. De homine & bestiâ mutuo coitu maculatis, de bove lapidando judicabat etiam hoc Synedrium. 4. Lupus, leo, ursus, panthera, vipera & serpens ab hoc Synedrio neci adjudicabantur. *Vide Sanhedrin cap.* 1. *sect.* 4.

Ex his jam facili negotio eliciuntur differentiæ quæ fuerunt inter Maximum & Majus Synedrium. 1. In primo fuerunt LXXI. Viri, in secundo tantùm XXXIII. 2. Primum tantùm erat unicum, eratque congregatum Hierosolymis; secundum verò erat in omnibus Palæstinæ civitatibus congregatum. 3. A secundo dabatur provocatio ad primum, non verò à primo ad secundum. 4. Primum judicabat de rebus maximi momenti, sed secundum tantùm de rebus levioribus.

De

Digitized by Google

De Synedrio trium Virorum.

XIII. JAm ſequitur tertium & *Minimum* Synedrium, quod conſtabat tantùm tribus viris, eratque in omnibus locis, in quibus non erant 120. familiæ, & in aliis locis tantùm rebus leviculis dijudicandis præerat. De qualibus rebus hoc triumvirale Synedrium judicabat? *Reſp.* Non de bello & pace, non de pœnis Capitalibus; ſed judicabat de rebus leviſſimis. 1. De debitis pecuniariis. 2. De furtis. 3. De rapinis. 4. De damnis illatis. 5. De reſtitutione dupli, quadrupli & quintupli, &c. Hæc de tribus Synedriis ita breviter dicta ſufficiant; qui plura deſiderat, legat Tractatum Sanhedrin translatum & notis illuſtratum à Coccejo, vel evolvat ſpiſſos libros conſcriptos de Synedriis à Seldeno.

DISSERTATIO QUADRAGESIMA SEPTIMA.
DE
Pœnis olim apud Judæos Capitalibus.

I. *Quatuor ſunt ſupplicia Capitalia inter Judæos uſitata.*
II. *Ceremoniæ adhiberi ſolitæ ante & circa ſupplicia Capitalia ſunt ſeptem, quæ ordine enumerantur.*
III. *Damnati extra urbem fuerunt puniti. Rationes adduntur.*
IV. Lapidatio, *pœna graviſſima, deſcribitur cum omnibus circumſtantiis.*
V. *Rei lapidandi hic enumerantur.*
VI. *Secunda pœna eſt* Uſtio, *quæ in mortuis habebat locum.*
VII. *Rei comburendi erant decem.*
VIII. Decollatio *fiebat vel gladio vel ſecuri.*
IX. *Homicidæ decollabantur; ſed multi ab homicidio liberantur, qui revera homicidæ erant.*
X. Strangulatio *erat minima pœna, quæ ſect. 6. deſcribitur.*
XI. *Objectio deſumpta ex* Joh. 8: 5. *de muliere in adulterio deprehenſa, ſolvitur.*
XII. *Rei ſtrangulandi enumerantur.*

I. SYnedrium XXIII. Virorum circa ſupplicia Capitalia verſabatur, quæ quatuor fuerunt, prout habetur in Sanhedrin *cap.* 7. §. 1. ארבע מיתות נמסרו לבית דין . סקילה . שריפה . הרג . וחנק, *Quatuor ſupplicia Capitalia Senatui tradita ſunt: Lapidatio, Uſtio, Interemptio, quæ fit gladio, & Strangulatio.* Ordine

Digitized by Google

ne verborum gravitas suppliciorum hic indicatur, ut primum supplicium sit omnium gravissimum, secundum minus grave, & sic deinceps. Antequam ad specialem horum suppliciorum enarrationem descendamus, quasdam generales ceremonias præmittemus, quæ in suppliciis Capitalibus fuerunt observatæ.

II. *Primò quæritur*; Quales ceremoniæ fuerunt adhibitæ ante & circa supplicia Capitalia?

Resp. Eæ sunt variæ. 1. Judices in omnibus causis quidem usi fuerunt *deliberatione*, sed præcipuè in judiciis Capitalibus. Ita Moses in rebus difficilioribus, etiamsi tantùm pecuniariis, rogavit os Dei, & celeriter sententiam pronuntiavit; sed in Capitalibus usus est longiori deliberatione cum Deo. Targumista Jonathan & Targum Hierosolymitanum quatuor judicia enumerant; duo leviora, & duo Capitalia, in quibus omnibus Moses deliberavit cum Deo. Si ergo Moses deliberaverit cum Deo, quanto magis cæteri Judices tenentur cum Deo sive lege Divina deliberare. Targum Hierosolymitanum ità habet: Hoc est unum ex quatuor Judiciis quæ ingressa sunt coram Mose, in quorum duobus Moses fuit celer, in duobus aliis fuit Moses cunctator. *In immundis qui non potuerunt celebrare Pascha in tempore suo, & propter filias Tselophchad* fuit Moses celer. Sed *in blasphemo, qui nomini Sancto convitiatus erat & in colligente stipulas* exspectabat Moses; eo quòd Judicia illa essent judicia animarum: & in his & illis dixit; Non audivi; ut doceret judices, ut essent prompti in judiciis pecuniarum, & tardi in judiciis animarum, &c.

2. Rei accusati collocabantur coram Judicibus in loco eminentiori, unde videri & audiri poterant, & testes accusantes è regione. Sic legimus in exemplo Nabothi 1 *Reg.* 21: 9. 10. *Collocate Nabothum in loco altissimo populi. Et collocate duos homines nequam ex adverso ejus qui testificentur contra eum.*

3. Judices & testes imponebant manus suas capitibus damnatorum, & dicebant: *Sanguis tuus sit super caput tuum.* Hinc Judæi dicunt *Matth.* 27: 25. *Sanguis ejus super nos & super filios nostros.*

4. Quando damnatus educebatur ad locum supplicii: præco aliquis præibat & ita clamabat: *Vir iste N. N. prodit*, ex gr. *lapidandus*, *vel decollandus*, &c. *ob culpam hanc* (quæ solebat exprimi) *suntque ejus facti testes N. N. & N. N. Quicunque ipsum insontem docere potest, accedens rationes suas exponat.* Si ergò aliquis sese offerret, qui damnatum insontem esse docere posset, vel si ipse damnatus rationes inveniret, quibus se excusare posset reducebatur quater quinquiesve ad Judices, dummodo

modo in verbis ejus esset solidi quippiam. Sed quomodo hæc fiebant? Unus officialium stabat ad ostium curiæ, tenens manu sudarium: unus item equo insidens. Si aliquis docere possit damnatum esse insontem, iste sudarium quatit, & eques, concitato cursu, damnatum retrahit. Sed an damnatus statim ad Judices reducebatur, quando tantùm diceret, sum insons, &c.? Quicquid afferret pro suâ innocentiâ, bis reducebatur. Sed si ipsius verba aliquid solidi in se continerent quater vel quinquíes reducebatur. Sed quinam in via judicabant an ipsius verba aliquid solidi in se continerent nec ne? Addebant damnato duos Sapientes, qui de ipsius verbis judicabant. *Vide Sanhedrin Cap.* 6. *& Coccejum.*

5. Antequam damnatus occidebatur, tenebatur confiteri sua peccata, exemplo Josuæ monentis Achan *Jos.* 7: 19. *Mi fili, tribue nunc gloriam Jehova, & ede ei confessionem.* Quisquis enim peccata sua non confitetur, illi in futuro seculo non putant esse sortem. Hinc putant, quia Achan peccata sua confessus est, *versu* 20. eum vitæ æternæ esse heredem. Non tamen unquam aliquem ex propriâ confessione occiderunt.

6. Antequam educeretur amarus quidam potus dabatur damnato: היוצא ליהרג משקין אותו קורט של לבונה בכוס של יין כדי שתטרף דעתו. *Ei, qui ducitur ad mortem, præbetur granum thuris in poculo vini, ut alienetur mens ejus.* Additur hìc simul causa quare præbuerint granum thuris; ut mens ejus turbaretur & pœnam minus sentiret. *Maim. in Sanhedrin. c.* 13. Hinc in N. T. legimus simile poculum etiam concessum fuisse Salvatori nostro. Marcus *cap.* 15. *vers.* 23. ait eos dedisse Christo ἐσμυρνισμένον οἶνον *Myrrhatum vinum,* secundùm consuetudinem inter Judæos usitatam. Sed milites ad illudendum Christo dederunt bibendum *acetum cum felle mistum*, Mat. 27: 34. Secundâ vice dederunt ipsi *bibendum acetum,* versu 48. *Quæritur.;* Unde talis mos dandi damnatis tale poculum originem sumsit? *Resp.* Quia *Proverb.* 31: 6. habetur: *Date potum inebriantem perituro, & vinum amaris animo.*

7. Omnia instrumenta, ut gladius quo aliquis fuit decollatus; arbor in qua aliquis fuit suspensus; linteum quo aliquis fuit strangulatus, &c. fuerunt igne consumta; ne aliquis postea diceret: Hic est gladius ille, quo ille est decollatus; hæc est arbor cui ille fuit alligatus; hoc est linteum quo ille fuit strangulatus, &c. *Vide de his Godwijn in Mose & Aarone lib.* 5. *c.* 4.

III. *Secundò quæritur;* Ubinam damnati Capitali supplicio afficiebantur; Utrum intra urbem; an verò extra eam?

Resp. Semper extra urbem damnati puniebantur. חוץ לשלש מחנות *extra*

 tria

tria castra. Judaei urbem Hierosolymam in tria castra distinxerunt, h. e. in atrium sive castra Dei; montem Sanctuarii sive castra Levitica; & in totam urbem sive castra Israëlis. Locus supplicii ergo extra muros fuit. *Vide Sanhedrin cap.* 6. Hinc in Novo T. *Act* 7: 58. legimus, Stephanum fuisse ejectum ex urbe, ibique lapidatum.

Quaeritur; Quare damnati extra urbem fuerunt puniti?

Resp. Propter duas causas. 1. Ne Senatus videretur caedibus delectari. 2. Vel, ut, dum reus per viam extra muros duceretur, argumento innocentiae reperto, liberaretur.

IV. Jam sequuntur quatuor supplicia Capitalia in specie enumeranda, & inter ea consideranda est primo loco *Lapidatio*, pœna omnium gravissima, de qua *primò quaeritur*; Quomodo Lapidatio fiebat, & quae eam sequebantur? *Resp.* 1. Reus educebatur extra urbem, & quando decem cubitis aberat à loco lapidationis, jubebatur confiteri sua peccata.

2. Quando quatuor cubitis ab eodem loco aberat, vestes ei exuebantur. Maris anteriora verecundiae ergò velabantur, mulieris etiam posteriora.

3. Locus Lapidationis altus erat geminam hominis longitudinem. Testium alter inde lapidandum detrudebat, ut in lumbos caderet. Si hoc casu moreretur, satisfactum erat legi: si verò non; alter testium lapidem sublatum in pectus immittebat. Si hoc ictu moreretur, satisfactum erat: si verò non, à toto Israële lapidibus obruebatur. Hoc probant ex *Deut.* 17: 7. *Manus testium primo in illum sunt, & deinceps manus totius populi.*

4. Lapidati plerumque suspendebantur, praecipuè blaspemi & idololatrae. Mares suspendebantur faciem populo obversi; Mulieres verò faciem conversae ad arborem. Quomodo fit suspendium? Ex manibus cadaver lapidatum suspenditur, non capite. Quamdiu manebat cadaver in patibulo? Non diu, sed uno ligante alter solvebat ad satisfaciendum legi de suspendio, quae Lex ex sententia Judaeorum videtur à Mose tradita *Deut.* 21: 21. 22, 23.

5. Lapidati non sepeliebantur in sepulchris Majorum suorum. Duo sepulchra à Senatu constituta erant; unum pro lapidatis & ustis; alterum verò pro interemptis gladio & laqueo.

6. Qui à Senatu morte affecti erant, non lugebantur luctu, qui externo habitu & gestu fiebat. Haec antecedentia vide uberius Hebraicè in Misna Tractatu *Sanhedrin cap.* 6. sed brevitatis causa omisso textu Hebraeo tantùm Latinè haec recenseo.

V. Se-

Digitized by Google

V. *Secundò quæritur*; Quales Rei lapidibus obruebantur?

Resp. Varii. 1. Qui rem habuerat cum matre. 2. Cum uxore patris sui. 3. Cum nuru. 4. Cum mare. 5. Cum jumento. 6. Mulier quæ jumentum admisit. 7. Blasphemus. 8. Idololatra. 9. Qui dedit de semine suo Molocho. 10. Pytho, qui loquitur ex axillis suis. 11. Hariolus qui loquitur ore suo. 12. Profanator Sabbathi. 13. Qui maledicit patri aut matri. 14. Qui violat puellam desponsatam. 15. Seducens privatim ad idololatriam. 16. Seducens publicè ad eandem. 17. Magus. 18. Filius contumax & rebellis, &c. Hæc est prima pœna Capitalis.

VI. Sequitur altera pœna Capitalis שריפה *Ustio* dicta, quæ in viventibus Reis non habebat locum, sed in mortuis: nam ante omnia comburendi strangulabantur. *Quæritur*; Quomodo fiebat talis strangulatio? *Resp.* Damnatus ad combustionem fimo immergitur usque ad genua, tum linteum collo ejus circumdatur. & in diversa hinc inde à duobus trahitur eo usque donec os ejus hiscat. Quo facto vel plumbum vel aliud metallum liquefactum ori ejus illiquatur, quod in viscera descendens ipsum enecat, & postea comburitur. Quando corpus igne sive lignis comburitur, tum illa combustio vocatur *combustio corporis*; sed quando ori ita illiquatur metallum aliquod, tum vocatur *combustio animæ*, & hæc posterior magis fuit usitata inter Judæos. Vide *R. Levi in Levit.* 10. Si comburendus moriatur in manibus illorum, qui eum strangulant, tum nondum satisfactum est præcepto ustionis; sed aperiunt os ejus forcipe ipso invito, & metallum candens ori illiquant. *Vide Sanhedrin cap* 7.

VII. *Porro quæritur*; Quales Rei comburebantur?

Resp. Numerantur vulgò decem. 1. Sacerdotis filia quæ scortata est. 2. Qui concumbit cum propria sua filia. 3. Cum filia filiæ suæ. 4. Cum filia filii sui. 5. Cum filia uxoris. 6. Cum filia filii ejus. 7. Cum filia filiæ ejus. 8. Cum socru sua. 9. Cum matre socrus. 10. Cum matre soceri, &c. *Vide Sanhedrin Cap.* 9.

VIII. Tertia pœna est הרג *Occisio* sive *Decollatio* dicta, quæ duobus modis instituebatur. Aliquando caput ense secabatur, uti hîc in Belgio fieri solet; nonnunquam verò caput impositum trunco securi præcidebatur, uti in Anglia fieri assolet. *Vide Sanhedrin Cap.* 7.

IX. *Quæritur*; Quales Rei decollabantur?

Resp. 1. Homicida, qui proximum suum percussit lapide, ferrove, vel si aquæ immerserit, unde exire nequeat, sive in ignem intruserit, ut inde exire non possit, ac moriatur. 2. Incolæ urbis ad idololatriam prolapsi, Si autem quis alium in aquam aut ignem impulerit, unde exire potuisset, ille

Digitized by Google

non censetur esse homicida. Deinde si quis in animo habuerit ferire bestiam, atque interemerit hominem: sive peregrinum & interfecerit Israelitam: sive apostatam & occiderit filium foederis, liber est ex sententia Judæorum à pœnâ homicidii. Præterea si intenderit femur cujuspiam percutere, ubi ictus lethalis non fuisset; & telum pectori inciderit, lethalem plagam fecerit, mortuusque eâ plagâ fuerit, itidem liber censetur. Vide plures exceptiones in *Sanhedrin cap.* 9. quibus homicidæ à pœna homicidii liberantur.

X. Quarta & ultima pœna capitalis, quæ etiam minima est, vocatur חנק *Strangulatio*, cujus modus suprà in combustione est plenè descriptus. Quando S. Scriptura non determinat pœnam, sed simplicitur dicit *morte morietur*, tum Judæi intelligunt illam pœnam de Strangulatione, utpote omnium pœnarum minimâ; nam gratiæ & misericordiæ sunt ampliandæ, & Strangulatio censetur esse minima pœna. Ex. gr. *Levit.* 20: 10. Deus dicit de adultero & adultera: *Omnino morte plectitor adulter & adultera.* Quia hic nulla pœna in specie determinatur, ideo Judæi volunt adulterum & adulteram Strangulatione debere occidi.

XI. Contra hanc Judæorum regulam objici potest Textus *Joh.* 8: 5. De muliere in ipso actu adulterii deprehensâ dicunt Judæi: *In lege nobis præcepit Moses ut tales lapidentur.*

Resp. Hæc mulier videtur tantùm viro fuisse desponsata & nondum ducta: nam desponsatarum pœna fuit lapidatio, uti suprà in pœna lapidationis vidimus: sed adulterarum pœna fuit Strangulatio.

Rogabit fortasse nonnemo; An ergo adulterium desponsatæ æstimabatur majus scelus, quàm adulterium uxoris ductæ: nam lapidatio est major pœna Strangulatione: ergo adulterium desponsatæ videtur esse majus scelus.

Resp. Imo adulterium desponsatæ videtur esse majus scelus: nam amor noviter desponsatorum est recens, & per consequens fervidior; sed amor, præcipuè inter Judæos qui levissimâ de causâ uxores suas dimittebant, cum tempore decrescebat. Hinc videtur desponsata majus peccatum commisisse; & per consequens ea videtur digna fuisse majori pœnâ, quam adultera ductæ.

XII. *Quæritur*; Quales Rei strangulabantur?

Resp. 1. Qui patrem matremve pulsaverat.

2. Qui animam ex Israele furatus fuerat.

3. Presbyter edicto Senatus obnitens.

4. Mendax vates.

5. Qui

5. Qui vaticinatur in nomine Idoli.
6. Qui cum alterius uxore concumbit.
7. Qui filiam Sacerdotis falsò detulit.
8. Qui cum eâ concubuit. *Vide Sanhedrin cap.* 10. Hæc de quatuor pœnis dicta sufficiant.

DISSERTATIO QUADRAGESIMA OCTAVA.

Quæ est pars prima

DE

POENIS non CAPITALIBUS.

I. *Pœnæ non Capitales recensentur.* Incarceratio *est communis pœna inter Judæos & Christianos usitata.*
II. Restitutio *quadruplex explicatur.*
III. Talio *est duplex, vel identitatis, vel similitudinis. Utraque describitur.*
IV. Exilium *ad asyla, quæ fuerunt sex.*
V. *Etiam urbes* 42. *Levitarum fuerunt asyla, sed cum differentia aliqua.*
VI. *Cornua altaris etiam aliquando liberarunt homicidas, præcipuè sacerdotes.*
VII. *Etiam alios.*
VIII. *Etiam suburbia homicidis involuntariis præstiterunt asyla.*
I. *Sub Novo T. non debent esse ulla asyla sive Pontificiorum sive Magnatum.*
X. *Omnes involuntarii homicidæ non fugiebant ad asyla.*
XI. *Multa sunt consideranda circa homicidas & asyla, quæ hic ordine enumerantur. Etiam describitur Vindex Sanguinis.*

I. EGimus de quatuor pœnis olim inter Judæos Capitalibus, jam sequuntur pœnæ non Capitales; quæ sunt vel Civiles, vel Ecclesiasticæ. Civiles pœnæ sunt. 1. *Incarceratio.* 2. *Restitutio.* 3. *Talio.* 4. *Exilium* ad asyla, & 5. *Flagellatio*, quæ tamen posterior etiam quodammodo Ecclesiastica pœna est. Ecclesiastica pœna est *Excommunicatio*, sive disciplina Ecclesiastica. De civilibus primò agemus.

Prima pœna est *Incarceratio*, quæ eadem ferè est cum nostrâ, de quâ propterea nihil peculiare dicemus. Etiam in V. T. mos ille observabatur; si custos captivum aliquem dimiserit, ille custos ejusdem criminis reus æstima-

æstimabatur propter quod captivus ille erat incarceratus: sic legimus 1 *Reg.* 20: 39. *Quidam accedens adduxit ad me virum & dixit, serva virum hunc, si ullo pacto desiderabitur, utique erit vita tua pro vitâ ejus, vel talentum argenti pendes.*

II. Secunda pœna est *Restitutio*, quando quis tenetur restituere quod malo titulo possidet. De hâc pœnâ agitur *Exod.* 22. Restitutio potest esse quadruplex.

Prima Restitutio est *secundùm idem*, quando eadem planè res quæ ablata est redditur. De tali Restitutione legitur *Exod.* 22: 10, 12. *Si dederit quispiam proximo suo ex conducto asinum*, &c. *Quod si furto ablatum fuerit ab ipso, omnino reddet domino suo*, scil. quod furto abstulit. Judæi strictè hanc Restitutionem observant, si quis Judæus post ædificatam domum cognosceret lapides quosdam, vel ligna nonnulla illi domui adjuncta vel inædificata esse, totam illam domum destrueret, ut lapides illos vel ligna illa restituere posset. Quare? Quia *Habac.* 2: 11. habetur, *Lapis è pariete exclamat, & nodus ex ligno testificatur istud.*

Secunda Restitutio est *secundùm æquale*, quando simile redditur, *Exod.* 22: 5. *Si quis depascens agrum aut vineam immiserit pecus suum quod pascat in agro alterius; optimo agri sui, & optimo vineæ suæ rependito.*

Tertia Restitutio est *secundùm possibile*, quando aliquis non valens plenè satisfacere, in tantum satisfacit, vel tantum solvit, quantum potest, *Exod.* 22: 3. *Fur non valens restituere furtum, vendebatur pro furto.*

Quarta Restitutio est *abundans*, quando plus redditur quàm furto ablatum est, *Exod.* 22: 1, 4. *Si quis furatus bovem aut parvam pecudem mactaverit aut vendiderit eam, quinque boves rependito pro uno bove, & quatuor pecudes gregis pro unâ pecude. Si adhuc vivebant illa animalia, duplum solvebant.*

III. Tertia pœna non Capitalis est *Talio*; cujus meminit Moses *Deuter.* 19: 21. & *Exod.* 21. *Vita pro vita, oculus pro oculo, manus pro manu, pes pro pede.* Eaque est duplex, vel *Talio identitatis* sive Pythagorica, quando secundùm literalem Legis sensum oculus pro oculo, dens pro dente, &c. rependitur; vel est *Talio similitudinis* sive analogica, quando non oculus pro oculo, sed pretium oculi sed pretium dentis rependitur: ut si aliquis pro extrusione oculi solvat centum Imperiales, ibi est Talio similitudinis. Judæi textus illos explicant de Talione similitudinis: sic Targum Jonathæ. *Deut.* 19: 21. ולא תיחוס עיניכון נפשא חלופי נפשא . דמי עינא חולף עינא . דמי שינא חולף שינא . דמי ידא חולף ידא . דמי ריגלא חולף ריגלא *Non parcet oculus vester: anima pro anima, pretium oculi pro oculo, pretium dentis pro dente,*

te, pretium manus pro manu, pretium pedis pro pede. Ut ut ſit, ſæpiſſimè talio identitatis non poteſt habere locum: ex gr. Si cœcus aliquis, vel privatus dentibus aliquem privet oculo vel dente, ille rurſus non poteſt eo membro privari. Ergo in tali locum habere debet *talio analogica.* Apud Romanos etiam fuit talio uſitata, ſed reo dabant optionem, utrum talione identitatis; an vero talione analogicâ, ſolvendo certam aliquam pecuniæ ſummam, vellet puniri. *Vide A. Gellium l.* 11. *c.* 1. Et quia Judæi hunc Textum ad literam non explicant, ſed de תשלום ממון *compenſatione per pecuniam*, ſive per bona externa exponunt; ideo lædentem, qui alium læſit, ad hæc quinque obligatum eſſe ajunt, ſcil. ut compenſet 1. *Damnum*, ex gr. pro abſciſſione manus, &c. 2. *Seſſionem*, quia eo tempore quo decubuit non potuit laborare. 3. *Dolorem*, quem ex vulnere paſſus eſt. 4. *Medicinam*, ſive ſumptus, quos ſolvit Medicis & Chirurgis, & 5. *Confuſionem*, h. e. deformitatem, ſi ſcil. in facie vel in loco patenti ſit læſus. Vide Munſterum in notis ad *Exod. cap.* 21. Et *Godwiju in Moſe & Arone l.* 5. *c.* 8.

IV. Quarta Pœna eſt *exilium* ad Aſyla, de quo variæ quæſtiones moveri poſſunt. *Primò quæritur*; Quot fuerunt Aſyla? *Reſp.* Deus mandavit populo ut ſex urbes Refugii ſive Aſyla eligerent, *Num.* 36: 6. à Moſe ultra Jordanem tres tales urbes ſunt electæ, ſcil. Bazar in deſerto, Ramoth in Gilead, & Golen in Baſan. Totidem etiam à Joſuâ in ipsâ Terrâ Sanctâ ſunt ordinatæ. ut Sichem in monte Ephraim, Kadeſch in monte Nephthali, & Hebron in Juda, *Joſ.* 20: 7.

V. *Secundò quæritur*; An non aliæ urbes, præter has ſex, etiam Aſyla fuerunt? *Reſp.* Quadraginta duæ urbes Levitarum *Num.* 35: 6, 7. quæ præter ſex urbes Refugii conceſſæ ſunt Levitis, etiam fuerunt Aſyla, ſed cum his differentiis. 1. Incolæ urbium quadraginta duarum pro beneplacito recipiebant homicidas, vel non recipiebant eosdem, ſed incolæ ſex priorum urbium tenebantur homicidas recipere, etiam inviti. 2. In 42. urbibus homicida tenebatur mercedem commorationis pro ædibus quas inhabitabat ſolvere, ſed in ſex Aſylis homicida nihil pro ædibus ſolvebat. *Vide Maimon Hilch. Rothſeah. cap.* 8.

VI. *Tertiò quæritur*; An non cornua altaris etiam conſtituerunt Aſylum? *Reſp.* Altare fuit quidem Aſylum, ſed non ſemper liberavit omnes fugientes ad altare. 1. *Reg.* 1: 51. legimus de Adonia, quod fugerit ad altare, & apprehenderit ejus cornua. Ille liberatus eſt. Sed Joab juſſu Regis ad altare occiſus eſt. Deus *Exod.* 21: 14. mandat de homicidâ qui ſponte & aſtu aliquem occiderat, *Ab altari meo tolles illum ut moriatur.* Ergo tales homicidæ non gaudebant ad altare hoc privilegio, ſed homicidæ ex errore.

Judæi adhuc varias exceptiones adjiciunt, quibus jus Asyli in Altari imminuunt. 1. Ajunt, אין קולט אלא גג של מזבח *Confugii tutelam non præstitit alia pars Altaris præter ipsum tectum*, seu *corporis Altaris partem superiorem.* Non igitur cornua aut laterum tactus. 2. Negant Altare fuisse Asylum nisi Sacerdotibus, neque iis omnibus, sed tantummodo Sacerdoti in parte superiori Altaris operanti. 3. Non morandum ei ibi diu erat, sed traditis ei custodibus, deduci eum faciebant in urbem Refugii ei idoneam & convenientem.

VII. *Quæritur*; An non cæteri Judæi præter Sacerdotes aliquo in casu etiam tuti fuerunt in Altari?

Resp. Imo. Qui ordinariâ mortis sententiâ liberi, Judicium Regium aut forense extraordinarium timentes & Altare tutelæ causâ se contulissent, atque illud amplexi essent, tuti ibi hâc in causâ erant, nec divellendi unquam ab Altari ut mortis judicio traderentur. Sed si Sacerdotes, vel ipsi Summi Pontifices cædem voluntariam comisissent, tum cum steterint & ministraverint, potuerunt avelli ab Altari. Ita volunt ad *Exod.* 21: 14. Paraphrasis Jonathæ & Hierosolymitana. *Vide Seldenum de jure Naturali & Gentium l. 4. c. 2.*

VIII. *Quartò quæritur*; An non homicidæ involuntarii fuerunt etiam tuti extra Asyla in eorum suburbiis?

Resp. Imo. Homicidæ in suburbiis morantes etiam erant tuti extra urbem. Sic ait Misna Tract. *Maccoth*, *cap.* 2. כשם שהעיר קולטת כך תחומה קולט *Sicut urbs, ita territorium ejus recipit.* Arbor si sita sit intra urbis fines, ramis extra illos prominentibus, sub ramis tutus est homicida. Sed si homicida limitibus urbis egressus sit, deprehenderitque eum Vindex sanguinis, præceptum occidendi est in manu Vindicis, facultas in manu cujusvis. *Vide ibidem.*

IX. *Quintò quæritur*; An non sub Novo T. etiam quædam urbes Magnatum, aliaque loca debeant esse Asyla, sicuti in V. T. fuerunt?

Resp. Apud. Pontificios solent varia loca esse Asyla, ut *omnia Templa, domus Episcoporum, Cœmeteria sanctificata.* Hinc in columnâ quæ è regione Academiæ nostræ in medio Coemeterii usque ad annum 1661. erecta fuit, habebatur hæc vox, *Vrythof.* Etiam *Deus impanatus*, quando in suâ pompâ & processionibus circumfertur. Tum enim nolunt aliquem inde rapi, etiamsi gravia peccata commisisset. Etiam *omnia Cœnobia* Asylorum jure gaudent.

Inter Reformatos etiam variæ inveniuntur urbes pertinentes ad Magnates quosdam, quæ hoc privilegio gaudent, vel gaudere videntur. Sed *quæritur*;

Digitized by Google

quæritur; An antedicta loca Pontificiorum aut urbes Magnatum jure gaudent tali privilegio? *Resp.* Nullo jure gaudent tali privilegio, nec Pontificii neque Magnates exemplo Veteris T. se possunt defendere, Nam. 1. In Veteri T. fuit speciale mandatum de certis quibusdam Asylis eligendis, inter quæ non sunt hodierna Asyla. 2. In Asylis V. T. tantùm tuti erant homicidæ, qui ex errore & ignorantiâ aliquem occiderant: sed in hodierna Asyla recipiuntur voluntarii homicidæ, & ferè tantùm tales; præterea fures recipiuntur, qui, creditorum bona diripientes, cedunt foro. 3. Asyla pertinuerunt ad legem forensem, etiam adcæremonialem: nam usque ad mortem summi Pontificis ibi manebant; quo denotabatur mors Christi. Atqui leges forenses & cæremoniales quâ tales sunt abolitæ. Nam morale, quod in antiquis Asylis fuit, scil. de non occidendo homicidâ involuntario, adhuc hodie manet, & sic totus mundus jam est Asylum. Nam tales homicidæ involuntarii non afficiuntur pœnâ mortis, neque hodie Vindici sanguinis datur potestas occidendi talem homicidam, sicuti data fuit in V. T. *Num.* 35: 27. Et per consequens in N. T. non sunt necessaria Asyla.

X. *Sextò quæritur*; An omnes involuntarii homicidæ ad Asyla debuerunt confugere?

Resp. *Num.* 35: 15. dicitur, quod Asyla essent pro filiis Israel, peregrinis, & pro inquilinis: sed inter hos Judæi varios excipiunt. 1. Si pater docendo filium, aut magister discipulum Legem, Philosophiam, aliasque necessarias artes, & merentem pœnas castiget ad mortem, non tenetur fugere ad Asyla, & immunis est à pœnâ forensi. 2. Etiam excipitur Lictor, qui aliquem in jus vocatum, nec sequentem aut comitantem, verberibus fortè interimeret. 3. Si percussus non statim moriatur, non tenetur percutiens ad Asylum confugere, neque Vindici sanguinis ulla in eum est potestas. 4. Si aliquis scalam ascendens cadat, & aliquem interimat, non tenetur fugere ad Asylum. *Vide Seldenum loco mox cit.* 5. Cæcus non exsulat. Vide de cæteris, qui Asylorum privilegio gaudere possint, vel non possint, Tractatum *Maccoth. cap.* 2.

XI. *Septimò quæritur*; Quæ adhuc erant consideranda in homicidis involuntariis, & in urbibus Refugii?

Resp. Ea sunt varia. 1. Cives Asylorum non tantùm tales homicidas debebant recipere, sed præterea tenebantur eos artificium aliquod docere, quo vitæ necessaria sibi comparare, seque sustentare possent.

2. Si homicida esset ex discipulis diligentibus, præceptor ejus simul cum

eo exſulare cogebatur: ſi vero homicida eſſet ipſe Rabbi, præceptor, ſchola ipſius in civitatem Refugii transferebatur.

3. Duo aut tres viri ſapientes fugienti adjungebantur, qui adverſarium, ſanguinis ultorem, ſi fortè in itinere occurreret, blandis verbis & admonitionibus abarcerent, ne quid violentius in homicidam moliretur.

4. Nullus homicida, neque etiam voluntarius, *Num.* 35: 12. impediri debebat; ſed cauſa homicidæ paulo poſt factum peragebatur per conſiſtorium, quod in eo loco erat ubi homicidium erat perpetratum. Homicida reducebatur ex Aſylo ad urbem unde aufugerat, ibique cauſa ipſius examinabatur, qui ſi reus mortis deprehenſus eſſet, à magiſtratu abſque morâ occiſus fuit; ſi vero homicidium caſu factum deprehenſum eſſet, publico & ſalvo conductu in civitatem Refugii reductus fuit.

5. Homicidæ ex Aſylis diſcedere non poterant, & ad ſuos redire, antequam moreretur ſummus Pontifex: ſed eo mortuo ad priſtina officia, ad munia, ad dignitatem & poteſtatem rurſus fuerunt admiſſi, *Num.* 35: 25. Hinc in *Maccoth cap.* 2. dicitur, Matres Pontificum homicidis exſulantibus munera ſæpius miſiſſe, multaque in eos beneficia contuliſſe, quo minus ſummi Pontificis mortem exoptarent.

6. Si homicida in ipſa urbe Refugii aliquem occidiſſet, ex eâdem urbe ad aliam migrare cogebatur. Sed ſi aliquis Sacerdotem ſummum occideret, ſi vel Imperator exercitûs eſſet; aut Sacerdos ſummus alium, nunquam egreditur Aſylo.

7. Urbes Refugii æquali ferè ſpatio ab invicem diſſitæ erant, ita ut æquale ſpatium eſſet ab Hebron ad Sichem, à Sichem ad Kadeſch, &c.

8. Viæ quæ ad urbes Refugii ducebant decimo quinto menſis Febr. quotannis complanabantur, ut nullum eſſet obſtaculum, quod fugientem homicidam impedire poſſet. Eo die emittebantur quidam qui vias hyemalibus imbribus corruptas repararent, & pontes, ſi flumina intercurrerent, labefactos aut excuſſos repararent. Vide *Schekalim cap.* 1. בחמשה עשר באדר מתקנין את הדרכים *Decimo quinto Februarii reparant vias.*

9. In bivio aut trivio ſtipes erectus fuit, in quo ſcriptum erat מקלט *miklat*, h. e. *urbs Refugii,* ut fugientem dirigeret in eam viam, quæ ad Aſylum ducebat.

10. Oportebat illas civitates non nimis parvas eſſe, ne deficerent victui neceſſaria, nec etiam nimis magnas, ne fortè per frequentiam hominum eo confluentium Vindex ſanguinis urbem non obſervatus ſubintraret,

Digitized by Google

ret, atque homicidæ ibi exſulanti inſidias ſtrueret: ſed urbes mediocres eſſe debebant. Quis intelligitur per *Vindicem ſanguinis*? Vindex ſanguinis, definiente Maimonide, eſt כל הרוי לירושה *quicunque hæreditatem adire poteſt.*

11. Aſyla erant in talibus locis in quibus ſæpe nundinæ habebantur, ut eo faciliùs cibaria & reliqua neceſſaria haberi poſſent.

12. Opus erat ut in vicinia Aſylorum multi eſſent pagi & arces ad arcendum Vindicem ſanguinis, ſi fortè exercitu ſtipatus veniens vi urbem ingredi, & homicidam occidere vellet.

13. Non licitum erat in Aſylis arma bellica, vel venatoria, vel retia, vel funes, aut aliquid tale facere, ne fortè Vindex ſanguinis ſub prætextu emendi aliquid in urbem veniret, atque ita homicidam opprimeret. Hæc de Aſylis dicta ſufficiant.

DISSERTATIO QUADRAGESIMA NONA.

Quæ eſt pars ſecunda

DE

POENIS non CAPITALIBUS.

I. Flagellatio *fit vel virgis vel flagellis. Etiam* fuſtigatio *extra terram S. apud Judæos fuit uſitata. Deſcribitur flagellatio quæ Scorpionibus fiebat.*

Flagellatio fuit Pœna civilis, ſed quodammodo etiam eccleſiaſtica.

II. *Judæi flagellant reos* 39. *plagis. Judæi addunt ad Legem vel detrahunt aliquid à Lege.*

III. *Ratio inquiritur quare Judæi tantùm infligant* 39. *plagas, cum Lex exigat* 40.

IV. *Duo lora ſunt bubula & tertium eſt aſininum. Ratio additur. Singuli ictus habebantur pro tribus.*

V. *Flagellatio cum omnibus circumſtantiis fusè deſcribitur.*

VI. *Ob nonnullas cauſas aliquando pauciores ictus infliguntur.*

VII. *Enumerantur viginti ſeptem rei, qui puniuntur flagellatione.*

SEquitur ultima civilis Pœna, מלקות *Flagellatio* dicta, quæ fuit uſitatiſſima inter Judæos. Hæc à Deo eſt mandata *Deuter.* 25: 2, 3. *Si impius ſit dignus qui vapulet, dejiciat eum Judex, & cadat ipſum juxta impietatem ejus, cum certo numero. Quadraginta plagis verberet eum, & non addat verberare eum.* Flagellatio poteſt eſſe duplex, vel quæ fit *virgis*; vel quæ fit *flagellis*; hæc eſt gravior

vior illâ, prout apparet ex verbis apud Ciceronem pro Rabirio; *Porcia Lex virgas ab omnium civium corpore amovit, hic misericors flagella retulit.* Utraque fuit usitata apud Romanos; sed posterior tantùm inter Judæos.

2. Præter hanc flagellationem Judaicam extra fines terræ Canaan fuit usitata inter Judæos *Fustigatio*, quæ fiebat baculis ob contumaciam & violationem præceptorum, itemque ob neglectam testium admonitionem, atque etiam ob violationem interdictorum, quæ à Scribis posita erant. Certus plagarum numerus non in omnibus reis hîc infligebatur, sed gravitati attemperatus, & ex arbitrio Judicis pendebat, poteratque usque ad necem irrogari. Judæi dicunt hanc pœnam esse institutam à Rabbinis, & flagellationem à Deo. *Vide Coccejum in notis ad cap.* 3. *Maccoth.*

3. Præter has duas pœnas fuit adhuc alia gravior quæ fiebat *Scorpionibus.* 1 Reg. 12: 11. *Pater meus castigavit vos flagellis, ego autem castigabo vos scorpionibus*, h. e. Ego castigabo vos flagellis, quibus additi sunt עקרבים aculei & spinarum punctiones.

De Flagellatione, quæ fit flagellis, jam tantùm agemus. De eâ *primo quæritur:* Utrum Flagellatio sit pœna merè civilis; an vero etiam quodammodo ecclesiastica? *Resp.* Est pœna propriè civilis: nam à tribus Judicibus civilibus ob delicta civilia infligitur. Sed quodammodo etiam est pœna ecclesiastica; quia ab Ecclesiasticis imponitur tanquam peculiaris pœnitentia peccatorum: ex. gr. Si quis menstruatam mulierem agnoverit, vel homicidium commiserit, per aliquot dies flagellandus est, & illa Flagellatio tanquam pœna ecclesiastica imponitur. *Vide Synag. Buxtorfii cap.* 47. Etiam Judæi immediatè ante Festum Expiationis se mutuo flagellant in remissionem peccatorum. *Vide cap.* 25.

II. *Secundò quæritur*; Utrum Judæi flagellantes infligant Reis quadraginta plagas secundùm Legem Dei; an vero pauciores?

Resp. Paulus 2. *Cor.* 11: 24. conqueritur se à Judæis quinquies accepisse quadragenas plagas una minus. Ergo accepit triginta novem plagas. An ergo Judæi tantùm 39. infligunt ictus? Et an tot infligunt secundùm Legem Dei? *Resp.* Josephus *lib. Antiq.* 4. *cap.* 8. testatur Judæos tantùm 39. plagas infligere, sed Lex Divina *Deut.* 25. requirit quadraginta plagas, & R. Jehuda de 40. plagis exposuit verba Mosis: sed illa sententia fuit rejecta à cæteris Rabbinis, qui ferè omnes 39. plagas intelligunt. Ita sæpe solent Judæi vel aliquid ad legem addere, vel ab eâdem aliquid adimere: ex. gr. 1. Deus mandat observationem Sabbathi: sed illi addunt Sabbathulum, h. e. paulo citius, quàm Deus mandavit, Sabbathum incipiunt, & paulo serius idem finiunt. 2. Lex prohibet edere & bibere Idolis sacrificata, illi, præcipuè Germani Judæi, prohibent bibere cum Gentilibus vel Christianis: nam dubium

Digitized by Google

dubium est an vinum illud fuerit sacrificatum Idolis nec ne. 3. Deus mandavit remotionem fermenti ex ædibus tempore Paschatis & abstinentiam à carne suillâ; sed illi non audent nec fermentum sive panem, nec porcum nomine conveniente nominare; sed pro porco dicunt דבר אחר *res alia.* Vide Thisbi in דבר & נסך. Simile etiam faciunt in Flagellatione.

III. *Porro quæritur;* Quare Judæi unam plagam subtrahunt?

Resp. 1. Quidam ajunt Judæos misericordiæ ergo plagam unam detrahere. Credunt Deum quidem mandare 40. plagas, sed illi, volentes ostendere se esse misericordes, unam plagam detrahunt. Sed illa sententia non habet speciem veritatis: nam Judæi sunt crudeles erga sontes; hinc proverbium natum est, *Hy is den Joden overgelevert*, quasi diceres, ille crudelissimè excipitur. Propter eorum crudelitatem Deus etiam in Veteri T. permisit divortium. Deinde non est verosimile Judæos ad ostendendam misericordiam velle transgressores sensûs literalis Legis vocari.

2. Alii putant ipsam Legem tantùm exigere plagas triginta novem: sic ait Misna Tract. Maccoth. *Cap.* 3. *Sect.* 10 במה מלקין אותו ארבעים חסר אחת, שנאמר במספר מנין שהוא סמוך לארבעים *Quot verberibus afficitur sons? Quadraginta una minùs q. d. numero quadragenarii, h. e. numero qui proximus est quadragenario.* Vel numero qui numerat quadraginta, h. e. usque ad quadraginta. Sed falluntur Judæi. Lex intelligit 40. plagas: non enim in Textu hæ duæ voces במספר ארבעים *in numero quadragesimi* habentur sub formâ constructâ conjunctim; sed distinguuntur per Sophpasuk sive pausam majorem: *Cum certo numero. Quadraginta plagis verberet eum.* Judæi ergo contra Legis mentem conjungunt quæ sunt dividenda. *Vide Epist. dedicat. Buxt. Abbreviaturis præmissam.*

3. Buxtorfius in *Synag. cap.* 25. ait se aliquando de hoc numero plagarum tale responsum à Rabbino accepisse: quod olim veteres usi fuerint flagello tribus loris constante, quorum duo breviora, tertium tam longum fuerit, ut totum hominem totumque corpus circumiret; quodque Reus hoc flagello ter decies fuerit percussus; si verò vel semel tantùm cædere perexissent, duas supra 40. plagas Reo inflixissent, quod à Mose prohibitum.

IV. *Quæritur;* Quali materiâ constarent illa lora?

Resp. Rabbinus ille respondebat esse lora vitulina; sed alii dicunt duo breviora fuisse bubula sive vitulina, & tertium fuisse asininum. Quare additum est lorum asininum? Quia *Jes.* 1: 3. habetur: *Agnoscit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui, Israël non agnoscit.* q. d. Veniat asinus & vindictam sumat ab eo, qui non agnoscit præsepe domini sui. His tribus loris lictor sive carnifex sontem cædebat tripliciter, uno loro à parte ante-

te anteriore, & duobus aliis loris à parte posteriore. Singuli ictus erant triplices & talis triplex ictus unicâ vice inflictus loco trium erat; & proinde infligebant tantùm tredecim plagas: quia ter tredecim sunt triginta novem. Inter flagellandum citabant *versum* 38. *Psalm* 78. והוא רחום יכפר עון ולא ישחית והרבה להשיב אפו ולא יעיר כל חמתו *Sed ipse misericors expiabat delicta, & non destruebat, & sæpius revocabat iram suam, & non excitabat totum ardorem suum.* In hoc versu continentur tredecim voces, & post singulas ictum infligebant, ne inter cædendum errarent.

V. *Tertiò quæritur*; Quomodo præterea illa flagellatio facta fuit?

Resp. 1. Rei apud nostros, flagellantur stantes, sed apud Judæos prostrati in terrâ. 2: Manus alligabantur ad columnam ligneam, terræ infixam, altitudinis sesquicubiti, ut reus ipsi incumbere posset inclinatus. 3. Lentè & sensim flagellabant, ut plagæ commodè numerari possent. 4. Apud nostros thorax exuitur, sed apud Judæos lictor sive carnifex rumpebat vestes à se invicem, & ita rumpendo, sive detrahendo eas usque ad femora (quod fiebat vel per rupturam vel per scissuram) partem corporis denudabat. Ita *Actor.* 16: 22. legimus de Paulo & Sila *quod turba unà insurrexerit adversus eos, & prætores diruptis eorum vestibus jusserint eos virgis cædi.* 5. Lictor stabat in lapide, qui post sontem erectus erat, ut melius sontem inter scapulas tangere posset. 6. Lictor in manu habebat manubrium ligneum, cui tria illa lora erant alligata, palmi habens longitudinem, ne tangeretur reus ipso manubrio 7. Lictor illud manubrium unà cum loris, ambabus manibus attollebat, sed unâ tantùm manu infligebat ictum; non leviter, sed ex omnibus viribus suis. Adhuc hodie præceptores Judæi in scholis pueros suos non virgis sed loris castigant. 8. Tres Judices astabant, tot enim condemnabant hominem ad flagellationem. Primarius Judex acclamabat ipsi sonti in actu flagellationis, recitando dicta quædam Scripturæ, partim ad consolationem, partim ad pœnitentiam instituta, ex *Deut.* 28: 58, 59. *Nisi observans feceris omnia verba Legis hujus,* &c. *omnino mirabiles efficit Jehova plagas tuas & plagas seminis tui,* &c. & cap. 29. vers. 9. *Quapropter observabitis verba fœderis hujus, & facietis ea, ut secundetis quicquid facturi estis.* Secundus Judex numerabat ictus. Tertius monebat ad cædendum, proclamans, *cæde eum,* &c. Vide de his Tractatum Misnicum *Maccoth. Cap.* 3. *Vide figuram flagellationis suprà Dissert.* 40. *pag.* 305.

VI. *Quartò quæritur*; An omnibus sontibus infliguntur præcisè triginta novem ictus; An non aliquando pauciores?

Resp. Non omnibus infliguntur triginta novem ictus, sed aliquando pauciores. 1. Si aliquis sit damnatus ad 39. plagas, & parte toleratâ videatur

deatur reliquas sustinere non posse, dimittitur liber, & reliquæ plagæ non infliguntur. 2. Si octodecim ictibus addictus, postquam eos recepit, appareat, & reliquos potuisse perferre, liber abit. 3. Sons, si conspurcet se fimo aut obscœno liquore, liber est à cæteris plagis, scil. si mas fimo & fœmella lotio se conspurcent. *Vide Maccoth. cap.* 3. *Sect.* 11. & 14.

VII. *Quintò quæritur;* Quales rei flagellantur?

Resp. 1. Qui concumbit cum sorore suâ. 2. Cum amitâ. 3. Cum materterâ. 4. Cum sorore uxoris. 5. Cum glore. 6. Cum uxore patrui. 7. Cum menstruatâ. 8. Cum viduâ si sit Sacerdos summus. 9. Cum repudiatâ, & cui calceus traditus est, si sit Sacerdos gregarius. 10. Cum spuriâ & Nethinæi generis, si sit Israelita. 11. Cum Israelitide si sit spurius vel Nethinæus. 12. Pollutus, qui sacrum comederit, quique in sacrarium se immundus intulerit dignus est vapulatione. 13. Qui adipem, sanguinem, residuumque & abominabile & immundum comederit. 14. Qui jugulaverit aut obtulerit foris, *Levit.* 17: 3. 15. Qui fermentum in Paschate comederit, cibum sumserit, opusque fecerit Die Expiationis. 16. Qui morticina & discerpta, abominabilia & reptilia ederit. 17. Qui oleum paraverit, suffimentum confecerit, & se oleo sacro unxerit. 18. Qui fructus non decimatos, dicimasve primas à quibus capta non sit oblatio, decimas secundas, rem sacram non redemptam comederit. 19. Qui sacra leviora & decimas secundas extra muros ederit. 20. Qui agni Paschalis puri os fregerit. 21. Qui aufert matrem super pullis. 22. Qui calvitiem in capite suo facit. 23. Qui angulos capitis sui circumtondet, barbæque angulum corrumpit. 24. Qui se secat unâ cæsurâ ob defunctum. 25. Qui scribit scripturam stigmatis, *Levit.* 19: 18. 26. Nasiræus si toto die se ingurgitet vino. 27. Si polluatur ob funus die toto, &c. Vide de his omnibus qui pœnâ flagellationis digni sunt; & Textûs S. Scripturæ, ex quibus hæc probantur, Tractatum *Maccoth. cap.* 3. ex editione doctissimi viri Johannis Coccei.

Digitized by Google

DISSERTATIO QUINQUAGESIMA & ULTIMA.

Quæ est pars tertia & ult.

De Pœnis Ecclesiasticis Judæorum.

I. *Pœnæ Ecclesiasticæ sequuntur explicandæ.*

II. *Inter Judæos sub Veteri & N. T. fuerunt Personæ Ecclesiasticæ, constituentes Synedrium ecclesiasticum, & tale Synedrium etiam jam est necessarium; quod variis rationibus probatur, & objectiones solvuntur.*

III. *Pœna Ecclesiastica fuit triplex.* Prima *hic describitur, & inflicta fuit ob* 24. *causas. Status talis Excommunicati plenius enarratur.*

IV. Secunda *erat gravior, cui maledictiones erant adjunctæ.*

V. *Talis ejiciebatur extra Synagogam.*

VI. *Explicatur fusè, Phrasis usitatissima in S. Scriptura* exscindetur è populis suis. *Videtur significare ejectionem ex Synagoga, & ejectionem ex Cælo, si non faciat resipiscentiam.*

VII. *Describitur status talis Excommunicati, & Formula Excommunicationis additur.*

VIII. *Talis Excommunicatio probatur.*

IX. Tertia *species vocata* שמתא Schammatha, *erat gravissima. Ejus origo inquiritur. Exemplis illustratur.*

X. *Ergo Disciplina ecclesiastica inter Judæos fuit usitata. Homicida gravi pœna ecclesiasticè punitur. Etiam adulter.*

XI. *Ecclesia nostra: exercens Disciplinam ecclesiasticam, non potest accusari.*

I. ENarravimus Pœnas Judæorum non capitales *civiles*, jam sequuntur Pœnæ *Ecclesiasticæ*, quas Ecclesiastici erga sontes exercebant. Et sicuti apud Judæos erant duplices Pœnæ, sic etiam duplices erant Personæ, per quarum auctoritatem Pœnæ illæ exigebantur; *Civiles* scil. & *Ecclesiasticæ*. Quod fuerint Personæ civiles circa Pœnas civiles & negotia civilia occupates, indubitatum est: ideo illis omissis de Personis Ecclesiasticis præcipuè agemus.

II. *Primò quæritur*; An inter Judæos sub Veteri & N. T. fuerunt Personæ Ecclesiasticæ, constituentes Synedrium aliquod Ecclesiasticum, distinctum à Politico, quod res Ecclesiasticas determinabat, & Pœnas tales irrogabat? Et an tale Synedrium jam etiam est necessarium?

Resp.

Digitized by Google

Resp. Affirm. utrumque. Sacri Scriptores in nonnullis locis Veteris & N. T. faciunt mentionem talium personarum distinctarum à Politicis, & talis Ecclesiastici Synedrii distincti à Collegio Politico. 1. Deut. 17: 12. *Vir qui non auscultat* Sacerdoti (*Persona Ecclesiastica*) *aut* Summo Judici (*Persona Politica*) *morietur.*

2. Jehoschaphat 2 *Chron.* 19. reformans varios abusus in Politia & Ecclesia, *versu* 5. dicitur instituisse Judices ad judicandas res politicas, & *versu* 8. Levitas, Sacerdotes ad Judicia Jehovæ; *versu* 11. nominat in particulari Personas quæ negotiis illis diversis essent intentæ, scil. *Amaria Sacerdos primarius inter vos erit in omni negotio Jehova; Zebadja verò in omni negotio regio.* Hic distinguuntur Personæ & Negotia circa quæ versabantur.

3. Jeremias, *cap.* 26: 8. condemnatur à Sacerdotibus & Prophetis ad mortem, sed *versu* 16. à Principibus liberatur, dicentibus nullum esse crimen capitale in ipso.

4. In Novo T. etiam fit distincta mentio *Matth.* 21: 23. *In Templum venerunt primarii Sacerdotes* (Ecclesiastici) & *Seniores populi*, (Politici.) Similiter *Cap.* 26: 3. Ubi Sacerdotes, Scribæ & Seniores simul dicuntur congregati. Hoc aliquando fiebat in rebus partim Politicis & partim Ecclesiasticis. Et Consistorium Politicum vocatur Συνέδριον *Consessus*; Ecclesiasticum verò Συναγωγη *Synagoga*, Matth: 10: 17. Cavete vobis ab hominibus: tradent enim vos εἰς Συνέδρια *in Consessus*, & ἐν ταῖς Συναγωγαῖς *in Conventibus* flagellabunt vos.

5. Viri Ecclesiastici dicuntur constituti supra Ecclesiam, non Politici: Act. 20: 28. *Attendite ad vos & totum gregem, in quo Spiritus S. constituit Episcopos, ad pascendam Ecclesiam Dei.* 1 Cor. 12: 28. *Deus constituit alios in Ecclesia.* Quos? non Politicos, sed *Apostolos, Prophetas & Doctores.* Ad Hebræos 13: 17. *Pastores dicuntur excubare pro animabus tanquam reddituri rationem.*

Ex his exemplis edocemur tale Ecclesiasticum Consistorium jam etiam esse necessarium: nam cura animarum debet geri, quam cum Politici ut tales non gerunt, ergo alii eam gerere debent. Etiam Politicis ea cura non est commissa, nec eos constituit Deus; sed è contra illis sunt commissæ res Politicæ.

6. In Confessione nostrâ, quæ in Synodis est confirmata, quæque solet subscribi, *Art.* 30. expressis verbis hoc asseritur; *Credimus veram hanc Ecclesiam, spirituali illâ Politiâ quam nos Deus Verbo suo docuit, gubernari debere: ut videlicet Pastores sint, qui Verbum Dei annunciant: Seniores quoque ac Diaconi,*

Digitized by Google

qui cum Pastoribus, Senatum Ecclesiæ constituunt: ut homines vitiosi spiritualiter corripiantur & refrænentur. Hinc *Matthæi cap.* 18. v. 17. dicitur, *dic Ecclesiæ,* cui etiam sunt datæ claves regni Cœlorum, per quas quicquid ligaverit in Terrâ, erit ligatum in Cœlis, & quicquid solverit in Terrâ, erit solutum in Cœlis, *cap.* 16. *v.* 19.

7. Posito quod Regimen politicum sit penes Fœminam, uti in Anglia temporibus Elisabethæ Reginæ factum est: ergo, si regimen Ecclesiasticum esset penes Politicos, tum tali tempore esset penes fœminam, quum tamen Apostolus 1 *Corinth.* 14: 34. velit fœminas tacere in Ecclesiâ.

Contra hæc fortasse *objiciet* nonnemo, quod Regimen Ecclesiæ fuerit penes Mosen, Davidem, Salomonem, & penes alios Politicos. *Resp.* 1. Illi non tantùm fuerunt Politici, sed etiam Ecclesiastici. Fuerunt enim Prophetæ, & quâ tales libros aliquos Canonicos conscripserunt, populum subinde docuerunt, & Ecclesiam gubernarunt.

Resp. 2. De Samuele dicitur quod fuerit *Propheta, Videns,* & nihilominus 1. *Sam.* 7: 5. dicitur *omnibus diebus vitæ suæ populum judicasse.* Si aliquis inde vellet concludere, ergo Ecclesiastici debent judicare populum, absurdus esset: nam Samuel judicavit populum non quâ Propheta sed quâ Judex. Similiter, posito quod Pastor aliquis sit Medicus, & medicinam ægro præscribat, ille non medicabitur quâ Pastor, sed quâ Medicus. Adhuc; sit Politicus etiam Senior Ecclesiæ, talis gubernabit Ecclesiam quâ Senior & non quâ Politicus. Jam ipsas Pœnas Ecclesiasticas considerabimus.

III. *Secundò quæritur;* Quotuplex fuit Pœna Ecclesiastica in Ecclesiâ Judaica usitata?

Resp. Triplex. *Prima* fuit vocata נִדּוּי *Separatio à cœtu Ecclesiæ, Excommunicatio,* à נדה *separare, semovere.* Excommunicatus vocatur מנודה, & Excommunicans מנדה. Hæc pœna est levissima, eratque solummodo amolitio vel amandatio, quando Sacerdotes aliquem immundum & detestatum aversabantur, & amoliebantur ab aliorum societate. A quorum? Ab uxoris, domesticorum, aliorumque. Eò videtur respexisse Paulus 2 Thess. 3: 6. *Denunciamus vobis fratres, ut subducatis vos ab omni fratre qui inordinatè ambulat.* Ad quantam distantiam? Ad distantiam quatuor cubitorum. Non erat ei fas alteri intra spatium quatuor cubitorum assidere. Quamdiu durabat hæc excommunicatio levissima? Triginta dies. Si resipiscentiam ageret, liberabatur ab hac specie excommunicationis; sin minus duplicabatur hoc tempus usque ad 60. dies, vel nonnunquam, rarò tamen, triplicabatur usque

Digitized by Google

usque ad 90. dies. Quid deinceps, si intra illud tempus non resipisceret? Tum secundâ Excommunicationis specie, graviori, puniebatur. Hæc prima species ferè respondet prohibitioni & suspensioni in Ecclesiis nostris, quâ Membris Ecclesiæ interdicitur S. Cœna.

Quæritur; Ob quot & quales causas aliquis hâc primâ specie fuit punitus?

Resp. Judæi enumerant 24. causas, ob quas hæc Pœna infligebatur: ex. gr. 1. Si quis contemnat Rabbinum, Magistrum, aut Doctorem, etiam post ipsius mortem. 2. Qui vocat proximum suum servum. 3. Qui spernit verba Rabbinorum. 4. Qui vendit agrum suum Christiano aut Gentili. 5. Qui testimonium perhibet contra Israelitam in Judiciis Christianorum. 6. Qui facit labi cœcum. Vide cæteras causas in *Lex. Talm. Buxt.* p. 1304. & in *Seldeno de jure Naturali & Gent.* l. 4. c. 8. qui ex Maimonide & Schulchan Aruch eadem allegant.

De hâc primâ Excommunicationis specie adhuc hæc sequentia observa.

1. Talis Excommunicatus non debebat se tondere, aut lavare instar lugentis tempore Excommunicationis.

2. Non admittebatur in Consessum ordinarium decem Personarum, h.e. si novem homines adessent, & decimus esset necessarius, ille non constituebat decimum.

3. Si quis moriatur ita Excommunicatus, Judices lapidant ejus tumulum. Quomodo? Imponitur tumulo ejus saxum grande, ad indicandum quod fuerit dignus lapidatione; quia pœnitentiam non egit.

4. Propter talem non lugebant.

5. Aliquando interdicebant ei ne convivio trium interesset; ne cum decem oraret; nec si mortuum haberet, quis eum sepeliret, vel ad funus deduceret; nec si filium, eum quis circumcideret. *Vide Seldenum in l. cit. c. 8.*

6. Excommunicatio vel fiebat in facie Eexcommunicati, coram, ipso præsente; vel absenti significabatur verbis per alium aliquem; vel scripto in schedâ per Scribam publicum. Si coram fuit excommunicatio alicui denunciata, etiam coram erat solvenda. A quo? Si privatus eum excommunicasset, privatus eum à Pœna excommunicationis liberabat; si publica auctoritas, etiam eadem eum liberabat; si verò qui excommunicasset, aut mortuus esset, aut planè ignotus, à Principe fori alicujus solvebatur. Quare Excommunicatum solitæ popularium consuetudinis libertate privarunt? Ut resipisceret, & vitam anteactam corrigeret.

IV. *Altera* Excommunicationis species, superiori gravior, vocatur

חרם *Excommunicatio*, *Exclusio à Cœtu sacro*, *Ejectio ex Synagoga* cum maledictionibus & diris ex *Deut.* 28. & aliunde excerptis. Ejus mentio fit *Joh.* 9. in Cœco qui ejiciebatur ex Synagogâ. *Quaritur*; An ergo Excommunicatis non licuit intrare Templum aut Synagogas? *Resp.* Imo licuit, sed alio modo intrabant Templum. Non Excommunicati intrabant per viam ad dextram, sed Excommunicati per viam ad sinistram. Vide *Middoth c.* 2. §. 2. In Capitulis R. Eliezeris c. 17. dicitur, quod per aliam portam intraverint. Vide *Lex, Tal. Buxt.* p. 1306.

V. *Quaritur*; Quid est, Ἀποσυνάγωγον fieri?

Resp. Synagoga aliquando significat *locum* in quo conveniunt, Luc. 7. 5. *Synagogam ædificavit nobis*; vel significat *Cœtum* qui in loco illo convenit; posteriori modo hic sumitur. Ἀποσυνάγωγος ergo erat talis qui extra conventum aliquem publicum populi Hierosolymitani ejiciebatur. Hujus Excommunicationis exemplum occurrit in Corinthio illo incestuoso, 1 Cor: 5: 5. *Ejusmodi tradatur Satanæ ad exitium carnis, ut spiritus salvus sit.* Plerique de hac secunda specie Excommunicationis sumunt verba illa in V. T. sæpe occurrentia, *exscindetur vir ille, vel anima ipsius è medio populi*, &c. Ex gr. *Genes.* 17: 14. habetur, *Qui non circumciditur, exscindetur è populis suis.*

VI. *Quaritur*; Quid denotat hæc phrasis *exscindetur è populis suis?*

Resp. R. Bechai in Biur hatthorah *fol.* 149. *col.* 1. tripliciter distribuit Excisiones, quæ in lege occurrunt. *Prima* Excisio est quâ exciditur *corpus*, per quam intelligitur mors præmatura, sicuti habetur *Psal.* 55. *vers. ult. Viri sanguinum non dimidiabunt dies suos.* Hanc pœnam vult designari in illis locis ubi habetur נכרת האיש ההוא מקרב עמו *Exscindetur homo ille è medio populi sui*, Levit. 17: 4. *Secunda* Excisio est *animæ*, quando anima destruitur ut bruti anima; vel quando anima non fruetur gaudio Vitæ æternæ. Hanc pœnam ex ipsius sententia exprimere videntur Phrases illæ, quando habetur ונכרתו הנפשות העשות מקרב עמם & *exscindentur animæ sic facientes de medio populi sui*, Levit. 28: 29. *Tertia* Excisio est quâ *anima* & *corpus* simul exscinduntur: ut quando verbum כרת duplicatur, ut Levit. 18: 30, 31. הכרת תכרת הנפש ההיא *Exscindendo exscindetur anima illa.* Hæc vocatur כרת חמור *Excisio gravior*, כרת כפול *Excisio duplex.*

Abarbanel in comment. ad *Numer.* 15: 30. sex sententias veterum enumerat de Excisione animæ, suamque septimam addit. 1. Est R. Saadiæ, qui Excisionem intelligit de *abbrevatione dierum peccatoris & morte ejus ante tempus infligenda per Deum.*

2. Est

Digitized by Google

2. Est R. Salomonis Jarchi, qui intelligit de *semine*; exscindetur semen ejus, h. e. *morietur sine liberis.*

3. Est Auctoris *Additionum Talmudicarum* in principio Tractatus Jevammoth, qui Excidium intelligit de *anno quinquagesimo*, h. e. *morietur ante annum quinquagesimum.* Alii hunc terminum ad annum 52. vel ad summum ad annum sexagesimum extendunt.

4. Est alterius Auctoris in loco allegato, qui de *die tertio morbi* intelligit, h. e. *si homo die tertio morbi sui moriatur*, ille dicitur excisus è populo suo. Hæ quatuor hactenus recensitæ sententiæ conveniunt in hoc, quod *Excisio* tantum referatur ad corpus in Mundo hoc, nec quicquam de eo pertingat vel pertineat ad animam.

5. Est Maimonidis, qui Excisionem intelligit de *plenaria privatione, destructione & annihilatione animæ post hanc mortem* ad instar bestiarum. Et quando de blasphemante dicitur, *Exscindendo exscindetur*, intelligit, præter annihilationem animæ post mortem, eum etiam exscindendum esse per abbreviationem dierum vitæ suæ.

6. Est Nachmanidis in Comm. in legem, *Sect.* אחרי מות quæ convenit cum R. Bechai suprà allegatâ, scil. per Excisionem intelligi vel *Excisionem corporis*, vel *animæ*, vel *corporis & animæ* simul. *Corporis* Excisio *in tali*, cujus bona opera plura sunt quàm ejus iniquitates, habet locum; *Animæ* cujus iniquitates sunt plures; *Corporis & animæ simul* in idololatris & blasphemantibus nomen Dei, de quibus dicitur *exscindendo exscindetur anima illa.*

7. Est ipsius Abarbanelis, quam etiam approbat, scil. quod Excisio in genere sit communis *corpori & animæ*; *Corpori* in mundo hoc *per decurtationem dierum* peccatoris, ut moriatur ante tempus suum, quo secundum naturam suam debuisset mori; *Animæ*, quod ea, post separationem à corpore, in mundo Animarum, elonganda sit à splendore Majestatis Divinæ, & à receptione Influentiæ supernæ descendentis in animas justas illas ex fasciculo vitæ. Hæc Excisio animæ non est ejusdem annihilatio, sed privatio oblectationis illius, quâ animæ post hanc vitam fruuntur. Vide has sententias plenè enarratas *in Buxtorfio de sponsalibus & divortiis.*

8. Est aliorum, qui capitale supplicium à Magistratu infligendum eâ phrasi denotari existimant.

9 Junius ad *Gen.* 17: 14. hanc phrasin ita explicat: *Hic & in futuro sæculo à Sanctorum consortio excludetur.* Deodatus ferè eodem modo exponit: *Sicuti [illegible] non habebo eum pro membro mei populi, ita etiam excommunicetur ex Ecclesia.* Hæc ultima ex omnibus sententiis mihi maxime arridet. Cujus ergo

ergo anima exscindetur, ille erit Ἀποσυνάγωγος in hâc vitâ, & post hanc vitam erit hæres inferni si non resipiscat.

VII. De hâc secundâ specie Excommunicationis hæc sequentia sunt observanda. 1. Talis Excommunicatus non docebat alios. 2. Non discebat cum aliis; solus quidem studere poterat, ne oblivisceretur doctrinæ suæ. 3. Nulla consuetudo cum ipso erat habenda: non licebat edere cum tali: eò respexit Apostolus 1. Cor. 5: 11. *Cum ejusmodi ne edatis quidem.* 4. Hæc Excommunicatio non potest fieri nisi in Cœtu & à Cœtu decem virorum.

Ut unusquisque cognosceret quàm gravis sit hæc secunda species Excommunicationis, breviter formulam ejus describam ex *Lex. Talm. Buxt.* p. 828. "Ex sententiâ Domini Dominorum sit in Anathemate Ploni, in „ utrâque Domo Judicii, Superorum scil. & Inferorum, in Anathemate „ item Sanctorum excelsorum, in Anathemate Seraphim & Ophannim. in „ Anathemate denique totius Ecclesiæ maximorum & minimorum. Sint „ super ipsum plagæ magnæ & fideles, morbi magni & horribiles. Domus „ ejus sit habitaculum Draconum: caliginosum fiat Sydus ejus in nubibus: „ sit in indignationem, iram & excandescentiam: cadaver ejus objiciatur feris & serpentibus: lætentur super ipso hostes & adversarii: „ argentum & aurum ipsius dentur aliis: & omnes filii ejus ad ostium „ inimicorum ipsius sint expositi: super die ejus obstupescant posteri —— „ Absorbeatur sicut Korah & cœtus ejus: cum terrore & tremore egrediatur anima ejus: increpatio Domini occidat eum: stranguletur ut Achitophel: sicut lepra Gechasi sit lepra ipsius: neque ulla sit resurrectio „ ruinæ ejus: in sepulturâ Israelis non sit sepultura ejus: alienis detur „ uxor ejus. In hoc Anathemate sit N. N. & hæc est hæreditas ipsius, „ &c „.

VIII. *Porrò quæritur*; Unde Judæi probant sibi licere ita excommunicare?

Resp. Hoc probant exemplis Josuæ, Ezræ & Nehemiæ. Josua *cap.* 6. excommunicavit & anathematizavit. Similiter Ezras *cap.* 10: 8. minatur anathema: *Quisquis non venturus esset intra triduum, anathema fore omnes facultates ejus: ipsum verò separatum iri à congregatione deportatæ multitudinis*, & Nehemias *cap.* 13. *versu* 25.

IX. Tertia species Excommunicationis, eaque omnium gravissima, est שמתא *Schammatha.* Hæc adjunctam habet Exsecrationem, quâ homo coram hominibus & coram Deo fit exsecrabilis, & exitio divino destinatus. Per hanc speciem homo post omnia humana media totaliter & finaliter soli divino

Digitized by Google

Divino judicio destinabatur, ut eo periret, nec amplius ad Ecclesiam rediret.

Quæritur de hac voce שמתא *Schammatha*, unde derivatur?

Resp. Quatuor ferè sunt sententiæ. 1. Nonnulli derivant à שמת *excludere, separare, excommunicare.* Aliquando Schammatha idem denotat quod נדוי prima species excommunicationis, prout videre est in *Lex. Talmud. Buxt.* Rad. שמת: sed quando contradistinguitur primæ speciei tum denotat gravissimam excommunicationem.

2. Alii putant esse vocem compositam ex שם vel שמא *Dominus* & אתה *venit*, Præteritum pro futuro: quasi diceret, Dominus certissimè veniet & ulciscetur. Hanc Etymologiam probant ex 1. Cor. 16:22. *Si quis non amat Dominum Jesum Christum, est anathema Maranatha.* Maranatha est vox Syriaca idem denotans quod שמתא: מרן enim est *Dominus* & אתה *venit.*

3. Alii aliam vocis שמתא compositionem fingunt, quasi denotaret שם מיתא *ibi mors*, quasi mortis reus haberetur qui ita excommunicatus esset.

4. Alii quasi שממה תהא *desolatio erit.* Sed duæ posteriores sententiæ sunt magis allusiones quàm veræ Etymologiæ. Nos primam Etymologiam eligimus.

Hàc specie videtur excommunicatus Alexander Faber ærarius 2. Tim. 4:14. *Multa mala mihi exhibuit: reddat ei Dominus secundùm facta ipsius.* Ita urbs Merosa, Judic. 5. *Maledicite Merosæ urbi.* Quando Judæi aliquem excommunicant, solent cornua & buccinas in Synagogis inflare, ad majorem horrorem tum ipsis reis, tum cœtui Ecclesiæ incutiendùm.

X. Ex his videmus disciplinam Ecclesiasticam inter Judæos fuisse usitatam; & propterea nemini mirum videri debet, si etiam aliqua in Ecclesiâ Christianâ exerceatur. Judæi suos severè tractant; hinc proverbium natum est inter Christianos, *Hy is den Joden overgelevert*, h.e. severè & duriter excipitur. Ex.gr. Si homicida politicè non puniatur, miserrimè tamen Ecclesiasticè excipitur. 1. Per tres annos in exilium pellitur. 2. Singulis diebus flagellatur flagellatione Judaicâ, h. e. accipit 39. plagas, & clamat altâ voce רוצח אני *ego sum homicida.* 3. Nullæ carnes illi sunt edendæ. 4. Nullum vinum est bibendum. 5. Crinis promittendus & barba. 6. Indusia nec alia vestimenta sunt abluenda. 7. Non est illi lavandum. 8. Brachium, quo homicidium perpetravit, catenâ ferreâ collo alligatum ferre debet. 9. Passim ubique ita debet vagari. 10. Quibusdam hæc imponitur pœna, ne uspiam pernoctent ubi pridie pernoctàrunt, sed vagabundi instar Caini oberrent. 11. Sunt qui cuti nudæ thoracem ferreum induere debent. 12. Quidam ante Scholam in limine januæ jacere, & omnium pedibus conculcari debent.

Deinde ſi adulter politicè non puniatur ſevero modo etiam excipitur. 1. Hyeme per aliquot dies in aquâ frigidâ ſedere tenetur: ſi omnia gelu adſtricta ſint, glacies aperitur; & illi nudo, ore tenus, quamdiu ovum igne duratur, intus ſedendum eſt. 2. Æſtate ſedendum illi eſt abſque omnibus veſtibus in formicarum acervo obthuratis tantùm naribus & auribus. Vel nudus per denſam apium turbam tranſeat oportet. Judæi ſimilibus pœnis Eccleſiaſticis peccatores, ſive pœnitentes, ſive non pœnitentes afficere ſolent. Vide de his pœnis & ſimilibus aliis Synagogam Buxt. *cap.* 47.

XI: Nemo ergo Eccleſiam noſtram, miniſterialiter tantùm exercentem in ſontes diſciplinam Eccleſiaſticam, leviculam ſanè reſpectu Judaicæ, accuſet novitatis; quaſi Eccleſia noſtra ex puro odio; vel ob alias rationes diſciplinam, tantum ex cerebro paſtorum quaſi fictam, exerceret. *Diſciplina* Eccleſiæ noſtræ conſiſtit ferè tantùm in admonitionibus, in precationibus, & in miniſterialiter ex nomine Dei ſecundùm Legem Divinam annunciando indignationem & iram Dei ob peccata, & æternam mortem ſi non reſipiſcant. Sed Judaica diſciplina conſiſtit in actionibus pœnalibus. Si homicidæ & adulteri inter Chriſtianos ita Eccleſiaſticè punirentur, haberent fortè aliquam obloquendi & obmurmurandi rationem; jam verò nullam rationis habent ſpeciem, quâ diſciplinam hanc ab humeris ſuis abjiciant. Hæc dicta ſufficiant de pœnis Eccleſiaſticis Judæorum.

Ita jam præter tertiam editionem Philologi Hebræi *abſolvimus* etiam tertiam Philologi *Hebræo*-Mixti editionem. *Anno* 1685. *edidimus ſecundam editionem Philologi Græci, cui in fine addidimus Tranſlationem Hebraicam omnium verſuum Chaldaicorum Veteris T.*

חזק ונתחזק

Digitized by Google

SPICILEGII PHILOLOGICI
CHILIAS.
SIVE
QUÆSTIONUM
ET
POSITIONUM,
PRÆCIPUE
Philologico-Hebraicarum & Judaicarum
CENTURIÆ DECEM.

Digitized by Google

ALLOQUUTIO
AD
BENEVOLUM LECTOREM.

Habes hîc, benevole Lector, decem centurias sectionum & quæstionum præcipuè Hebraicarum & Judaicarum. Causæ quæ me ad edendum hoc Spicilegium moverunt, sunt præcipuè duæ: Prima *est, ut D. Studiosi in privatis collegiis defendendo, respondendo, & disputando super his quæstionibus se mutuo exercere possent.* Altera *causa, sunt querelæ D. Studiosorum,* Philologiæ *Sacræ & Linguæ S. operam dantium, qui disputaturi nonnunquam conquerebantur se Corollaria Philologica disputationibus Philologicis adjungenda invenire, aut excogitare non posse; vel si alicubi illa in aliis disputationibus invenirent, vel proprio Marte eadem excogitarent, ajebant se pleniorem explicationem illorum, vel argumenta, quæ in contrarium opponi solent, legere non posse. Ideo ut Philologiæ Studiosis succurrerem, cogitavi ad hunc Philologum* Hebræo-*Mixtum addere* Spicilegium Philologicum, *continens mille positiones aut quæstiones præcipuè Philologico-Hebraicas & Judaicas, quas per decem centurias, & per quinquaginta capita distribui. Quare hoc Spicilegium continet quinquaginta capita, & non plura vel pauciora? Quia respicit ad hunc Philologum* Mixtum, *in quo sunt quinquaginta Dissertationes. Singula igitur capita respondent Dissertationibus utriusque Philologi* Hebræi & Hebræo-Mixti: *nam ex iis multas quæstiones, quæ in initiis capitum habentur, desumsi.*

Non

Digitized by Google

Non tantùm illas quæstiones & sectiones nude proposui; sed nonnunquam aliqualem earum explicationem addidi. Coactus fui aliquando plures quæstiones uni sectioni includere, ne numerus centuriarum nimium excresceret. Præterea semper addidi loca, in quibus Philologiæ Studiosi uberiorem & pleniorem quæstionum propositarum explicationem inquirere possunt; exceptis tamen singulorum capitum ultimis binis quæstionibus. Quare etiam illarum ultimarum quæstionum lòca non designantur? Ut Domini Studiosi discerent etiam propriis alis volare. Quando locus aliquis, unde quæstiones illæ sunt desumtæ, allegatur, tum locus ille etiam est intelligendus de omnibus quæstionibus præcedentibus, de quibus non dicitur ubinam inveniantur.

Ex quibus libris quæstiones & sectiones hæ Philologicæ sunt desumtæ? Libri præcipui sunt sequentes. 1. Philologus Hebræus: *ex eo enim sunt desumtæ quæstiones Philologicae, quae ab initio in triginta quinque prioribus capitibus habentur.*

2. *Ex* Philologo Græco *sunt excerptæ quæstiones quæ in capitibus* 36, 37, 38, 39, 40, 41, & 42. *habentur usque ad caput* 43.

3. *Quæstiones quae inveniuntur in capitibus* 43. 44. &c. *usque ad finem, sunt elicitae ex Dissertationibus & Exercitationibus Buxtorfii. Quaestiones ex his libris desumtae, implent primam quartam capitum partem: nam singula ferè capita constant quatuor partibus;* prima *constat quaestionibus sive sectionibus Philologico-Hebraicis;* secunda *Hebraico-mixtis;* tertia *Controversiis Judaicis in capitibus impa-*

Digitized by Google

ribus, vel Ritibus Judaicis in capitibus paribus; quarta *denique pars constat quæstionibus indifferentibus.*

4 *Quæstiones, secundam singulorum capitum partem implentes, habentur suprà in Philologo Hebræo-*Mixto: *& propterea quando dicitur*, Vide suprà, *tum intelligitur hic antedictus Philologus Mixtus.*

5. *Quæstiones, tertiam singulorum capitum, scil. imparium, partem constituentes, sunt excerpta ex* תשובת יהודה. *h. e. ex libro Clarissimi D. Hoornbeek, olim præceptoris mei venerandi, quem contra Judæos conscripsit. Illa pars constat Controversiis Judaicis.*

6. *Quæstiones verò in capitibus paribus sunt desumtæ ex* Synagoga *Clarissimi D. Buxtorfii, editionis postremæ, quam D. Joh. Buxtorfius, fil. multis rebus scitu necessariis, & non ita ubique obviis auxit. Hæc pars comprehendit Ritus vivendi Judaicos. Hi sunt libri præcipui, quos Studiosi super his quæstionibus Philologicis consulere possunt.*

Ex hâc Chiliade quæstionum videbit Lector, quàm uberrimum & utilissimum, imo necessarium sit studium Linguarum & Philologiæ: nam pleraque quæstiones hîc propositæ, præterquam quod sint jucundæ lectu, etiam Theologis sunt scitu necessaria: propterea decrevi easdem tali ordine, quo hîc proponuntur, publicè post textualem linguarum explicationem enodare. Nunquam idem caput implevi eâdem materiâ; sed diversas materias in iisdem capitibus semper conjunxi: nam varietas solet delectare, estque quasi condimentum aliquod, quod solet studium linguarum, per se sterile, & non ita ex se gratum quàm quidem aliæ scientiæ & artes, jucundum & gratum palato facere. Si tamen quis velit vel omnes quæstiones Philologico-Hebraicas, vel Hebraico-Mixtas, vel Controversias Judaicas, vel Ritus vivendi Judaicos, vel etiam quæstiones indifferentes ordine legere & enodare, reliquis omissis, eas ordine evolvat: nam in margine eæ distinguuntur per numeros. Numerus enim 1. *cum* H. *denotat quæstiones Hebraicas; Numerus* 2. *cum M. Hebræo-Mixtas; Numerus* 3. *cum* C. *in capp. imparibus Controversias Judaicas, in paribus verò cum R. Ritus vivendi Judaicos: sed numerus* 4. *cum I. denotat quæstiones indifferentes. Vale.*

CEN-

Digitized by Google

CENTURIA PRIMA

Quæstionum & Positionum præcipuè Philologico-Hebraicarum & Judaicarum.

CAPUT I.

Sectio I. NUlla versio S. Scripturæ, licet sit antiquissima, & à multis Ecclesiis approbata, est authentica. *1. H. Sectiones Hebraicæ.*

2. Judæi sunt nimis superstitiosi circa externum corticem S. Scripturæ, & Muhammedani circa Alcoranum.

3. Vetus T. potest vocari. 1. מִקְדָּשׁ יָהּ *Sanctuarium Dei.* 2. כִּתְבֵי הַקֹּדֶשׁ *scripta sanctitatis.* 3. סִפְרֵי הַקֹּדֶשׁ *libri Sanctitatis.* 4. מִקְרָא *lectura*, & 5. עֶשְׂרִים וְאַרְבָּעָה *viginti quatuor*, licet sint 39. libri in Veteri T. nam quidam parvi libri conjunguntur.

4. Credimus Galatinum in antiquis libris MSS. invenisse nomen *Jehova* scriptum tribus literis Jod. Ipse in Maimonide meo MS. quem possideo, qui ante ducentos & viginti annos in membrana nitidè est descriptus, diversa talia exempla inveni. *Vide de his anteced. sect. dissert.* 1. *Philologi Hebræi.* *2. M. Hebræo-Mixta.*

5. Versio Latina Pontificorum vocatur *Vulgata*; quia est mixta ex antiquâ Italâ & Hieronymi versione. Ergo ea in totum non est translata ab Hieronymo.

6. Malè Concilium Tridentinum eam versionem tanquam authenticam & Divinam canonizavit; & propterea multi Pontificii meritò se illi decreto opposuerunt.

7. Ignorantia linguarum originalium & imaginaria confirmatio quorundam falsorum fidei Pontificiæ dogmatum per Latinam versionem extorserunt decretum de versione illâ canonizandâ.

8. Versio Vulgata, licet eadem Anno 1590. à Sixto V. & quidem propriâ manu in multis benè, & à Clemente VIII. biennio pòst meliùs sit correcta, nihilominus adhuc multis scatet vitiis. *Vide suprà, h. e. in Philologo mixto dissert.* 1.

9. Hebræus, Johannes, Heva malè scribuntur Ebræus, Joannes, Eva sine aspiratione literæ H. *3. C. Prolegom. ad Controversias Judaicas.*

10. An Judæi ob lepram & scabiem, atque aliorum morborum fœtorem & contagium Ægypto sint expulsi? Neg.

11. An Judæi unquam in Egypto vel alibi asinum, aut suem, ut ait Petronius; vel Bacchum, ut scribit Plutarchus *Sympofiar. lib.* 4. vel nubes & Cœli numen coluerint? Omnia sunt ficta.

12. Ne-

12. Nemo ſcit ubi decem Tribus, olim ſub Rege Aſſyriorum, Salmanaſſare abductæ 2. *Reg.* 17. jam latitent. An in Tartariâ, Chinâ, Æthiopiâ, Mediâ, &c. uti vult Menaſſe in *Spe Iſraëlis?* Neg.

13. An Judæi in religione ſuâ ſine fide in verum Meſſiam poſſint ſalvari? N.

14. An conditio Chriſti abjecta; aut bella, quæ geruntur à Chriſtianis, vel ſectarum multitudo ſint legitima ſcandala & offendicula, quæ Judæis debent remoram injicere, quo minus ad Chriſtianam veniant Eccleſiam? Neg.

15. An hodierna religio Chriſtiana ſit contraria antiquæ religioni Judaicæ, quæ fuit temporibus Davidis, &c.? Neg. An diverſa? Aff.

16. Peccant Germani extorquentes à Judæis teſſeras; vel urgentes temerariam baptizationem; aut nominis Jeſu pronunciationem; vel ſuſpendentes eos ex pedibus, incitatis canibus ad eos lacerandos & devorandos. An Judæi circumferant hîc in Belgio ſecum teſſeras? Non magis quàm Chriſtiani.

17. An conſultum ſit infantes Judæorum invitis parentibus baptizare, uti in Oriente Heraclius, in Franciâ Rex Dagobertus, aliique alibi tentârunt? Neg.

18. Converſioni Judæorum benè inſerviunt conciones Chriſtianæ, quæ Romæ, Venetiis, Pragæ, Caſſellis, & in aliis locis à Chriſtianis coram Judæis habentur. *Vide de his Cl. Hoornbeekii Prolegomena in libro contra Judæos.*

4. I. Indifferentes.

19. An Jephte immolârit filiam ſuam? Non. Si immolâſſet an graviter peccâſſet contra legem Dei? Graviſſimè. An promiſit ſe immolaturum filiam ſuam ſi forte occurreret? Non. An peccâſſet ſi tantùm promiſiſſet? Imo. Si promiſiſſet, an tenebatur promiſſis ſtare? Non.

20. An Jephte peccârit quod propter promiſſa ex filiâ ſuâ fecerit virginem quaſi veſtalem; adeo ut ſemper debuerit manere virgo? Aff. Nam illa non erat eatenus in ipſius poteſtate.

CAPUT II.

I. H. Diviſio V. T.

Sect. 1. GRæci malè dividunt Vetus T. in libros Legales, Propheticos, (h.e. Hiſtoricos & Propheticos propriè dictos) & libros Pſalmorum, ſub quibus continentur libri carminum; ut *Job*, *Pſalmi*, *Proverbia*, *Ecleſiaſtes*, & *Canticum Canticorum.* Nec Chriſtus eam diviſionem Luc. 24. 44. approbavit, quando ait; *Oportet impleri omnia, quæ de me ſcripta ſunt in lege Moſis, Prophetis & Pſalmis.*

2. Etiam Judæi Vetus T. malè dividunt in libros *Legales*, *Propheticos* & *Hagiographos*. Nec illa diviſio videtur eſſe ab Eſrâ.

Judæi

Digitized by Google

3. Judæi non habent sufficientes causas, ob quas *quinque libellos*, scil. *Canticum Cant. Ruth, Threnos, Ecclesiasten* & *Estheram* immediatè post libros Mosis collocent. Threnos Jeremiæ solent legere die nono *mensis Julii*; quia statuunt hoc die Templum primum & secundum igne immisso periisse. Propterea signa tristitiæ hoc die ostentant; uti videre est suprà in figurâ pag. 305.

4. Christiani benè dividunt Vetus T. in quatuor partes, scil. in libros *Legales*, *Historicos*, *Doctrinales* sive Poëticos, & *Propheticos*.

5. *Ordo & appellatio* librorum Veteris T. meliùs in omnibus Bibliis aliarum linguarum cum materiâ Veteris T. conveniunt, quàm in Bibliis Hebraicis. *Vide de his dissert. 2. Philol. Hebræi.*

6. Non est verosimile unquam famosos illos LXX. vel LXXII. Interpretes Græcos in rerum naturâ fuisse. Judæis non facilè est habenda fides, quando de hoc numero loquuntur. *2. M. Versio. 70. Interp.*

7. Ptolomæus Philadelphus 300. circitèr annis ante Christum curavit adornari versionem Græcam, ut augeret Bibliothecam suam.

8. Ficta sunt. 1. Quod interpretes LXXII. fuerint ex 12. Tribubus Israëlis, & quod fuerint Viri τοῦ Sanhedrin. 2. Quod in 72. cellulis sederint, licèt earum rudera in insulâ Pharo ostendantur, & conspecta dicantur à Justino Martyre, uti ipse de se testatur. 3. Quod 72. dierum spatio eam composuerint. 4. Quod in minimis convenerint. *Vide suprà dissert. 2.*

9. An Judæi habeant veras causas sese supra alios extollendi, aliosque infra se despiciendi: 1. quia ex antiquissimâ prosapiâ Patriarcharum sunt oriundi: 2. quia sunt circumcisi: 3. quia Deus cum ipsis oraliter sæpe loquutus est: & 4. quia ipsis dedit mandatum gentes exscindendi, cum Canaan ingrederentur? Neg. *3. Ritus Judaici:*

10. Tredecim articuli fidei à Maimonide, qui obiit anno Christi 1104. compositi, ut fidem Christianam apud Judæos convelleret, falsam & odiosam redderet, Judæosque ab illâ averteret, sunt plerique falsi & S. Scripturæ contrarii.

11. Errat R. Joseph Albo, qui fidem Judaicam tantùm tribus articulis inniti vult, scil. 1. Unitati Dei, 2. Legi Mosis è cœlis datæ. 3. Æternæ remunerationi bonorum, & æternæ pœnæ malorum operum.

12. An filius patrem & uxor maritum, orantes per integrum annum quotidie orationem קדיש *Kaddisch*, possint liberare ex purgatorio? Neg.

13. An Patriarchæ ideo desiderârint in Terrâ sanctâ sepeliri, ut omnium primi resurgerent, vel ut eorum corpora essent libera à circumvolutatione per cavernas terræ donec in Terram sanctam perveniant: nam nonnulli credunt extra eam non fore resurrectionem? Non.

Digitized by Google

14. An Adamus ante Hevam habuerit aliam uxorem nomine Lilisam? Non. An Lilisa eum in finem sit creata ut puerulos octavo, & puellas vigesimo primo die à nativitate occideret? Neg.

15. An sit superstitiosum eam ex cubiculo puerperæ proscribere, exprimendo in omnibus parietibus, & supra omnes fenestras ac januas has voces אדם חוה חוץ לילית *Adam, Chavva, Chutz Lilith.* h. e. *Adam, Heva, apage te Lilith?* Imo. An etiam sit superstitiosum si tria nomina Angelorum סנוי סנסנוי וסמנגלף *Senoi*, *Sansenoi*, *& Sammangeloph* addantur, vel sola membranæ inscribantur, & infantibus pro amuletis appendantur, ut essent tuti contra insultus Lilisæ? Imo.

16. An Judæi jam teneantur infantes circumcidere? An item redimere primogenitos secundùm Exod. 24. *Primogenitum filiorum tuorum redimes?* Non.

17. An etiam alius, qui Sacerdos non esset sub V. T. circumcidere potuerit? Imo. Nam sacramenta V. T. non erant ministerio sacro alligata, uti Sacramenta N. T. Hinc non sequitur, Zippora *Exod.* 4. circumcidit infantem (an benè non disputamus) ergo in N. T. etiam fœminis licet baptizare. Patresfamilias sæpe circumciderunt, & hodie quilibet, etiam tonsor, imo puer, uti ipsemet vidi, circumcidere infantem potest.

18. Si circumcisio sub N. T. adhuc esset mandata; An Judæi tenerentur infantes ægrotos octavo die circumcidere? Non. Si infans moreretur ante octavum diem, an necessarium esset talem infantem supra sepulchrum in cœmeterio circumcidere, eique nomen imponere, ut Deus ejus esset memor in mortuorum resurrectione, ut faciunt Judæi? Neg. *Vide de his Præfationem, & caput* 3. & 4. *Synagogæ Buxtorfii, edit. post.*

4. 1. 19. An serpens ante maledictionem pedibus incesserit? Non. An igitur ita incesserit sicuti jam, supra ventrem? Imo, sed sine molestia.

40. 20. An verbum קָרַן *Exod.* 34: 35. occurrens, benè vertatur per *cornutum?* Et an inde benè probetur Mosen fuisse cornutum? Neg. An ergo hallucinantur qui Mosen cornutum pingunt? Imo.

CAPUT III.

I. H. Distinctio capp. & versuum.

Sectio 1. Distinctio versuum Veteris T. Hebraici non est à Masorethis Tyberiensibus, sed ab ipsis Auctoribus librorum; & per consequens est authentica.

2. Superstitiosum est bis exprimere in Bibliis Hebraicis quatuor penultimos versus librorum *Jesaiæ*, *Malachiæ*, *Threnorum & Ecclesiastis.*

3. Distinctio capitum Veteris T. non est addita ab ipsis Auctoribus librorum sed est demum inventa ante 500. vel 600. circitèr annos. A quibus? Nescimus. Judæi divisionem capitum à Christianis inventam retinent & approbant,

4. Di-

Digitized by Google

4. Distinctio capitum V. T. ubique non satis benè est instituta: ideo non malum fuisset si Interpretes novæ versionis Belgicæ in nonnullis locis distinctionem capitum mutâssent, uti subinde fecerunt Junius & Tremellius in versione Latina. *Vide dissert. 3. Philol. Hebræi.*

5. Famosi Interpretes Græci, abusivè LXX. dicti, videntur totum Vetus T. in linguam Græcam transtulisse, & non solum Pentateuchum. *2. M. Versio 70 Interpr.*

6. Iidem non transtulerunt libros Apocryphos in linguam Græcam.

7. Versio illa magni licèt fuerit æstimata à Gentilibus, Judæis, aliisque, non tamen est authentica, nec pro authenticâ ulli est obtrudenda.

8. Falsa sunt seqq. 1. Quod Interpretes Græci tredecim loca Veteris T. datâ operâ aliter transtulerint, quàm Hebraica veritas postulat. 2. Quod Judæi Jejunium ob adornandam vel adornatam versionem indixerint. 3. Quod terra tum temporis tribus diebus fuerit tenebris obducta. *Vide suprà dissert. 3.*

9. An Judæi non crudeliter agant, quod Karæos ad se venientes non recipiant, nisi prius ad Turcas vel Christianos deflexerint? Imo. *3. C. Proleg. ad contr. Jud.*

10. Scandala & offendicula non levia præbet Judæis, quo minus convertantur, Papismus; scil. 1. Quod lex Papæ pluris fiat quàm ipsius Dei 2. Quod colantur Sancti & imagines Sanctorum. 3. Quod præceptum secundum ex Decalogo ejiciatur. 4. Quod Deus impanatus adoretur & colatur. 5. Quod viri, sive Juvenes, & fœminæ, intrent monasteria. Et 6. Quod fingant nugatoria miracula.

11. An benè faciant, qui Judæos ut Judæos ob religionem Judaicam comburunt? Aut qui eos vexant, aut persequuntur? Pessimè.

12. An verum sit, quod vulgo in Historiis legitur, Judæos quotannis, die Parasceves Paschatis, infantem Christianum clam suffuratum in opprobrium Christi mactare, vel crucifigere? Credimus hoc à quibusdam Christianis ad aggravandum odium Christianorum in Judæos esse effictum.

13. An conjugia Judæorum cùm Christianis sint permittenda? Non.

14. An leges Civiles & Ecclesiasticæ benè Judæis interdicant omni magistratu, omnique regimine in Christianos? Aff.

15. An Judæis sit concedenda licentia conducendi servos Christianos & ancillas, & eorum operâ promiscuè in ædibus suis utendi? Non.

16. Præstat Judæis dare veniam habitandi inter Christianos, & quidem Reformatos, quàm inter Pontificos, Gentiles, aut Muhammedanos. Non tamen iis facilè Synagogæ sunt concedendæ.

17. Intolerandum est inter Christianos, quod Judæi hîc in Belgio artem typographicam exercentes, libros edant, eosque approbent pro suâ fide

Digitized by Google

contra fidem Christianorum.

18. Utrum consultius sit Judæos habitare in separatis plateis, & certâ aliquâ notâ in externo vestitu distingui à Christianis, uti Francofurti & alibi fieri solet, vel croceos aut flavos pileos capitibus impo͡nere, ne ignoti in Christianorum consortia sese intrudant; An verò passim inter Christianos sine aliquâ notâ distinctivâ? Aff. prius, Neg. post. *Vide Proleg. Hoornbekii contra Judæos.*

4. ¶. 19. An Judæi colant verum Deum? Non. An fictitium aliquod Numen? Non. An non ex parte colant verum Deum? Aff.

60. 20. An furtum bonorum, etiam maximum, secundùm legem Dei sit capitale? Non. An non furtum aliquod bonorum, cum effractione ædium conjunctum, secundùm legem Dei fuerit capitale? Aff. An furtum, ex. gr. ovis, bovis, equi, &c. quod in V. T. compensabatur restitutione in lege mandata, possit jam sub N. T. graviùs puniri? Imo. Nam. in V. T. animalia ruri non relinquebantur sola; sed semper adjunctos habebant pastores, qui ea servare poterant: sed sub N. T. agri sunt divisi, & animalia non amplius noctu in nostris regionibus ita commodè servari possunt, sicuti olim servabantur.

CAPUT IV.

1. H. Sectiones Pentateuchi.

Sectio 1. Literæ ס & פ, passim iu Pentateucho occurrentes, possent, nullum usum jam habentes, illæso textu Hebraico omitti: non enim sunt additæ à Mose: & propterea *Deut.* 5. post illa verba, *Non concupisces uxorem proximi tui*, litera ס non dispecit decimum præceptum in duo.

2 Divisio Pentateuchi in quinquaginta quatuor Paraschas, sive Sectiones majores, habet aliquem usum, & videtur esse inventa ab Esra Propheta.

3. Superstitiosum est, absoluta ultima sectione Pentateuchi, statim incipere primam, eamque nolle inchoare ipsis Kalendis Novi anni.

4. Lectio Haphtararum, h. e. sectionum Propheticarum, videtur introducta annis 170. ante Christum ob tyrannidem Antiochi interdicentis legere Pentateuchum. Vide eas enumeratas in fine Bibliorum Hebr.

5. Pompa illa externa circa Pentateuchos MSS. quotannis in festo *Lætitiæ legis*, & aliis temporibus adhiberi solita, redolet superstitionem.

6. Pharisæus, Luc. 18: 12. *bis hebdomade* jejunans, jejunavit diebus Lunæ & Jovis. *Vide de his dissert. 4. Philol. Hebræi.*

2. M. Versio 70. Interpr.

7. Famosa Versio Græca, quæ vulgò vocatur LXX. Interpr. non est translata ex textu Chaldæo vel Samaritano, sed ex textu Hebræo.

8. Stylus versionis Græcæ potest vocari Hebræo-Græcus vel Hebraizans.

9. Cau-

Poculum Zelotypiæ. 489.



Sepultura Judæoum. 483.



Circumcisio. 381.



Digitized by Google

Digitized by Google

9. Causæ, ob quas in versionem Græcam tam enormis à textu Hebræo irrepsit discrepantia, sunt seqq. 1. Quia Interpretes usi fuerunt exemplari corrupto quoad consonantes & quoad vocales. 2. Quia videntur non benè caluisse linguam Hebræam. 3. Quia vocibus Hebraicis nonnunquam Syriacum vel Arabicum sensum indiderunt. 4. Quia sæpe magis sensum quàm verba respexerunt. Et 5. Quia Scribæ nimis oscitanter textum Græcum exscripserunt.

10. Hodierna versio Græca non est eadem illa, quam olim famosi Interpretes Græci sub Ptolomæo Philadelpho composuerunt.

11. Spiritus S. in N. T. non tantùm in allegationibus ex V. T. usus est versione Græca, sed sæpe ipso textu Hebræo. Quatuor sunt præcipuæ editiones versionis Græcæ, scil. *Complutensis*, *Veneta*, *Alexandrina* & *Romana*. *Vide suprà dissert.* 4.

12. An Deus expresse mandaverit circumcisionem esse instituendam in præputio pudendi? Expressam de præputio pudendi abscindendo non invenimus legem. Unde ergo colligitur, quod Deus mandaverit abscissionem talis præputii? 1. Ex dolore Sichemitarum *Gen.* 34. qui tertio die præ dolore se non potuerunt defendere. 2. Quia circumcisio in fœminis non habuit locum. *3. R. de Circumcisione.*

13. An Judæi glandulæ omnimodam retectionem, פְּרִיעָה vocatum benè probent ex *Jos.* 5: 2. *Et iterando circumcidito filios Israel secundò?* Neg.

14. Posito quod circumcisio esset mandata, An non Judæi sunt nimis superstitiosi circa ejus circumstantias? Imo. Quales ergo adhibent circumstantias à Deo non mandatas? Has. 1. Quod juxta compatrem collocent sedile vacuum, in quo putant Eliam prophetam sedere. 2. Quod sedile illud triduo exacto demum loco suo movere audeant. 3. Quod præputium in arenam projiciant; *primò*, ut indicent semen suum fore instar arenæ maris: *secundò*, ut in memoriam revocent verba Bileami dicentis Num 23. 10. *Quis dinumerare posset pulverem Jacobi? tertiò*, ut cibarent antiquum serpentem, qui Adamum in paradiso seduxit. 4. Quod in convivio circumcisionis non debeant esse pauciores decem convivis, qui omnes egressi sunt annum decimum tertium, &c. *Vide hic figuram circumcisionis.*

15. Utrum Judæi per 40. annos non circumciderint in deserto infantes suos ex malitia & inobedientia; an vero quia Boreas in deserto toto illo tempore non spiravit, uti volunt Judæi? Aff. pr. Neg. post.

16. Quare Deus voluerit infantes circumcidi octavo die, & non septimo, nono, decimo, undecimo, duodecimo, vel alio aliquo die? Quia septem dies durabat cæremonialis immundities, *Levit.* 12: 2.

Digitized by Google

17. An Judæi, volentes observare leges cæremoniales, benè faciant, quod mulierem dicant impuram tantùm 40. dies, sive filium sive filiam enixa sit; cum Deus *Levit.* 12: 5. voluerit eam fore immundam 80 dies quando filiam peperit? Non. Quare Judæi mutarint 80. dies in 40? Ob Karræos, qui præcisè verba legis observant. Et quia Judæi Rabbànitæ Karræos oderunt, ideo nolunt eos imitari.

18. An Judææ mulieres, absolutis 40 sive 80 diebus, teneantur se aquâ frigidâ, etiam mediâ hyeme, abluere, antequam cum maritis suis cubare audeant? Non. *Vide Synag. Buxt. cap.* 4. & 5.

4. *l.* 19. Multa dicta Jobi & amicorum, ut & aliqua in Psalmis non sunt in se authentica authentiâ normæ, sed historiæ tantùm.

10. 20. An propterea pleræque Radices vocum Hebraicarum constent tantùm tribus literis ut iis denotetur S. S. Trinitas? Et an tres literæ constituant tantùm unicam Radicem propter unitatem Essentiæ? Neg. utr.

CAPUT V.

1. H. de Pentateucho, &c. *Sect.* I. PEntateuchus à Mose est conscriptus & punctatus. An etiam ab illo est divisus in quinque libros? Non. A quo igitur? Verosimile est hoc factum esse ab Interpretibus Græcis: nam tituli librorum ferè sunt Græci. An non tituli בראשית *Genesios*, שמות *Exodi*, ויקרא *Levitici*, &c. sint Hebraici? Olim fuerunt tantùm tituli sectionum legalium; sed postea, præter sectiones, etiam libros Pentateuchi distinxerunt.

2. Judæi sunt nimis curiosi quando ex Pentateucho eliciunt 613. præcepta; 248 Affirmativa propter totidem membra corporis humani; & 365 Negativa propter totidem dies in anno solari, vel propter totidem venas in corpore humano.

3. An Judæi illa omnia præcepta hodie tenentur observare? Non. An Deus mandavit Judæis ציצית *Fimbrias* eum in finem, ut præcepta illa 613 in individuo sibi revocarent in memoriam? Neg. *Vide dissert* 5. *Phil. Hebr.*

2. M. de Targum. 4. Populi ignorantia occasionem dedit translationi sive paraphrasi Chaldaicæ, quæ unicâ voce communiter Targum nominari solet.

5. Paraphrases Chaldaicæ Onkelosi in Pentateuchum, & Jonathæ in Prophetas sunt compositæ circa tempora Christi; & nullæ, vel hæ, vel aliæ datâ operâ à Judæis sunt corruptæ.

6. In Danielem, Ezram & Nehemiam non datur Targum? An etiam in Chronica? Anno 1660. & 1683 edita est Augustæ Vindel. Paraphrasis in primum & secundum librum Chronicorum.

7. Auctores Paraphrasium Chaldaicarum non fuerunt Prophetæ.

8. Miracula illa, quæ temporibus adornatæ paraphrasios dicuntur facta; scil.

Digitized by Google

scil. 1. quod Terra Sancta per 40. leucas fuerit concussa; 2. quod vox è cœlis fuerit audita; 3. quod volatilia chartæ insidentia fuerint combusta; 4. quod Angeli è cœlis descenderint, pro fabulis habemus.

9. Cognitio Paraphrasium est Christianis utilis: Judæi enim ex iis aliquando fortiùs convincuntur, quàm ex ipsa S. Scripturâ. *Vide suprà dissert.* 5.

10. An licet uti medico Judæo? Imo. An indifferenter ubi æquè periti sunt medici Christiani? Non. *3. C. Prolegom. ad Controv. Jud.*

11. An Judæi conversi sunt spoliandi omnibus suis bonis sub prætextu quod ea omnia per usuram iniquè sibi acquisiverint? Neg.

12. Quomodo מורה *More* doctor, differt à Rabbi? Rabbi denotat vulgarem Rabbinum, sed *More* promotum doctorem. Rabbi est titulus qui fuit usitatus à temporibus Christi, sed titulus *More* demum ante ducentos annos in Germania ortus est. Quare excogitârunt Germani adhuc novum titulum? 1. Ut imitarentur Christianos, quos videbant sæpè promovere doctores. 2. Ut licentiam scribendi libellos repudii & sponsaliorum, quos vulgares Rabbini sæpe non benè scribebant, coarctarent, & his doctoribus tantùm concederent.

13. An laudanda est constitutio Hassiæ Principis Georgii super recipiendis in ditionem suam Judæis, qua solemni primùm juramento se obstringunt, quod nullos secum habituri sint libros, fidei Christianæ contrarios, deinde se nihil contumeliosum dicturos contra Christum, fidem aut religionem Christianam? Summoperè.

14. An liber Maimonidis, *More Nebhochim* vocatus; legitimè à Judæis Gallis sit combustus, & simul cum auctore condemnatus? Illegitimè.

15. An Judæi ante finem mundi sunt adhuc ad fidem Christianam convertendi? Aff. An iidem Salvatorem nostrum pro Messia sunt recepturi? Aff. An singuli Judæi sunt convertendi? Non videtur.

16. Utrum, quando convertentur Judæi, Ecclesia rursus sit transferenda à Christianis ad Judæos, uti olim ea fuit translata à Judæis ad Christianos; An vero Judæi sint aggregandi ad Christianos? Multi ob malam Christianorum vitam, & Verbi Divini contemptum non sine causa prius metuunt & sentiunt.

17. An Daniel revera fuit Propheta? Imo. An ergo immeritò à Judæis è numero Prophetarum ejicitur, & ad Hagiographa ablegatur? Imo.

18. An Hagiographa sunt divinæ, & ejusdem auctoritatis cum libris Mosaicis & Propheticis? Aff. *Vide prolegom. Hoornbekii contra Judæos.*

19. Hodierni Judæi benè dividuntur in Karræos & Rabbanitas. Quorum Karræi videntur propago? Veterum Sadducæorum. Quorum Rabbanitæ? 4. 1.

Digitized by Google

nitæ? Pharisæorum. Dissentiunt in multis à se invicem.

100. 20. Vox כארי occurrens *Psal.* 22: 17. debet explicari per *sicut leo*, & non per *transfoderunt*, uti plerique Interpretes faciunt.

CENTURIA SECUNDA.

CAPUT VI.

1. *H. de Prophetis.* *Sect.* I. PRropheta, qui vocatur נביא, חוזה, רואה, צופה, & אישהאלהים nunquam insignitus est titulo Rabban, Rabbi, Ribbi, Rab, vel Mar. Quare? An quia tituli illi non fuerunt satis sufficientes ad exprimendam excellentiam eorum? Non. Sed quia non quærebant tam vanos & ostentatorios titulos.

2. Differentiæ illæ quinque, quæ vulgo inter Mosen & alios Prophetas statuuntur, non sunt certæ, sed quædam ex illis sunt falsæ. Propheta *Jesaias*, regio sanguine natus, dicitur serrâ dissectus, *Jeremias* lapidibus obrutus, & *Ezechiel* occisus.

3. Olim Judæis non benè ante trigesimum annum interdicta fuit lectio capitis 1. Geneseos; capitis 1. & octo capitum ult. Ezechielis, & Cantici Cantic. An interdictum adhuc durat? Non.

4. Olim duodecim Prophetæ minores in unum volumen compingebantur, *Actor.* 7: 24. Jonas non fuit filius viduæ Sareptanæ, quem Elias ex mortuis suscitavit; nec Malachias fuit Angelus de cœlo lapsus, uti vult Origines. *Vide dissert.* 6. *Philol. Hebræi.*

2. *M. de Targum.* 5. An Paraphrases Chaldaicæ injuriâ temporis in quibusdam locis sunt corruptæ? Imo. Hoc apparet ex varietate inter diversas editiones, & ex citationibus vocum, quæ jam in paraphrasibus ita non inveniuntur.

6. An ullæ paraphrases ab ipsis auctoribus sunt notatæ vocalibus aut accentibus? Nullæ. Hoc apparet ex אוי tribus matribus lectionis, quæ in Edit. Veneta adhuc conspiciuntur; sed ex edit. Basileensi ferè ejectæ sunt.

7. Utrum præstet omnes paraphrases punctare secundùm punctationem, quæ in Daniele & Ezrâ observatur; an verò præstet cuique paraphrastæ suam relinquere dialectum, & ita punctare, atque tales literas retinere, quæ illi tempori, quo paraphrasis fuit conscripta, conveniebat? Neg. pr. Aff. post. Nam aliter elegantia linguæ, quæ tum temporis fuit observata, periret.

8. A quibus omnes paraphrases sunt ornatæ vocalibus? & à quo sola paraphrasis Onkelosi ornata est accentibus? Nescitur.

9. Quare sola Onkelosi paraphrasis est ornata accentibus? Fortasse propterea, ut lectionem ejus suaviorem & jucundiorem redderent: nam Judæi

Digitized by Google

Judæi tenentur singulis hebdomadibus ex eâ sectionem majorem legere.

10. Utrum paraphrases illæ sint translatæ verbotenus, an verò Paraphrastæ sæpe magis sensum respexerint quam verba? Paraphrastæ in multis locis verbotenus transtulerunt, sed in aliis videntur justum commentarium fecisse. An non Paraphrastæ aliquando optimè, imo Christianè, nonnulla transtulerunt? Imo: ubi enim Judæi benè aliquid dicunt, ibi nemo melius; sed ubi malè, ibi etiam nemo pejus.

11. An non multa Veteris T. loca difficiliora secundùm mentem paraphrastarum sunt exponenda & transferenda? Imo.

12. An Okelos fuerit Titi Vespasiani sororius, qui post Urbis excidium ejurato gentilismo factus fuit proselytus, uti communis est Judæorum sententia? Non videtur: nam noster Onkelos factus est proselytus 40. annis ante Christum, sed Titi sororius vixit 70. præter propter annis post Christum. An igitur fuit Aquilas Ponticus, vel Akilas? Non. Quis igitur? Schickardus in *Bechinath. Happ.* p. 25. putat nostrum Onkelosum fuisse Christo coætaneum, & Gamalieli justa fecisse, ac 70. thuris libras in ipsius busta honoris ergò insumsisse. An fuit proselytus? Imo.

13. An Onkelos etiam alias paraphrases, præterquam in Pentateuchum composuit, uti vult Galat.? Non. An ipsius paraphrasis est laudanda? Imo.

14. Targum Hierosolymitanum ita vocatum vel ab urbe unde prodiit, vel à dialecto quâ constat, est incerti Auctoris. An igitur dialecto Hierosolymitanâ constat? Imo. Quotuplex igitur est dialectus Chaldæa? Triplex. 1. Babylonica, quâ usi sunt Daniel, Esras, Onkelos, Jonathan in Prophetas; & auctores Talmudis Babyl. 2. Est Hierosolymitana, quæ fuit Judæis, Hierosolymis & in circumjacentibus regionibus habitantibus familiaris. Hâc usi sunt Jonathan in Pentateuchum, auctores Talmudis Hierosol. & auctor libri Zohar. 3. Est dialectus Syra Comagena, quâ Novum T. Syriacum est conscriptum. An hoc Targum adhuc totum alicubi superest? Non: sed tantùm quædam fragmenta inveniuntur. *Vide suprà differt. 6.*

15. An Mordechai uberibus suis lactavit Estheram reginam? Et an propterea tot honoribus ab illâ fuit condecoratus? Neg. utrumque. *3. R. de educat. pueror.*

16. An sit malum omen si pueri aperto capite incedant? Non. An Christus scholam magnam, quæ fuit Tiberiade, transierit aperto & erecto capite? Et an inde Rabbini, ibidem sedentes, benè concluserint eum fuisse spurium, & ex menstruatâ muliere conceptum? Falsissimè.

17: An Judæi benè faciant quod tecto capite semper preces suas recitent? Non. An Judæi ipsi, eorumque filii teneantur cingulum gestare, ne cor inter orandum pudenda adspiceret? Neg.

Digitized by Google

18. An pueri demùm anno *decimo tertio* & *uno die* completo teneantur præcepta Dei observare? Neg. An omnia peccata ante illud tempus à filiis commissa patri benè imputentur? Non. An ante illud tempus tantùm in illis regnet concupiscentia mala? Non. Unde probant Judæi, quod filii demum illo tempore pro se peccent, & Deum ex amore diligant? Kabbalistæ id probant ex אהבה *amor*, quæ vox si resolvatur in numeros, 13. denotat; & ex *Jes.* 43: 21. ubi habetur *populum* זו *istum creavi mihi*: זו etiam denotat 13. Quare pueri, etiam quinquennes, incipiant semper lectionem Biblicam ab initio Levitici? Quia filii tum adhuc creduntur puri & immaculati esse: & propterea Judæis æquum videtur ut in tali libro studeant, qui de purificationibus agit. *Vide Synag. Bux. c.* 7.

4. L. 19, Verbum הצדיק significat in V. T. actum forensem, sed nunquam infundere novam aliquam qualitatem.

120. 20. Utrum *Gen.* 6: 2. per *Filios Dei* intelligantur Angeli; an verò fideles? Fideles. An item versu 4. per נפילים gigantes? Imo.

CAPUT VII.

1. H. de libris V. T. *Sect.* 1. PSalmi meritò vocantur תהלים *laudes* & *hymni*, etiamsi multæ querelæ ibi etiam contineantur: nam à majori parte sumitur denominatio.

2. Decem sunt Auctores Psalmorum, sed præcipuos composuit David; scil. septuaginta quatuor nomen Davidis in frontispicio ferentes, & triginta octo eo titulo destitutos: & propterea sumpta denominatione à potiori parte communiter Psalmi adscribuntur Davidi.

3. Psalmi à diversis auctoribus compositi, videntur collecti in unum volumen, & in quinque libros divisi ab Esrâ. In 564. selectis versibus Psalterii, licèt in toto occurrant versus 2527. inveniuntur 1148. voces radicales, cum in toto V. T. Hebraico tantùm numerentur à Buxtorfio 1867.

4. Psalmi 25, 34, 37, 111, 112, 119, 145. ordine alphabetico constantes, videntur compositi ad subveniendum imbecillitati memoriæ.

5. Metrum carminum in libris poëticis V. T. occurrentium est ignotum. Rhytmum S. Scriptores in antiquis carminibus, sicuti in hodiernis facere solent, non curârunt. *Vide differt.* 7. *Phil. Hebræi.*

2. M. de Targum. 6. An tertia paraphrasis Chaldaica in Pentateuchum, quæ vulgò תרגום יונתן *Targum Jonathanis* vocatur, sit translata ab illo ipso Jonathane qui Prophetas transtulit? Non: 1. nam est magna, si non maxima, differentia styli inter illam & paraphasin in Prophetas. 2. Illa subinde habet fabulas admixtas, ex. gr. *Gen.* 1: 17. quod sol & luna fuerint 21. annos æquales: sed hæc ab illis abstinet. 3. Illa tertia paraphrasis facit mentionem rerum diu post obitum

Digitized by Google

obitum Jonathanis factarum: ex. gr. *Exod.* 26: 9. meminit divisionis Misnæ in 6. partes, quæ demum est facta Anno 150. post Christum.

7. An Jonathan, auctor paraphrasios in Prophetas, etiam transtulit Pentateuchum? A. sed illa paraphrasis diu periit. An item in Hagiographa? Non.

8. Quando illa tertia paraphrasis in Pentateuchum est composita & à quo? Utrumque ignoratur. Elias Levita, Fagius & Mercerus nihil sciverunt de eâ. Edita demum est Venetiis ante 120 circitèr annos.

9. Paraphrasis Jonathæ in Prophetas anteriores & posteriores meritò est magni facienda; tum propter præstantiam personæ; tum etiam, quia multa loca obscura dilucidè & Christianè explicantur.

10. Paraphrasis in quinque libellos habet admixtas fabulas: ex. gr. *Esthera. c.* 2. *v* 9. dicitur, quod Regina habuerit 7. ancillas, quarum singulæ nominatæ secundùm diem hebdomadæ ipsi ministrârunt; ut inter gentiles habitans diem sabbathi dignoscere posset. Auctor ejus est ignotus.

11. Auctor secundæ paraphrasios in Estheram etiam est planè ignotus.

12. Auctor paraphrasios in Psalmos, Proverbia & Jobum vulgò vocatur *Rab Jose*, qui dicitur fuisse cæcus vel luscus: sed alii verosimilius statuunt auctorem ignotum esse. Hæc non magni fit à Judæis propter admixtas voces peregrinas; ideoque à Judæis, etiam doctissimis non satis benè intelligitur.

13. Qui vult paraphrases discere, iisque uti adversus Judæos, ante omnia calleat linguam Hebraicam. *Vide supra diss.* 7.

14. Cum Judæi nunquam methodicum aliquod Scriptum in lucem ediderint, quo per locos communes fidem suam Judaicam præeunte Scripturâ ordine probârunt, & contra fidem Christianam vindicârunt: ideo quæritur; A quo fidei articulo sit inchoanda disputatio cum Judæo; An à mysterio Trinitatis? Non: nam Trinitas tam clarè non probatur ex Veteri, quàm quidem ex N. T. quod Judæi rejiciunt. *3. C. de primo art. disput.*

15. An à peccato & libero arbitrio sit incipiendum, ut fecit Petrus de Cavalleria Hispanus? Non: nam hæc materia secundariò tantùm pertinet ad fidem Judaicam; deinde non omnes idem sentiunt de hâc materiâ. An à satisfactione Christi? Non. Hæc materia clarius evincitur ex Novo quam ex Veteri Test.

16. An à causâ diuturnæ hujus captivitatis? Et an illa adscribenda sit horrendo illi peccato, quod Christum cruci affixerint, uti ex Judæo Christianus Samuel Merochianus fecit? Non: nam confitentur quidem peccata sua, sed in specie illud peccatum negeant, & ajunt se benè fecisse.

17. An igitur à Messiâ sit exordienda disputatio? Imo: An à miraculis Christi, uti fecit Grotius? Non: nam 1. ajunt illa miracula esse facta virtu-

Digitized by Google

te diabolorum: vel per genuinam pronunciationem nominis Jehovah. 2. Miraculis qualibuscunque, quando à Lege Mosis abducunt, non esse adhibendam fidem, secundùm *Deuter.* 13: 1. An ergo à naturâ aut officio Christi? Non.

18. Omnium optimè facere videtur, qui, disputationem contra Judæos inchoaturus, incipit à Tempore adventûs Messiæ, & à Judaicæ Reipublicæ, atque legis Mosaicæ eversione. *Vide Præfat. Hulsii de Theologiâ Judaicâ.*

§. 1. 19. Utrum anni vitæ Patrum antediluvianorum *Gen.* 5. revera fuerint anni solares, uti ferè anni nostri; an verò tantùm lunares? Aff. pr. Neg. post. An non olim numerus annorum in V. T. fuerit designatus literis numeralibus, quæ facilè mutari potuerunt? Non. An ergo Methusalach revera vixerit annos 969.? Imo.

140. 20. Utrum longævitas illorum Patrum adscribenda sit accuratiori diætæ quam servârunt? an verò miraculosæ providentiæ Divinæ? Et diætæ & tali providentiæ. Quare homines primævi tam longævi fuerint? Præcipua causa est beneplacitum Dei. Adde quod genus humanum fuerit multiplicandum, quod artes & scientiæ per diuturnam experientiam fuerint inveniendæ & discendæ.

Caput VIII.

1. H. de libris V. T. *Sect.* 1. JObi historia non est parabola. Quando igitur vixit? Nescitur. Utrum Jobus Hebraicè sit conscriptus, an verò Arabicè? Hebraicè. An socii Jobum visitantes fuerint Arabum Reges? Non.

2. An Judæi teneantur Estheram & Pentateuchum exscribere? N. An per *κεραία apex*, Matth 5: 18. denotentur vocales? N. Quid tum? Cornicula, quæ septem literis שעטנז גץ in libris MSS. adscribi solent.

3. Mordochæus videtur scripsisse librum Estheræ, *cap.* 9. v. 20. 23. De divinâ illius libri auctoritate olim frustrà quidam dubitârunt, etiamsi nomen Dei ne semel in illo libro occurrat.

4. Absurdè & impiè celebratur Festum Purim à Judæis.

5. Daniel raрò legitur à Judæis, tum quia adventus Messiæ ibi clarè describitur, tum quia magnâ ex parte linguâ Chaldaicâ constat. *Vide dissert.* 8. *Philol. Hebræi.*

2. M. de Pentat. Samar. 6. An Samaritani, qui temporibus Christi vixerunt *Joh.* 4. *Luc.* 10. fuerint origine Judæi? Non, sed variarum nationum colluvies.

7. An Salmanasser prudenter fecerit, quod in Samariam loco abductorum Judæorum transvexerit homines diversarum religionum, ne unitas religionis occasionem præberet rebellioni? Fecit astutè & politicè, sed impiè,

Digitized by Google

piè. An ergo omnes homines falsæ religionis sint expellendi? Non. An permittendum est exercitium falsæ & idololatricæ religionis? Exercitium falsæ posset permitti, sed non idololatricæ: nam in V. T. reges multi laudantur; sed tanquam *nota* additur, quando *excelsa*, hoc est, reliquias idololatriæ non extirpârunt.

8. Quæ fuit causa odii inter Samaritanos & Judæos? Quia Samaritani duobus annis impedire conati fuerunt restaurationem Urbis & Templi.

9. An Samaritani tantùm Pentateuchum Mosis pro Verbo Dei receperunt? Sic nonnullis videtur. Quare? 1. Propter odium Judæorum, qui etiam cæteros libros recipiebant. 2. Quia cæteri libri fidem Samaritanorum destruebant. Nonnulli tamen verosimiliter dicunt Samaritanos solem legem pro Verbo Dei accepisse, oppositè ad Traditiones legis Pharisaicas, non verò ad alios S. Scripturæ libros.

10. An Samaritani habuerunt literas finales, uti Hebræi? Non.

11. An Pentateuchus Samaritanus sit authenticus, & Hebraico longè præferendus, uti vult Morinus? Neg. *Vide suprà dissert.* 8.

12. An preces manè recitatæ semper, vel magis exaudiantur à Deo, quàm si aliis temporibus recitentur? Non. An quotidie matutino tempore sit plorandum propter templi Hierosl. desolationem? Potiùs ridendum. An peccata fronti aliquando inscribantur, & lachrymis deleantur? Neg. *3. R. de temp. matut. Tzizith. & Tephilim.*

13. An galli gallinacei manè cucuriant, quia audiunt in cœlo vocem dicentem; *Aperiantur portæ Cœli, ne ulli remora injiciatur?* Non. An non sit absurdum recitare sequentem benedictionem ad galli cantum: *Benedictus tu Domine Deus noster, totius mundi Domine, qui gallo intelligentiam dederis, ut diem à nocte discernat?* Imo.

14. An non sit superstitiosum semper velle calceum dextrum primò inducere, & sinistrum secundò; atque sinistri corrigiam primò nectere, & sinistrum calceum primò exuere? Aff. c. Jud.

15. An vita ipsius decurtetur, qui in loco impuro mentionem Dei facit? Non. An non absurdi fuerint antiqui Rabbini, qui non nisi sumptâ veniâ ab Angelis tutelaribus ingressi sunt locum secretum? Imo. Quare? ut dignarentur exspectare donec iterum egrederentur.

16. An Judæi non sint nimis superstitiosi circa lotionem manuum? Imo. Quomodo? Non audent attingere corpus, oculos, aures, os &c. antequam laverint. Deinde dextra primò ter est excipienda aquâ, postea sinistra etiam ter, & tum demum manus manui admovetur. Judæi ob causas ridiculas lotionem necessariam esse volunt.

17. An gestatio Fimbriarum Judæis literaliter in V. T. à Deo sit mandata?

Digitized by Google

data? Imo. Ubi? Num. 15: 37. *Filii Israelis faciant sibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in iis vittas hyacinthinas*, & Deut. 22: 12. *Fimbrias facito tibi in quatuor oris tegumenti*. An teneantur in singulis angulis præcisè facere octo fimbrias quinque nodis ligatas? Non. An teneantur eas alligare vesti quadratæ magnæ טַלִּית גָּדוֹל *pallium majus* vocatæ, quod capiti imponitur; vel parvæ טַלִּית קָטָן *pallium parvum* vocatæ, quod dorso ab ante & à tergo suspenditur? Non. An Judæi jam adhuc debeant gestare fimbrias? Non. Quare non utuntur fimbriis coloris hyacinthini, uti Deus mandavit? Quia jam difficulter eum colorem sibi acquirere possunt. Quare ergo utuntur fimbriis coloris albi? Quia hic color est innocentiæ & puritatis symbolum.

18. Gestatio תְּפִילִין *phylacteriorum*, sive manûs, sive capitis, Judæis literaliter non est mandata, nec ea ex illis textibus, qui utrisque etiam inscribi solent, probari potest. Quinam ergo textus membranis inscribuntur? In *primâ* membranâ describuntur quidam versus desumpti ex Exodo à cap. 13. *vers.* 1. usque ad v. 11. In *secundâ* à v. 11. usque ad 17. In *tertiâ* ex Deut. 6. à v. 4. usque ad 10. In *quartâ* ex Deut. cap. 11. à v. 13. usque ad 22. An si Deus phylacteria literaliter mandasset, æquè ad ea gerenda mulieres fuissent obstrictæ quàm viri? Imo. An non Judæi sint nimis superstitiosi circa externa illa phylacteria? Sunt superstitiosissimi. *Vide Synag. Buxtorfii cap.* 8. *&* 9.

4. *J.* 160. 19. An ante Mosis tempora quidquam litterarum fuerit? Aff.

20. Lex Deut. 22: 5. data; *Ne esto indumentum virile super fœminam, neque induito vir vestem fœminæ*, est lex moralis obligans etiam omnes Christianos. Cur Deus hanc legem dedit? Ut vitarentur impuritates & scortationes.

CAPUT IV.

1. H. De Apocryp. & Nominatis in V. T.

Sect. 1. Libri Apocryphi (sic vocati ab ἀποκρύπτω *occulto*; quia à Judæis abscondebantur, ne aliquis eos publicè in Synagogâ prælegeret) non sunt authentici; nam non sunt scripti à Prophetis; non sunt scripti linguâ Propheticâ, h. e. Hebraicâ; non sunt concrediti Judæis; etiam multa fabulosa, superstitiosa & contradictoria in iis inveniuntur.

2. Potuissent ex Codicibus Sacris ejici, sed ob sonticas causas Synodus Dordracena relegavit eos ad finem Bibliorum.

3. Nulli libri ex Canone Veteris T. perierunt, licèt quidam citentur in V. aut in N. T. qui nomine tenus jam non inveniuntur.

4. Centum & viginti Viri Synagogæ magnæ, quorum Esras fuit præses, libros Veteris T. in unum volumen redegerunt, & pseudo-propheticos à veris segregârunt, ac medicam manum Veteri T. adhibuerunt. An illud exem-

Digitized by Google

exemplar, ab illis Viris correctum, adhuc servetur Bononiæ in Ecclesiâ S. Dominici loco pignoris? Neg.

5. An tempore Captivitatis Babyl. omnes libri Veteris T. tam autographi Mosis, aliorumque Prophetarum, quàm apographi simul & semel perierint, & ab Esrâ miraculosè restituti sint, uti legitur 4. libro *Esdræ*. cap. 14? Falsa sunt. *Vide dissert.* 9. *Philol Hebræi.*

6. Versio Syriaca V. T. est duplex, quarum una est translata ex textu Hebræo, quæ jam in Bibliis polyglottis exprimitur; altera vero ex textu Græco. An utraque ab eodem auctore, an verò à diverso, & à quo? Nescitur. Videtur verosimile eas esse compositas circa tempora Christi, vel Apostolorum. *2. M. De vers. Syr. V. & N. T.*

6. Non sequitur, Hieronymus non facit mentionem versionis Syriacæ Veteris T. ergo ea temporibus Hieronymi non fuit.

8. Versio Syriaca Veteris T. licèt in multis sensum genuinum exprimat, nihilominus in nonnullis à vero sensu aberrat.

9. An aliquis ex Euangelistis Novum T. in linguam Syriacam transtulit? Vel aliquis ex iis qui ipsos Apostolos Antiochiæ habuit præsentes? Incertum est utrumque. Versio Syriaca N. T. videtur esse valde antiqua; quia in plerisque editionibus omissi sunt illi Textûs, de quibus initio nascentis Ecclesiæ fuit dubitatum, scil. Historia adulteræ *Joh.* 8. secunda epistola Petri, secunda & tertia Johannis, epistola Judæ & Apocalypsis Sed illi sunt postea impressi. Sunt decem editiones Novi T. Syriaci, quæ ordine enumerantur, & undecima jam sub prelo sudat.

13. An versio Syriaca N. T. habet aliquam utilitatem? Egregiam: nam Christi & Apostolorum lingua vernacula fuit Syriaca; & propterea multæ phrases & voces difficiles per versionem Syriacam dilucidè explicantur. Confer. 1 *Cor.* 10: 2. *Matt.* 6: 10. *Act.* 3: 21. &c.

11. An lingua Syriaca jam adhuc est vernacula, prout fuit temporibus Christi? Est adhuc vernacula in paucis vicis circa Libanum; sed in aliis locis pro Eruditorum linguâ habetur. *Vide suprà dissert.* 9.

12. Fabulæ sunt, quæ de lege traditâ proferuntur, scil. 1. Quod Moses pedibus steterit in monte, & ipse totus fuerit in cœlo. 2. Quod ipse Decalogum acceperit vesperâ Sabbathi, die sextâ mensis, horâ diei sextâ. 3. Quod eo tempore Israelitæ ipsis angelis fuerint præstantiores. 4. Quod tunc temporis non egesserint excrementa sua. 5. Quod nullus passus fuerit sanguinis aut seminis profluvium. 6. Quod nemo mortuus fuerit. 7. Quod Deus stipatus sexaginta myriadibus angelorum descenderit, ut daret suam legem. 8. Quod angeli in manibus suis tulerint coronas, quibus Israelitas *3. C. De lege Orali.*

præ-

præcingebant. 9. Quod Deus interdixerit scribere legem oralem. 10. Quod Israelitæ eo tempore, quo Mosem lugebant mortuum, obliti fuerint tria millia traditionum, quæ Othinel F. Kenazi ex ingenio suo iterum produxisset.

13. An lex oralis Judæorum contineat dogmata scitu ad fidem & obedientiam necessaria, quæ in lege scripta non inveniuntur? Non.

14. Non sequitur, Christiani præter V. T. habent Euangelium; ergo licet habere legem oralem: nam Euangelium, sive N.T. non continet novas leges, quæ in V. T. non sunt mandatæ, sed applicat leges Veteris T. ad hoc vel istud subjectum.

15. Lex oralis non benè à Judæis probatur ex *Exod.* 34: 27. aut ex *cap.* 24: 12. vel ex *cap.* 18: 16. aut ex *Deut.* 17: 8, 9, 10, 11.

16. An Kabbalistica Judæorum doctrina sit Divinæ originis & auctoritatis? Non. An æquè ad mala & impia, quàm ad bona proferri possit? A.

17. An quia Deus in nomine אברם *Abrami*, interponendo ה; & Jeremias *cap.* 25. dicendo ששך pro rege בבל usi fuerint duobus modis, quos Judæi inter 13. modos Cabbalæ Theoreticæ numerant, probari possit Kabbalam Judaicam esse Divinæ auctoritatis, vel eos eam probare? Neg. Non sequitur, Deus & Prophetæ tali mysticâ ratione quandoque sunt usi; ergo & nobis promiscuè eâdem uti licet pro arbitrio ad quævis affingenda. *Vide Hoornbeek contra Judæos* l. 1. c. 1, 2.

18. An tredecim modi exponendæ legis, incipientes רבי ישמעאל אומר וכו, qui vulgò habentur in libellis precum, & qui quotidie matutino tempore à Judæis deblaterantur, sint pars legis oralis Mosi in monte Sinai traditæ? Neg. An non tamen plerique sint boni, qui & ab Aristotele fuerunt usurpati, & hodiè ferè à nostris usurpantur? Imo. Vide eos explicatos *in Bechinath Schickardi pag.* 159.

4. J. 19. An, quia in V. T. leprosi habitârunt extra castra Israelitarum, benè probetur hodiernos abusivè dictos leprosos extra urbes in peculiaribus ædibus habitare debere? Et an hodierna lepra sit similis antiquæ? Neg.

180. 20. An debeant comedere mendicatum panem? Minimè. An laudanda sit illa probatio leprosorum, quæ ante paucissimos annos hìc alicubi in Belgio usitata fuit? Non. An talibus mendicis dandum sit publicum diploma mendicandi? Non. An deberent laborare ut alii homines? Imo.

CAPUT X.

1. H. Litera diversa Fig. *Sectio* TRiginta literæ Majusculæ, triginta tres Minusculæ, quatuor Suspensæ, & novem Inversæ, licèt antiquitus ante confectum Talmud, h.e. ante quingentesimum Christi annum, in V. T. sunt observatæ,

vatæ, non tamen ſunt ab ipſis auctoribus librorum, nec myſterium aliquod divinum denotant. Fortaſsè quædam, ſive pleræque iſtæ ex oſcitantiâ Scribarum primitùs in Textum Hebræum irrepſerunt

2. An non ſupradictæ literæ extraordinariæ poſſent in alias ordinarias ejuſdem quantitatis cum cæteris literis mutari? Poſſent.

3. An *Jeſ.* 9: 7. in voce לםרבה Mem finale in medio, & *Nehem.* 2: 13. in חמ Mem intermedium, ut & *Job.* 38: 1. מנ Nun in fine, ſunt ita exarata ab ipſis auctoribus librorum? Non puto. *Vide diſſ.* 10. *Philol. Hebræi.*

4. S. Scriptura debet in linguas vernaculas cuilibet nationi proprias transferri. *2. M. Verſio Belg.*

5. Plebi & indoctis non eſt prohibenda lectio S. Scripturæ.

6. An antiqua noſtra verſio Belgica fuerit translata ex ipſis fontibus? Non. Unde igitur? Ex verſione Germanicâ Lutheri. An illa fuerit ſatis correcta? Non, ſed multis ſcatebat vitiis.

7. An ergo utile, neceſſarium, atque è re Eccleſiæ Belgicæ fuerit, ut nova Bibliorum verſio Belgica adornaretur? Imo.

8. Quis antiquam verſionem Belgicam ex verſione Germanicâ Lutheri tranſtulit? Auctor eſt planè ignotus.

9. Licèt Eccleſia noſtra reformata uſque ad annum 1637. non habuerit Biblia ſatis correcta: inde tamen non ſequitur, *vel* habuiſſe Biblia falſa; *vel* non-habuiſſe in illis Bibliis omnia quæ ad ſalutem erant neceſſaria; *vel* Eccleſiam mutare pro beneplacito Biblia: nam corrigit ſecundùm infallibiles fontes; *vel* aliquos debere, vel poſſe propterea ſcandalizari. &c.

10. An voces quasdam alio charactere exarare, & uncinulis includere, quæ ad ſenſum Hebræum vel Græcum Belgicè exprimendum ſunt neceſſariæ, ſit aliquid addere ad textum, quod Spiritus S. non intendit? Neg.

11. An nova noſtra verſio Belgica tam congrua eſt cum Textu Hebræo, quàm ulla alia verſio quæ datur? Imo *Vide ſuprà diſſert* 10.

12. An בית המדרש *Domus ſtudii*, h. e. Schola in quâ diſcunt legem, ſit ſanctior בית הכנסת *domo cogregationis*, h. e. Synagogâ, in qua preces, publicæ, lectiones Sacræ legis & conciones habentur? Neg. An liceat ex Scholâ facere Synagogam? Aff. An ex Synagogis cancri inſtar ſit egrediendum, ne tergum arcæ obvertatur? Non. An neceſſarium ſit Synagogas exſtruere in altiſſimo civitatis loco? Non. *3. R. De Synag. & precib.*

13. An Judæi non ſunt nimis ſuperſtitioſi circa Synagogas ſuas, præcipuè tum, quando Sacra non adminiſtrantur? Imo.

14. Judæi ſunt nimis ſuperſtitioſi circa recitationem precum. ſcil. 1. Quod faciem convertant tantùm verſus plagam Orientalem. Quare ita

 orant?

Digitized by Google

orant? Uti se obverterent versus Terram Israelis, versus Hierosolymam & Sanctuarium: nam terra Sancta respectu plerorumque Judæorum est versus orientem. 2. Quod tecto & non aperto capite orent: tecto enim capite incedere, vel precari, est apud ipsos signum humiliationis & venerationis. 3. Quod ter in altum subsiliant, & in fine precum per tres passus resiliant.

15. 4. Quod non aliter quàm stando orare velint. 5. Quod mandent esse pergendum in oratione, si vel serpens venenatum dentem calci infixerit. 6. Quod non audeant aliquem manè ante preces salutare voce שלום *pacis*. 7. Quod emisso peditu quatuor passus progrediantur, & dicant. *Domine totius mundi, tu nos plenos foraminibus condidisti &c. c.* 8. Quod vocem אחד *unius* Deut. 6: 4. sæpe per dimidiam vel integram horam producant, & ad quatuor mundi plagas caput reflectant.

16. An Judæi singulis diebus temporibus matutinis teneantur centum gratiarum actiones recitare, quia quodam tempore singulis diebus dicuntur centum Israelitæ obiisse? Neg.

17. An tenentur præter eas centum gratiarum actiones adhuc alias octodecim ter quotidiè recitarè propter 18. ossicula spinæ dorsi? Neg. An item tenentur vesperi & manè precem *Keriath Schemah* (ex *Deut. cap.* 6. *vers.* 4, 5, 6, 7, 8, 9. & ex *cap.* 11. à *versu* 13. usque ad 20. item ex *Num. cap.* 15. à *versu* 37. usque ad finem) in quâ sunt 245. voces, recensere? Non. An hæc oratio tam sancta est, ut ejus ope magna miracula fieri possint? Non.

18. An Judæi satisfaciunt legi ceremoniali, petenti oblationem sacrificiorum, si modò Textûs illos S. Scripturæ, agentes de sacrificiis, verbis post invicem recitent? Non. *Vide Synag. Buxtorfii cap.* 10.

4. J. 19. Christus ex jure zelotarum, flagello facto, ejecit nummularios & vendentes boves ex Templo; illudque idem aliis privatis zelotypis etiam fuisset licitum.

200. 20. An licitum fuit zelotypis, quâ privatis personis, aliquem sacrilegum, blasphemum, aliumve enormiter peccantem in ipso actu peccati impunè occidere? Imo: An etiam impunè respectu legum Divinarum? Dubito. Unde illud jus zeli habuit originem? A Phineâ transfigente Zimri principem & Cosbi, paganam, *Num. cap.* 25.

CENTURIA TERTIA.

CAPUT XI.

1. *H. De antiq. lit. Heb.* *Sect.* 1. Utrum literæ hodiernæ Hebraicæ, quibus sacri Codices jam ubique descripti sunt, aut imprimuntur, sunt genuinæ & primige-

Digitized by Google

migeniæ literæ, quas Deus in monte Sinai tabulis lapideis inscripsit, & Moses, aliique scriptores Sacri in Veteri T. usurpârunt; an verò è contra literæ Samaritanæ pro veris & antiquis literis sint agnoscendæ? A. pr. N. post

2. An quia nummi, temporibus Salomonis cusi, inveniantur literis Samaritanis insigniti, benè probetur antiquas literas fuisse Samaritanas? N.

3. Non est verosimile Esram veras & genuinas literas Samaritanis reliquisse, & alias profanas elegisse pro se & pro omnibus Judæis.

4. Illæ literæ sunt antiquæ, in quibus Jod est minima litera: quia Christus *Matt:* 5: 18. dicit, *Jota unum aut unus apex non transibit.* Vide *dissert.* 11. *Philol. Hebræi.*

5. An versio Belgica, quæ maximâ cum diligentiâ jussu Synodi Dordracenæ, & auctoritate DD. Ordinum est translata, sit authentica? Neg. *2. M. Vers. Belg.*

6. Joh. Borgermannus; Wilhelmus Baudartius & Gerson Bucerus anno 1628. Leydæ inceperunt Vetus T. & Jac. Rolandus, Ant. Walæus & Festus Hommius anno seq. Novum T. & libros Apocryphos in linguam Belgicam transferre, qui anno 1632. totum opus absolverunt. Octo Revisores Vetus T. anno 1633. circa Julium examinare cœperunt, & circa Septembrem anni sequentis absolverunt: deinde sunt vocati octo Revisores, qui examen versionis Novi T. mense Octobri anni 1635. ad umbilicum perduxerunt. Sed ea versio demum biennio post, scil. anno 1637. per typographiam facta est publici juris.

7. An leges circa versionem V. & N. T. ut & librorum Apocryphorum, Interpretibus illis à Synodo præscriptæ, sunt laudandæ? Imo.

8. An Jehova, sic judicante Synodo, bene transferatur per vocem *Heere* scriptam majusculis literis? Tam benè quam fieri potest.

9. Utrum præstet nomina propria Hebraica ita exprimere Belgicè, prout sonant Hebraice; an verò præstet ea ita transferre prout jam transferuntur cum Belgicâ terminatione? N. pr. A. post. *Vide suprà dissert.* 11.

10. An duo Messiæ in mundum sint venturi, scil. ben Joseph, & ben David? Neg. Quare Judæi excogitârint duos Messias? Quia S. Scriptura aliquando Messiam introducit tanquam vilem & pauperem; aliquando verò tanquam hominem magnificum, præpotentem & excelsum. *3. C. De adventu Messiæ.*

11. An tempus adventûs Messiæ, in V. T. promissi, præterierit? A. An ergo verus Messias in mundum venit? A. Nam promissiones Dei sunt certæ.

12. Tempus igitur adventûs Messiæ sine nato Messiâ non præteriit propter peccata Judæorum; vel Messias non latitat Romæ in aula Pontificis inter ægrotos & leprosos; vel in insulâ Caspiâ; vel non jacet in Paradyso mulieris capillo alligatus.

Digitized by Google

13. *Primò* ex *Gen.* 49: 10 לא יָסוּר וגו׳ *Sceptrum non recedet à Jehuda donec venerit Silo, &c.* invictissimè probatur Messiam venisse, licet Judæi nonnulli contra mentem trium paraphrasium Chaldaicarum vocem שבט explicent per *virgam*, vel per *dignitatem Regiam*, vel per *tribum*, vel per *jus* tantùm & privilegium regnandi; שילה per *Mosem*, vel *Davidem*, vel *Jeroboamum*, vel *urbem Schilo*, vel *Nebucadnezarem*, vel per *Abiam Silonitem*; & עד per *æternum*.

14. An adhuc hodie alicubi in mundo penes Judæos vel decem Tribus sit regimen aliquod politicum, cujus sit mentio *Gen.* 49: 10.? Non. An omne sceptrum tempore captivitatis Babylonicæ fuerit remotum à Juda? Non. Ante adventum Messiæ fuit quidem remotum à Juda sceptrum *regium*, & *ducale* sive ducum; sed non sceptrum *legislatorium*: nam illud permansit penes Judam etiam in ipsa captivitate Babylonica.

15. *Secundò* probatur Messiam venisse ex *Haggai* cap. 2: 7, 9. *Veniet desiderium omnium gentium, & replebo domum hanc gloriâ. Major erit gloria domûs hujus posterioris, gloriâ prioris.* Messias debuit gloriâ implere templum; & non potest alia assignari majoritas templi posterioris præ priori, nisi in adventu & præsentiâ Messiæ.

16. An gloria illa templi non consistat potius in ornatu, quem ei conciliavit Herodes? Non. An non in æstimatione, qua viguit apud extraneos; & donis innumeris, quæ ei ab exteris fuerunt collata? Non. An non in duratione: nam templum primum duravit 410. annos, & secundum 420.? Non. An non Haggæus intellexit tertium aliquod Templum? Non: nam digito quasi demonstravit templum existens.

17. An non templum primum fuit multo præstantius templo secundo respectu diversarum rerum? Imo. 1. *Hag.* 2: 4. Secundum respectu primi dicitur fuisse tanquam nihil. 2. Primum intùs & foris purissimo auro fuit obductum, & pretiosissimis gemmis undiquaque ornatum, 2 *Par.* 3: 4, 5, 6. non ita secundum. 3. Vasa ferè omnia, quæ in primo templo aurea fuerant, erant in secundo ænea. Hinc expleto templi secundi opere plurimi sacerdotum, qui primi templi magnificentiam cognoverant, lachrymârunt. 4. Ex sententia Talmudistarum etiam quinque defuerunt in templo secundo, quæ fuerant in primo, scil. Urim & Tummin, Arca fœderis, Ignis de cœlo descendens super holocausta, Dei gloria, & Spiritus S. h. e. donum prophetiæ per immediatum Spiritus S. instinctum.

18. Utrum Herodes fuerit Judæus, an peregrinus? Fuit Idumæus, h. e. peregrinus. Utrum Herodes Templum tertium ædificaverit; an verò secundum Zorobabelis tantùm renovaverit? Renovavit tantùm, sed nonnulla

Digitized by Google

nulla fundamenta, vetustate, aliove vitio consumpta, novo ædificio sustinendo inidonea, de novo ædificavit. *Vide Hoornbeek. c. Jud. l. 2.*

19. An in linguâ Syriacâ olim fuerit Dagesch fortè? Imo. An ultimæ syllabæ Verborum & Nominum, desinentes in Jod aut Vau, sunt pronunciandæ? A. 4. *J.*

20. An ad Kametz-Chatuph rectè adduntur duo puncta? Non. An Judæi Germani rectè pronunciant ת non punctatum in fine per ס? Non. An item Kametz per O? Non. An hæc mala consuetudo à Christianis est probanda? Non. 22.

CAPUT XII.

Sect. 1. EX verbis Hieronymi, dicentis in *Præfat. in libros Samuelis* (*Certumque est, Esram Scribam alias literas reperisse, quibus nunc utimur, cum ad illud usque tempus, iidem Samaritanorum & Hebræorum characteres fuerint,*) non potest probari genuinas literas Veteris T. primitùs fuisse Samaritanas. *1. H. De antiq. liter. Hebr.*

2. Duplex character literarum, scil. sacer & profanus, fuit ante tempora Esræ usitatus, h.e. hodiernus Hebr. & Samaritanus. *Vide diss. 12. Phil. Hebr.*

3. Talmud comprehendens sub se Misnam & Gemaram, est Hierosolymitanum vel Babylonicum. Illud est antiquius hoc. Quando igitur illud est conscriptum? Misna est collecta anno Christi 150. Gemara Talmudis Hierosolymitani anno 230. sed Babylonici anno Christi 500. *2. M. De Talmud.*

4. Misna constat linguâ Hebraicâ, sed stylus ejus est succinctus & concisus; Gemara verò constat dialecto Chaldæâ, cui multæ voces peregrinæ ex aliis linguis sunt immixtæ. Sunt viginti Tractatus Misnæ translati in linguam Latinam, qui ordine temporis enumerantur. Sed jam Amstelodami omnes Tractatus Misnici transferuntur, & in sex volumnibus eduntur à Doctiss. Viro D. Gulielmo Surenhusio.

5. An Talmud, sive in totum, sive ex parte est divinæ auctoritatis? Et an Moses illud à Deo in monte Sinai accepit? Neg. utrumque.

6. Absurdi ergo sunt Judæi, qui Talmud vino, & S. Scripturam aquæ comparant; aut qui dicunt S. Scripturam esse similem aquæ, Misnam sali, & Gemaram condito; aut *Legem Mosis non posse explicari sine Talmude, illamque fundatam esse super hoc.*

7. Profanum est quod Talmudistæ dicunt in Tractatu *Sabbath*, Deum tribus diei horis studere in Lege, & novem in Talmude.

8. An non malè consulatur Juventuti Judaicæ, quod ea annos decem nata ad Misnam, & 15. annos nata ad Gemaram ablegetur? A.

9. Absoluta obedientia, quam sibi Rabbini à discipulis tribui volunt, est

Digitized by Google

est profana & impia, Qualis igitur ea est? Si Rabbinus de dextrâ diceret eam esse sinistram, & vice versa, tali Rabbino, etiam mendacissimo, à discipulo adhibenda esset fides, uti ait Jarchi ad *Deut.* 17: 11.

10. Lex Dei est perfecta; ergo non datur præter eam lex Oralis tradita Mosi. Nullibi in toto Pentateucho fit mentio legis Oralis, nec Deus aliam obedientiam à nobis postulat nisi legis Scriptæ.

11. Rectè olim Sadducæi, Essæi, Samaritani rejecerunt, & hodierni Karræi rejiciunt legem Oralem.

12. Scripta Talmudica, quæ à Judæis vulgò pro lege Orali divinâ proferuntur, non sapiunt legem Divinam: sunt enim variæ Doctorum disputationes, & diversæ Doctorum sententiæ ibi recensentur: sed ita non solet lex Divina agere. *Vide suprà dissert.* 12.

3. R. De moribus circa mensam.

13. An bestiis primò cibus sit dandus, & quidem à fœminis antequam hominibus detur? Et an hoc benè probetur ex *Deut.* 11: 15. *Dabo herbam in agro pro jumentis tuis, ut & tu comedas?* Neg. Utr.

14. An domi pecus alere sit ita conducibile, ut aliquando illud loco hominis, cui syderum dispositio infortunium aliquod minatur, occidatur? Neg. An panis bucella cum cyatho vini manè sumpta medetur sexaginta tribus morbis, quibus fel infestatur? Et an virum, qui manè jentavit, sexaginta cursores assequi non possint? Neg. c. Jud.

15. Verba Rabbi Jose in Talmude dicentis; *Qui illotis manibus panem comedit, idem est ac si scorto accubaret*, sunt absurda. Et tres illæ historiæ, quæ pro necessitate lotionis manuum adferuntur sunt fabulæ. An paterfamilias teneatur ultimò se lavare? Non. An necesse sit manus suas attollere, quando quis ante cibum se lavat? Neg.

16. An necesse sit panem integrum cum sale mensæ imponere, in eoque magnam incisuram facere, eumque ambabus manibus, sive decem digitis tegere, & consecrare? Neg. An vinum, cerevisia, vel hydromel etiam debeant consecrari in communi convivio? Non. An propterea sal mensæ debeat imponi, quia mensa Altari & cibi Oblationibus comparantur? Non.

17. An illi qui ad mensam ministrat, aliqua particula de omnibus cibis mensæ necessariò sit porrigenda? Neg. An Angelus Nabal eos ad summam paupertatem redigat, qui micas panis in terrâ jacentes pedibus conculcant? Neg. An Talmud benè interdicat inter edendum nihil esse loquendum? Non. An liceat poculum epotum vacuum in mensâ reponere? Imò. An Elias epulis semper intersit? Et an singuli homines habeant peculiarem angelum, qui apud mensam perpetuo assidet, quando de verbo Dei loquuntur: Et si de rebus futilibus garriant; an in locum illius boni angeli succedat malus? Neg. c. Jud.

18. An

Digitized by Google

18. An ossa, aut spinae piscium non sint in terram projicienda, aut cultelli super dorso ponendi, ne angeli laedantur? Nugae. An si quis medullam ex ossibus in quadris excutiat, advocet impuros spiritus? N. An necessè sit inter esum carnium & piscium manus & os abluere, aut bibere? Non. An item alio cultro uti ad carnem, & alio ad bytyrum, caseum & reliqua lactaria? Neg. c. Jud. *Vide Synag. Buxt.* c. 11. & 12.

19. Rectius legitur Nochus quam Noachus.

20. An Jesus sit nomen origine Hebraicum? Aff. Et an benè scribatur per H? Neg. 4. 7. 140.

CAPUT XIII.

Sect 1. AN ante Mosen vocales Hebraicae fuerint notae, & consonantibus Hebraicis subinde adscriptae? Aff. *1. H. De Vocal. & Accent. V. T.*

2. Utrum vocales Veteris T. in Bibliis jam usitatae, sint ab ipsis sacris Scriptoribus; aut à Prophetâ Esrâ additae; An verò demùm circa sextum seculum post Christum à Masorethis Tyberiensibus, vel circa decimum à duobus Rabbinis Ben Ascher & Ben Napthali? Resp. Credimus vocales esse adscriptas consonantibus ab ipsis sacris Scriptoribus, vel ad minimum ab Esrâ; sed nullo modo putamus eas à Masorethis Tyber. vel à duobus illis Rabbinis esse additas. Idem affirmamus de Accentibus V. T.

3. Puncta Vocalium & Accentuum sunt necessaria ad textum Hebraeum benè legendum & explicandum.

4. Magis absurda est Capelli sententia circa vocales, quàm Eliae Levitae, Germani Judaei, qui fuit primus excogitator Masoretharum Tyberiensium.

5. Praestat Biblia Hebraica imprimere secundùm lectionem criticam Ben Ascheri, quàm Ben Napthali. *Vide dissert.* 13. *Philol. Hebraei.*

6. Multa impia & blasphema in Deum & Christum habentur in Talmude, scil. 1. Quod Deus, cum lunam, quae fuerat 21. annos aequalis soli, imminuisset, peccaverit, & dixerit; *Offerte oblationem propitiatoriam pro me*, &c. 2. Quod Deus Hevae sponsae capillos ornaverit, illi praecinuerit, & cum eâ in paradiso saltaverit; imo quod Deus Adamo & Hevae in nuptiarum celebratione ministraverit. 3. Quod Deus permiserit se damnari anathematis poenâ. &c. 4. Quod Christus natus fuerit ex adulterâ, quod Ipse fuerit magus, idololatra, quod ob scelera sua sit suspensus, quodque seductor populi fuerit. *2. M. De Talmude.*

7. An igitur blasphemiae, quae in Talmude Tract. Sanhedrin *cap.* 7. *fol.* 67. de Jesu quodam dicuntur, intelligantur, licet obnitantur recentiores Judaei, de nostro Salvatore? Aff.

8. Tal-

Digitized by Google

8. Talmud aliquando contra S. Scripturam determinat, & planè contradictoria asserit esse vera.

9. Etiam continet in se multas fabulas & nugas, imo pura puta mendacia, scil. 1. Quod Gabriel fundamenta jecerit urbis Romæ. 2. Sunt fabulæ quæ de Leviathane, tauro, ave bar Juchne, leóne in sylva Ela delitescente, & rana narrantur. Quantæ magnitudinis erat rana? Pagum æquabat, accessit serpens qui ranam absorpsit, & supervenit corvus, qui serpentem, cum ranâ simul devoravit, &c.

10. Ob quas causas tot fabulæ in Talmud, aliaque scripta Rabbinica irrepserint? 1. Quia Judæi omnia, in V.T. occurrentia, literaliter volunt explicare. 2. Quia nominum propriorum etymologias expiscantur, & ex iis tales qualitates illis adscribunt, quæ cum etymologiis conveniunt. 3. Quia nimium tribuunt Kabbalæ. 4. Quia res Veteris T. sunt res antiquæ, quibus aliquid ob antiquitatem sæpe solet addi: fama enim vires acquirit eundo. Sic mendacia sunt quæ de longitudine regis Og narrantur, &c. *Vide suprà dissert* 13.

3. C. De adventu Messiæ.

11. *Tertiò* ex Daniel. 9: 24. & seqq. probatur Messiam venisse, *Septimanæ septuaginta decisæ sunt*, &c. Quantum tempus denotatur per 70. Septimanas? Anni 490. Nam intelliguntur hebdomadæ annorum, quarum singulæ denotant 7. annos. Unde initium illarum septimanarum est desumendum? Ab exitu verbi de restituenda, & ædificanda Hierosolymâ, *versu* 25. h. e. ab anno secundo Darii Nothi regis Persarum, *Hagg.* 1: 1. Quæ fient intra LXX. Septimanas? 1. Expiabitur iniquitas. 2. Reædificabitur urbs sancta & templum. 3. Exscindetur Christus. 4. Abolebitur Sacrificium, &c.

12. An non *Dan.* 9: 26. per Christum, unctum, intelligitur *Cyrus*, ut Jarchi & Menasse volunt; vel *Nehemias*, ut Aben Ezra; vel *Jehoschua* sacerdos, ut Levi Ben Gersom; vel *Zorobabel*, ut Abarbenel; vel *Agrippa?* Non.

13. An non Daniel prædicat quid demùm futurum sit post LXX. septimanas? Non, sed quod fieri debebat inter LXX. septimanas. An non LXX. septimanæ sint supputandæ à destructione urbis Hierosolymitanæ? Non: nam dicitur, à tempore quo exivit verbum Dei de ædificandâ urbe, &c. Sed esto: ergo Messias tamen venit.

14. *Quartò* ex Malach. 3: 1. *Ecce ego mittam legatum meum, & statim veniet ad templum suum, &c.* Christus debuit venire ante templi secundi vastationem: nam ibi agitur de templo secundo.

15. An ille locus non sit intelligendus de templo aliquo tertio adhuc ædificando? N. An non היכלו explicandum sit per palatium suum? N.

16. *Quin-*

Digitized by Google

16. *Quintò* ex Michæ 5: 2. *Tu Bethlehem Ephrata, minima ut sis in millibus Jehudæ,* &c. Hic locus agit de Messiâ, vertente sic Targum יפוק משיחא *prodibit Messias.* Messias debuit nasci Bethlemæ, quæ diu destructa est.

17. An non Bethlema hîc ita extollatur, quia ibi natus est David? N. Vel an non nova aliqua urbs Bethleem adhuc sit ædificanda, ad quam respicit Micha? N. An Messias noster fuerit dominator in Israele, uti textus ait? Spiritualis, adducendo aliquot millia ad veram religionem.

18. Sunt varia etiam antiquissima diversorum Rabbinorum testimonia, quæ testantur Messiam venisse. Unum Eliæ cujusdam, antiquissimi Rabbini, sit instar omnium. In *Sanhedrin.* c. XI. dicitur; ששת אלפים וכו' *Sex mille annis durabit mundus. Bis mille annis inanitas & vastitas. Bis mille annis lex. Bis mille annis dies Messiæ.* Contra hanc prophetiam excipiunt frustra, quod tempus adventûs præterierit propter peccata; vel quod non dicatur, an debuerit venire Messias in principio tertiæ periodi, aut in fine. *Vide Hornbeek. c. Jud. l. 2.*

19. Nomen Mosis non est origine Ægyptiacum, sed Hebraicum. Quis vocavit eum משה *Mosen,* Mater ne, an filia Pharaonis? Mater, Exod. 2: 10. *Et vocavit,* (scil. Mater ejus Jochebed.) *nomen ejus Mosche, & dixit* (mater) *quia ex aquis extraxisti eum,* scil. tu filia Pharaonis. Nam משיתהו est secundæ personæ fœm. cum affixo masc. non vero primæ personæ: quia Jod deest post Thau. 4. 5.

20. Credimus mundum circa authumnum esse creatum. 160.

CAPUT XIV.

Sect. I. ARgumenta, quæ ducuntur. 1. Ab universali consensu omnium Judæorum pro Divinâ authentiâ vocalium (excepto unico Elia Levita) 2. A consensu omnium Judæorum in hodiernam punctationem. 3. Ex codice Hilleliano punctato. 4. Ex Masorâ & Masoretharum operâ, sunt firma ad probandum vocales V. T. non esse à Masorethis. *1. H. De vocal & accent. V. T.*

2. Absentia trium literarum Aleph, Vau & Jod in V. T. quæ vulgò matres lectionum vocantur, bene probat vocales statim ab ipsis sacris Scriptoribus fuisse adscriptas.

3. Dubium est an unquam tales Masorethæ Tyberienses in rerum naturâ fuerint; saltem historici eorum non faciunt mentionem.

4. Textus Hebræus in multis locis esset dubius, & instar nasi cerei, si diceremus vocales non esse authenticas. *Vide diss.* 14. *Phil. Hebræi.*

5. Ambitio Judæorum etiam est causa, quare tot fabulæ in Talmude, & alibi in Scriptis Judæorum occurrant: putant enim se magni æstimari, si aliquid novi, etiam falsi, excogitare possint. *2. M. De Talmude.*

Digitized by Google

6. Verum quidem est, quod multæ sint fabulæ in Talmude & scriptis Rabbinorum, sed revera non sunt tot, quot quidem vulgus putat. An non multæ fabulæ Judæorum, seposita profanatione Sacræ Scripturæ, possint excusari, & parabolicè, aliove modo explicari? Imo. Judæi habent suas parabolas, quibus res Theologicas, Philosophicas, aliasque exprimere solent. Eatenus tales fabulæ sunt similes fabulis Æsophi: nam utræque habent suas affabulationes.

7. An omnes, sive pleræque fabulæ Talmudicæ, & Rabbinicæ literaliter debeant explicari? Neg.

8. An Christus aliquoties allegans in N. T. parabolas, imitatus sit Judæos? Imo nonnunquam: nam nonnullæ parabolæ, à Christo allegatæ, ex Talmude sunt desumtæ. Quæ? 1. De divite epulone & paupere *Luc.* 16. ex Gemara Babyl. tractatu Beracoth. 2. De operariis in vinea *Matt.* 20. ex Gem. Hieros. ejusdem tractatûs. 3. De prudentibus & fatuis virginibus *Matt.* 25. ex Gem. Babyl. tract. Sabbath. *Vide eadem plenè descripta in Præfat. Joma Scheringamii.* Dices; Talmud demum 500. annis post Christum est conscriptum: Quomndo ergo potuit Christus inde parabolas desumere? Licèt demum tum fuerit conscriptum, tamen res contentæ in Talmude fuerunt antea notæ, & oraliter inter Judæos propagatæ.

9. An non fabulæ Talmudicæ à Judæis pro rebus gestis obtrudantur; quia narrantur cum circumstantiis temporis, loci, personarum, &c.? Non. Similiter Germani de doctore Fausto multas narrant circumstantias, &c. quum tamen à doctis pro fabulis habeantur, quæ de ipso narrantur.

10. Multæ fabulæ Talmudicæ possunt per *prosopopæias*, h. e. quando rebus inanimatis sensus tribuuntur, excusari. Sic colloquium Dei cum luna potest excusari. Talmud imitatur S. Scripturam: nam ea etiam rebus sensu carentibus adscribit sensum *Deut.* 32: 1. *Psal.* 148: 3, 4. &c.

11. An non injustè aliquando exsibilentur scripta Talmudica & Rabbinica ab indoctis, qui nunquam illa legerunt, vel fortè nunquam viderunt? Imo sæpe. *Vide suprà dissert.* 14.

3. R. De benedict. & moribus in mensa.

12. An Judæus teneatur speciales formulas gratiarum actionis recitare non tantùm pro speciali aliqua gratia & beneficio, sed etiam pro aliis rebus extraordinariis, aliisque, scil. 1. Si inter epulas generosius vinum infundatur. 2. Vel peculiares extraordinarii cibi porrigantur. 3. Si quis fructus arborum comedat. 4. Si quis comedat quod è terrâ provenit. 5. Vel caseum, butyrum pisces, carnem, lac, mel, &c. 6. Si quis oleat rosam, thus, cinnamomum &c. vel mala citrea, nuces moschatas. Vel balsamum, aut alia suaveolentia olea. Vel herbas grati odoris, vel si quis ingrediatur apothecam gratis odoribus spirantem? Neg.

13. 7. An

Digitized by Google

13. 7. An item, si videat hominem monstrosum. 8. Mutilatum. 9. Cœcum vel scabie malignâ affectum. 10. Arbores elegantes. 11. Templum idololatricum. 12. Imaginem idoli. 13. Locum ex quo extirpata est idololatria. 14. Qui videt Cometam, Meteora, aut Fulgura. 15. Vel, an qui videt hominem Christianum sapientem teneatur speciales benedictiones recitare? Neg. 15. Item si quis bona nova audiat. 16. Vel mala. 17. Si quis domum exstruat. 18. Nova vestimenta comparet. 19. Si balneum ingrediatur aut egrediatur. 20. Ante & post venæ sectionem? Neg. c. Jud.

14. An nulla omnino utilitas vel delectatio sit ex re ullâ percipienda sine præcedente aliquâ, & speciali gratiarum actione? Neg. An si quis sine præviâ benedictione utatur quibusdam ex rebus antecedentibus, possit dici *Deum deprædari?* Neg. An non in multis possent adhiberi tales gratiarum actiones, si ex pio & sincero animo provenirent? Imo.

15. An frustulum panis consecrati post absolutum prandium in mensâ sit relinquendum? Neg. Quare Judæi illud relinquunt? 1. Pro paupere si fortè adveniat. 2. Ut Dei benignitas celebretur, qui non tantùm ad satietatem, sed etiam ad superfluitatem panem largitus est. 3. Ut in eo benedictio quiescat.

16. An necesse sit cultros ante gratiarum actionem abscondere, tum quia *Deut.* 27: 5. de altari dicitur, cui mensa comparatur, *Non elevabis super eo ferrum*; tum quia cultri hominis vitam præcidunt, quam mensæ prolongant? Rationes sunt absurdæ.

17. An quisque possit pro se orare, si plures tribus assideant mensæ? Aff. An liceat post cibum recitare gratiarum actionem, antequam sal à mensâ removeatur? Imo Quare Judæi priùs removent sal? Quia olim Lothi uxor in salis statuam mutata est. An absolutè sit necessarium in illo loco gratiarum actiones recitare ubi cibus est captus? Non. An eorum corpora non sepeliantur, qui in eodem loco gratias non agunt; sed suspendio, aquis, igne, vel alio modo vitam finiant? Falsa.

18. An necesse sit convivium finire recitando gratiarum actionem super poculo vini? Neg. An illud poculum necessario debeat 1. elui interius? 2. ablui exterius? 3. an debeat esse poculum integrum? 4. plenum? 5. an vinum debeat esse merum, non mixtum aquâ? Nugæ. An illi, qui indulgent perpetuis conviviis & compotationibus, post triduum in sepulchro medii disrumpantur, adeo ut stercus, sordes & excrementa viscerum in faciem illorum defluant? Et an hoc benè probetur ex Mal. 2: 3. *Dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum?* Et an Diaboli postea accedant & dicant; *Comede quod tam longo congregâsti tempore?* Mendacia. *Vide Synag. Buxt. c. 12.*

4.7. 19. An Judæi olim combusserint cadavera? Et an idem ex exemplis Jabesitarum 1 *Sam.* 31: 12, 13. probari possit? Neg. utr.

280. 20. Utrum præstet secundùm consuetudinem Judæorum cadavera sepelire extra urbes in agris; an vero intra urbes in templis? A. pr. N. post.

CAPUT XV.

1. H. De Vocal. & Accent. V. T.

Sect. 1. ABen Ezra & David Kimchi non statuunt vocales Textui Sacro esse additas à Masorethis Tyberiensibus.

2. Etiamsi Pentateuchi, membranæ inscripti, & in Synagogis asservari soliti, destituantur vocalibus & accentibus; inde tamen non probatur illas & hos esse à Masorethis.

3. In antiquis Cabbalistis, & in Talmude fit mentio punctorum, & Cabbalistæ præcipuè recentiores mysteria elicuerunt ex vocalibus.

4. Posito, quod literæ primigeniæ fuerint Samaritanæ, quod tamen falsum est; inde tamen non sequitur vel literas antiquas Samaritanas fuisse destitutas vocalibus, vel vocales esse additas à Masorethis.

5. Ex Keri & Cethib., quod licèt ut plurimùm versetur circa consonas, non legitimè elicitur argumentum pro novitate vocalium & accentuum. *Vide dissert.* 15. *Philol. Hebræi.*

2. M. De Talmude.

6. An scripta Talmudica Christianis lectu sint utilia? Imo.

7. An non sint comburenda, sicuti mandârunt Papæ nonnulli, ut Gregorius IX. Innocentius IV. Julius III. & Paulus IV. qui posterior 12. *Talmudicorum* voluminum millia flammis addixit? Neg.

8. An Joh. Pfeffercornus Judæo-Christianus anno 1510. absurdè statuerit Scripta omnia Talmudica & Rabbinica à Judæis esse emenda, & comburenda? Et an non absurdè idem voluerit hoc Maximiliano Cæsari persuadere? Absurdissimè.

9. An liber Reuchlini (aliàs Joh. Capnionis) vocatus *Oculare speculum*, quo voluit contrarium probare, injustissimè à Parisiensibus sit damnatus, & à Coloniensibus damnatus & combustus? Aff.

10. An Galatinus in libro de *Arcanis Catholicæ veritatis*, benè Reuchlinum contra Hogostratum Inquisitorem; & per consequens contra Pfeffercornum, aliosque defenderit? Imo. Ex cujus petitione Galatinus illum librum scripsit? Ex petitione Cæsaris, & voluntate Papæ Leonis.

11. Talmud in nonnullis confirmat fidem Christianorum, & è contrà in multis fidem Judæorum infringit.

12. An Magistratus Christianus possit permittere impressionem Talmudis? Imo. Sed an talem debeat permittere qualis anno 1644. in magno quarto hic

Digitized by Google

to hic in Belgio edita est? Non. Nam in illa edit. continentur omnes blasphemiæ de Jesu, quas suprà *cap.* 13. ex parte recensuimus. Basileenses anno 1581. editionem Talmudis quidem concesserunt, sed omnes illas blasphemias ejecerunt. *Vide suprà diss.* 15.

13. Jesus Christus est verus ille Messias olim promissus in Veteri T. nam Ei conveniunt omnes prædictiones, quæ in V. T. de futuro Messiâ prædictæ fuerunt. (1.) *Gen.* 49: 10. Tempus adventûs in nostrum Messiam quadrat: nam omne Sceptrum fuit remotum à Judâ circa nativitatem Messiæ. Etiam eodem tempore futurus Messias communibus Judæorum votis exspectabatur: propterea nonnulli pro vero Messiâ, ut *Bar Cocheba*, *Pseudo-Moses*, *Syrus quidam*, *David el David*, & *R. Lemlem* diversis temporibus sese populo obtrudere voluerunt. (2.) Multi *adhærebunt ei*, uti ibidem Jacob prædixit; atqui hoc factum est: nam in omnibus ferè locis & regnis fuerunt Christiani. *3. C. De Christo Messiâ.*

14. (3.) Intra 70. Septimanas (h. e. 490 annos) venire debebat, quod ita etiam evenit. Etiam Sacrificia erant abolenda, *Dan.* 9: 27. (4.) Implevit Templum gloriâ suâ *Hag.* 2: 7. Et venit stante templo secundo, *Mal.* 3: 1. (5.) Bethlemæ natus est: atqui hoc *Michæ* 5: 2. erat prædictum. (6.) *Zach.* 13: 2. exscindenda erant nomina terriculorum è terrâ, etiam Prophetæ, &c. Hæc facta sunt; nam oracula cessârunt tempore adventûs Christi, uti historiæ testantur.

15. (7.) Christus ex familiâ Davidis descendit, *Jer.* 23: 5. (8.) Natus est ex עלמה *virgine*, Jes. 7: 14. quæ vox propriè sign. virginem incorruptam: habet enim nomen à עלם *latitare*. Quod Judæi conentur probare ex *Prov.* 30: 19. vocem עלמה etiam denotare virginem corruptam, aut apud Jesaiam, uxorem Jesaiæ sunt futilia (9.) Jes. 53: 2. *Non erat ei forma, neque decor, contemtus & abjectissimus virorum, doloribus affectus, &c.* Hæc impleta sunt in nostro Messiâ.

16. (10.) Jes. 9: 2. *Populus habitans in terrâ Zabulon, & Naphthali & Galileâ, ambulans in tenebris videbit lucem magnam.* Atqui hæc Christo conveniunt *Matth.* 4: 13. (11.) Messias haberet præcursorem *Jes.* 40: 3. *Mal.* 3: 1. Ille fuit Joh. Baptista, qui in virtute Eliæ venit. (12.) Futurus Messias miracula efficeret *Jes.* 35: 5.6. (13.) Zach. 9: 9. *Esset pauper & insideret asino.*

17. (14.) Messias debebat esse Propheta, *Deut.* 18: 15. *Joh.* 6: 14. Prophetæ docebant, & futura prædicebant. (15.) Sacerdos, Psal. 110:4. *Tu es Sacerdos*, &c. Sacerdotes offerebant, intercedebant, & benedicebant. (16.) Rex, *Psal.* 2: 6. & 45, 2, 4. Reges habebant regnum, subditos, eosque regebant, & contra hostes defendebant. Hæc etiam locum habent in nostro Messiâ.

Digitized by Google

18. An ex aliâ tribu licuerit uxorem ducere quàm ex suâ propriâ? Imo. Sed an licuerit etiam virginem ducere, quæ erat ἐπίκληρος? Non: nam est contra legem *Num.* 36: 6, 7, 8. datam. *Vide Hoornbeek c. Jud. l.* 3. *c.* 1.

4. *J.* 19. An uxor Lothi revera in salis statuam mutata sit? Imo. An eadem adhuc hodie superſit? Josephus eam suis oculis conspexit. Benjamin, qui mortuus est anno 1173 in Itineratio suo *p.* 44. ejus etiam meminit. Recentiores peregrinatores testantur, (puto verè) eam adhuc hodie superesse.

300. 20. An illa statua sit permansura usque ad mortuorum resurrectionem, uti vult Targ. Hierosl.? An iterum succrescat? Utr. est dubium.

CENTURIA QUARTA.

CAPUT XVI.

1. *H. De Vocal. & Accent. V. T.* *Sect.* 1. EX antiquis sacrorum Bibliorum Translationibus in genere, & ex Versione LXX. Interpretum in specie non benè probatur vocales temporibus illorum Interpretum non extitisse, vel eas demum esse additas à Masorethis Tyberiensibus.

2. Similiter idem non evincitur ex Paraphrasibus Chaldaicis: nam in illis non tantùm est disconvenientia à textu Hebræo respectu vocalium, sed etiam respectu consonarum, & respectu integrarum dictionum & sententiarum.

3. Credimus Hieronymum in versione suâ adornandâ usum fuisse Bibliis punctatis: & posito, quod iis non fuisset usus, inde tamen nemo certò eliceret; ergo temporibus Hieronymi non fuerunt Biblia punctata. *Vide dissert.* 16. *Philol. Hebræi.*

2. *M. De Comment. Rabbin.* 4. An quinque illi modi scribendi commentaria Biblica, qui ab Aben Ezrâ in præfat. Rhytmicâ, Bibliis Buxtorfii præfixa, proponuntur, sint omnes laudandi? Non, tantùm secundus & quintus.

5. An S. Scriptura magis secundùm antiquam Cabbalam sit explicanda, quàm secundùm novam, uti vult Aben Ezra? Non.

6. An Pentateuchus ideo incipit à litera ב quæ significat duo; *vel* quia sunt duo mundi; *vel* qui sunt duæ Leges, scripta scil. & oralis; *vel* quia Deus hominem duabus partibus, animâ scil. & corpore constantem creavit; *vel* quia Deus mundum creavit cum ברכה *benedictione*? Nugæ.

7. An in primo versu Genesios sint sex literæ Aleph, quia mundus durabit 6000. annos? Non. An item septem voces propter 7. dies hebdomadæ, vel propter 7. planetas? Non. An item 28. literæ propter 28. lunationes quæ mensem constituunt, vel propter 28. tempora quorum Ecclesiastes *cap.* 3. meminit? Non.

8. An

Digitized by Google

8. An Commentaria Rabbinorum Biblica habent aliquam utilitatem? Imo magnam.

9. S. Scriptura non poteſt ſine ſuppetiis Rabbinorum benè in alias linguas transferrî, nec explicari.

10. An Græci verba Gen. 2: 2. *Et abſolvit Deus die ſeptimo opus ſuum*, benè interpretentur per, *Et abſolvit Deus τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἕκτῃ die ſexto?* Non. *Vide ſuprà diſſert. 16.*

11. An Judæi tenentur mane preces matutinas, & poſt prandium horâ circitèr quintâ preces veſpertinas, ſubſtitutas in locum *ſacrificii quotidiani veſpertini*, & ſimul nocturnas publicè in Synagogâ recitare? Non. Quare Judæi preces nocturnas, quæ ab horâ nonâ nocturnâ recitari deberent, veſpertinis, factâ exiguâ temporis causâ, addunt? Commoditatis causâ. *3. R. De precib. veſp. lecto, &c.*

12. Quare Judæi veſperi precantes faciem operiant? Ut alter alterius confeſſionem audire non poſſit. An etiam in Templo faciem operuerint? Non: nam in Templo ſinguli quatuor cubitos ab invicem diſtabant, quando peccata coram Deo confitebantur. Quare tum etiam in ſiniſtrum latus ſeſe inclinent? Quia credunt Iſaacum, quum offerendus eſſet, in ſiniſtrum latus jacuiſſe.

13. Quomodo diſſidentes ante preces aliquando ſe mutuo ſoleant reconciliare? Qui ab adverſario jus obtinere non poteſt, it ad librum legis, eum claudit, & manu pulſans dicit: Ego occludo illum. Tunc omnes ceſſant à precibus, & aliquando precibus non peractis domum abeunt; imo ſi alter ſit implacabilis, per aliquot dies ſæpe precibus ſuperſedetur. An benè? Peſſimè.

14. An non ſit ſuperſtitioſum lectum verſus Meridiem & verſus Septentrionem collocare? Imo. An ille, qui ita dormiverit, numeroſam prolem ſit accepturus? Et an hoc ex *Pſal.* 17: 14. וצפונך תמלא בטנם benè probetur? Nugæ. Quare Judæi ſunt ſuperſtitioſi circa ſomnia? Propter exempla Jacobi, Joſephi, Pharaonis, Nebucadnezaris, & Danielis. An, ſi quis ſomniavit aliquid infauſti, propterea tenetur die ſequenti jejunare? Neg. An illud jejunium eſt neceſſarium, etiam Sabbatho, quo jejunia ſunt illicita? Neg. An ſomniator tenetur veſperi jejunio finito tres amicos ad ſe vocare, iiſque ſepties dicere; *Somnium bonum vidi?* Nugæ.

15. An certò probari poſſit quod Eſras decem res ordinaverit, ſcil. 1. Ut Sabbatho Lex legerétur. 2. Etiam diebus Lunæ & Jovis. 3. Ut iis diebus etiam jus dicatur. 4. Ut die Jovis omnia domi laventur, & verrantur. 5. Ut diebus Jovis viri allia comedant, &c? Non. Quare Judæi diebus Lunæ & Jovis partem ſectionis legant? Ne tres dies abſque lege præterirent, &c.

Quare

Digitized by Google

Quare illis diebus etiam extraordinariam precem והוא רחום precentur? Quia tres senes, projecti in ignem, & nullo modo ob efficaciam hujus precationis læsi, eam composuerunt: ideo mandatum est, ut ea in omnibus Synagogis illis diebus recitaretur.

16. Lectio Legis fit in Synagogis cum nimiâ pompâ. Non est necessarium singulas sectiones majores legi à septem viris, quorum primus est Sacerdos, secundus Levita, tertius Israelita, & sic porro. Non opus est Pentateuchos MSS. ob sanctitatem eorum, fasciis & palliolis involvere; nec tam diu in Synagogâ exspectare quamdiu liber Legis est apertus.

17. An necesse sit mulieres seorsim à viris in Synagogis sedere, & per clathratas fenestras Synagogam inspicere? Non. An hoc non benè probetur ex Zach. 12: 14. *Planget familia domûs David seorsum, & mulieres eorum seorsum?* Non.

18. An sit malum omen si gestator Legis MS. cadat? Non. An non omnes qui casum viderunt, teneantur per longum tempus jejunio eum expiare? Non. An sit superstitiosum Ligna tornata, quibus Pentateuchi MSS. alligantur, ad parturientes fœminas deferre, & illis aspicienda proponere, ut eæ onus uteri sui faciliùs deponant? Imo *Vide Synag. Buxt. c.* 13. *&* 14.

4. ?. 19. Quare uxor Lothi potiùs in statuam salis quàm in statuam alterius materiæ conversa sit? Judæi fabulantur hoc ideo factum esse, quod modicum salis Lotho ad hospites, in domum receptos, comiter lautiusque tractandos, exhibere noluerit. Sed auctor libri Sapientiæ c. 10. v. 7. benè ait; *Statua salis constituta animæ non credentis monimentum.*

120. 20. An Hebræi olim sub Veteri T. epulas funebres instituerint? A.

Caput XVII.

I. H. De orig. & antiq. ling. Hebr.

Sect. I. Optimè decreverunt aliquod nostri Belgii Synodi anno 1624 ex petitione Cl. Amamæ, ut nemo ad examen Theologiæ admitteretur, nisi egregiâ linguarum originalium scientiâ esset imbutus, & simul ejusdem scientiæ testimonium à Professore linguarum subsignatum ostenderet.

2. Cognitio linguæ Hebraicæ non est à naturâ; imo nulla lingua homini est naturalis. Hinc surdi à nativitate etiam solent esse muti.

3. Experimentum quod olim Phryges & Ægyptii de naturali linguâ sumserunt, scil. tradendo eum in finem duos infantes inter pecora educandos, est ridiculum.

4. Auctor linguæ Hebraicæ est Deus, qui eam (quoad Radices, ut mihi videtur) Adamo instillavit.

5. Lingua

Digitized by Google

5. Lingua Hebraica est omnium linguarum prima; quod videtur probari. 1. Ex ejus perfectione & simplicitate. 2. Ex nominibus Hebraicis primorum hominum, ut Adami, Hevæ, Kaini, Habelis, &c. 2. Quia in omnibus aliis linguis occurrunt voces Hebraicæ, quæ tanquam filiæ indicant matrem esse Hebræam. Ergo nec lingua Chaldaica, ut sentit Theodoretus; nec lingua Germanica, ut ridiculè statuit Joh. Goropius Becanus, est lingua primigenia. *Vide dissert.* 17. *Phil. Hebræi.*

6. An quis possit attrahere præputium, uti interdicitur 1 *Cor.* 7: 18.? Ex parte potest, sed non in totum. *2. M. De Comment. Rabb.*

7. An olim bene fecerint Judæi, quod reis pœnâ mortis afficiendis præbuerint potum amarum, quo mens alienaretur, ut pœnam minus sentirent? Pessimè. An Judæi propterea etiam nostro Salvatori talem potum amarum præbuerint *Matt.* 27: 34.? Imo. An benè Christus eum potum recusaverit? Imo,

8. An ex verbis *Matt*, 12: 32. *Non remittetur ei, neque in hoc, neque in futuro seculo*, benè probetur dari remissionem peccatorum post hanc vitam? Non. Quid ergo illa phrasis denotat? *Nunquam* remittetur.

9. Quales fuerint Jannes & Jambres, qui 2 *Tim.* 3: 8. Mosi dicuntur restitisse? Fuerunt duo præcipui Magi, qui Mosi, miracula coram Pharaone edenti, restiterunt. Paraphrastes eos vocat *Principes magorum.*

10. Quare Christus *Matt*, 19: 24. & *Marc.* 10: 23. in proverbio, *Facilius est camelo intrare foramen acus*, &c. usus fuerit *camelo*, cum Judæi semper in illo proverbio usi fuerint, & adhuc hodie utantur *Elephante*? Quia Camelus in Judæa notior fuit elephante.

11. Quinam sunt præcipui, celeberrimi & præstantissimi Rabbini, qui Hebraica commentaria in Vetus T. ediderunt? Schelomo Jarchi, Aben Ezra & David Kimchi. *Vide suprà dissert.* 17. *3. C. Obj contr. Christum Messiam.*

12. Messias promissus debuit esse Rex spiritualis, & non terrestris: nam cum adventu Messiæ sceptrum erat auferendum à Judâ, & Urbs destruenda, ubi aliàs fingitur futura sedes imperii Messiæ.

13. Objectiones, quæ vulgò à Judæis contra nostrum Messiam proferuntur, magnâ ex parte spiritualiter sunt intelligendæ, suntque sequentes. (1.) Jes. 2: 2, 3. *Erit ultimis temporibus*, &c. atque tum nondum videntur fuisse ultima tempora. (2.) Ex eodem versu, *Mons Moria erit elatus supra colles*, h. e. altior aliis montibus; atqui hoc nondum factum est. (3.) Adhuc inde; *Omnes gentes confluent ad illum montem:* atqui omnes & singulæ gentes eò nondum confluxerunt. (4.) Adhuc; *Ascendamus ad montem Domini*; atqui hoc omnes Christiani nondum dixerunt, vel fecerunt.

 14. 5. Jes.

Digitized by Google

14. (5.) Jes. 2: 4. *Tundent gladios in ligones, & hastas in falces; non attollet gens una in alteram gladium, neque discent amplius bellum.* Sed ubi temporibus nostri Messiæ illa facta sunt? Et ubi fuit tanta pax?

15. (6.) Jes. 11: 6, 7, 8. *Commorabitur lupus cum agno, & pardus cum hædo recubabit. Leo & bos comedent stramen. Lactens se oblectabit super foramen aspidis*, &c. Sed hæc nondum facta videntur.

16. (7.) Zach. 6: 12, 13. *Ædificabit templum Jehovæ*; atqui templum tertium nondum est ædificatum. (8.) Zach. 13: 2. *Die illo exscindam nomina terriculorum è terrâ & eorum prophetas, &c.* Sed nec hoc adhuc factum videtur.

17. (9.) Jerem. 23: 5, 6. *Quando Davidi excitabo germen justum*, h. e. Messiam, *salvabitur Jehuda, & Israël habitabit securè*; atqui illa non sunt facta temporibus Messiæ, (10.) Ezech. 38: 2, 14, 15, 22; 23. *Quando Messias advenerit tum expugnabit Gog & Magog*: sed hoc nondum factum est à nostro Messiâ.

18. (11.) Jes. 53: 10. *Messias videbit semen*; atqui noster Messias non habuit filios. (12.) Deut 30: 3, 4, 5. *Messias omnes Judæos dispersos per terrarum orbem colliget & congregabit*, quod nondum fecit. (13.) Mal. 4: 5. Elias nondum venit, qui ante Messiam debuit venire. *Vide Hoornbeek contra Jud.* l. 3. c. 2. & 5.

4. J. 19. Judæi propter occisum Messiam tam diu in exilio vixerunt.

340. 20. An Missa possit probari ex verbis *Gen.* 14: 18. הוציא לחם ויין. Neg. Nam הוציא nunquam significat *sacrificare*, nec *educere* aliquid ad sacrificandum, sed simpliciter *proferre*, *educere*, &c.

CAPUT XVIII.

1. H. De conf. linguar. *Sect.* 1. Lingua Hebræa ultra 1700. annos à creatione mundi fuit sola & unica lingua, quâ omnes incolæ totius mundi fuerunt usi.

2. Causa efficiens confusionis linguarum non est aër Borsippæ, neque natura, neque homines, neque angeli; sed Deus, & quidem solus.

3. Quando Deus dixit, Gen: 11: 7. *descendamus & confundamus*, non est colloquutus angelos vel homines; nec quando dixit Gen. 1: 26. *faciamus hominem*, angelos vel terram, uti vult Lipmannus; sed cæteras Divinitatis Personas.

4. An ex tali loquendi modo possit probari pluralitas Personarum in Essentiâ Divinâ? Aff. An non S. Scriptura aliquando, Magnatum more, sic in primâ personâ pluralis numeri de unicâ personâ loquatur? Nunq.

5. An non loca quatuor sequentia, quæ à Kimchio in Michlol. p. 9. proferuntur

Digitized by Google

feruntur, videantur hoc probare? Minimè. Videamus ea. (1.) Job. 18:2. 3. Bildat de seipso loquitur: *Quousque imponetis fines sermonibus? Instruetis, ut postea loquamur? Quare reputamur ut jumenta, sordemus in oculis vestris?* Resp. Bildat de se & aliis amicis Jobi loquitur. 2. Absalom 2 *Sam.* 16: 20. dixit Achitopheli: *Da consilium quid facturi simus.* Resp. Absalom de se cæterisque consiliariis & copiis suis loquitur. 3. Daniel *cap.* 2: 36. dicit Nebudcadnetzari: *Hoc est somnium illud, cujus interpretationem dicemus coram Rege.* Resp. Loquitur de se & sociis suis. 4. Cant. 1: 4. *Trahe me, post te curremus.* Resp. Loquitur Ecclesia de se & puellis suis, h. e. de omnibus fidelibus. Addantur adhuc duo loca ex R. Bechai in *Genes.* 1: 26. scil. (5.) *Gen.* 29: 27. Laban unicus dixit: *Et dabimus tibi etiam hanc.* Resp. Ego, uxor & amici. (6.) *Num.* 22. 6 Balak ait: *Fortassè prævalebo, percutiemus eum.* Resp. Ego & populus meus percutiemus eum.

6. Deus non videtur propriè in confusione novas linguas creâsse, sicuti in principio mundi unam creavit: sed confusionem videtur fecisse per vocalium & literarum radicalium permutationem, per transpositionem, per detractionem, & productionem syllabarum, aliisve modis.

7. Deus propterea non confudit linguas, quia architecti ædificantes turrim, voluerunt bellum Deo inferre; vel ut tuti essent contra diluvium aliud futurum; vel ut tuti essent ab incendio mundi: sed 1. Ut nomen sibi compararent. 2 Ne dispergerentur per terram.

8. An ergo architecti turris Babylonicæ, volentes comparare sibi nomen, & curantes ne dispergerentur, peccârint? Imo.

9. An illa confusio linguarum fuit pœna? Imo. An etiam creatio novarum linguarum in Apostolis? Non: sed in illis fuit extraordinarium donum. *Vide dissert.* 18. *Philol. Hebræi.*

10. Temporibus Prophetarum nullæ fuerunt sectæ inter Judæos, licèt fuerit idololatria. Quando igitur sectæ sunt ortæ? Sub templo secundo post excessum Prophetarum. *2. M. De Pharisæis.*

11. An Nasiræi constituerint sectam? Non. Quæ fuit igitur prima secta? Sadducæorum. Quot fuerunt sectæ? Tres; Sadducæorum, Pharisæorum & Hessæorum.

12. An פרושים *Pharisæi* nomen habeant à פרש *expandere*, quia dilatabant phylacteria? Non. An à פרש *exponere*, scil. legem, quasi dicerentur legis Interpretes? Non. An à פרש *separavit, sejunxit*, quia à communi hominum consuetudine sese separaverant? Imo: Nam in vestitu & vitæ sanctitate volebant ab aliis separari.

13. An secta Pharisæorum diu ante Christum fuerit nota? Ad minimum

Digitized by Google

mum 140. annis. Ex qua tribu fuerunt Pharisæi? Ex omnibus.

14. An secta Pharisæorum ab initio, ad bonum finem fuerit instituta? Imo. An fuerit etiam honorata? Imo, honoratissima, *Act.* 26: 5. *Phil.* 3: 5. Quare postea populo fuerint risui & ludibrio? Quia talia faciebant quæ erant digna risu. Qualia? Quidam non audebant attollere præ nimia humilitate pedes suos; alii oculos, ne virginem adspicerent, &c. An ergo postea à se invicem fuerint separati? Imo. In quot species? In septem diversas quasi species.

15. In multis est magna convenientia inter Pharisæos & hodiernos Monachos, scil. conveniunt nomine; distinguuntur utrique vestibus à plebe; jactant opera superegatoria; videntur esse humiles, &c.

16. An Pharisæi peccârint quod noluerint comedere nisi lotis *manibus*? A. An non licet lavare manus? Imo, sed lotio manuum non est æstimanda pro decentiâ religiosâ, ut Pharisæi fecerunt, sed pro civili.

17. An non multa dogmata Pharisæorum, ut Fatum, μετεμψύχωσις, lotiones, imaginaria sanctitas, dilatatio Phylacteriorum, productio fimbriarum, &c. sint absurda? Imo.

18. An Pharisæus *Luc.* 18: 12. ita decimas dans benè fecit? Non. An non decimæ fuerunt dandæ? Ita, sed non de menthâ, anetho, & cumino. An ergo fecit opus lege Divinâ non mandatum? Imo. An lex de dandis decimis in V. T. data, jam in specie sub N. T. etiam obliget? Non. *Vide suprà dissert.* 18.

4. J. 19. An Adam fuit verus Judæus? Aff. An item hodierni recutiti sive apellæ rectè vocantur Judæi? Neg.

360. 20. An in lingua Hebraica ex literis Vau & Jod cum Kametz, Tzere & Chirek in fine vocum propriè fiant diphthongi? Non,

CAPUT XIX.

1. *H. De confus. ling.* *Sect.* 1. IN quot linguas illa confusio Babylonica facta est? Hebræi ajunt in LXX. Græci in LXXII. Euphorus in LXXV. Pacianus in CXX. Alii nihil determinant; sed numerum linguarum incertum esse ajunt. Nemo novit certum numerum illarum linguarum; suntque tantum conjecturæ quæ vulgò proferuntur.

2. Judæi non merentur fidem, quando loquuntur de numero septuagenario: nam plura mysteria semper huic numero adscripserunt quàm ulli alii numero.

3. An turris fuit 70. gradus alta? An fuerunt 70. architecti? An 70. Angeli introduxerunt confusionem? An singuli viri τῦ Sanhedrin calluerunt 70. linguas? Falsa, sive incerta omnia.

4. Non

Digitized by Google

4. Non ſequitur, ſeptuaginta quinque animæ deſcenderunt in Ægyptum; ergo tot linguæ in confuſione ſunt natæ.

5. Veriſimile eſt ex confuſione natas eſſe linguas ſequentes, ſcil. Græcam, Germanicam, Ægyptiacam, Æthiopicam, Cananæam, Philiſtæam, Aramæam, & Chaldæam. Quare? Quia illæ linguæ nomina ſua retinuerunt à principibus familiarum, h. e. à nepotibus Noachi: ex. gr. lingua Græca vocatur לשון יון à Javan *Gen.* 10: 2. Quot linguarum fit mentio in S. Scripturâ? Viginti.

6. Confuſio linguarum videtur facta circa nativitatem Phalegi, h. e. anno 101. poſt diluvium; non verò circa ejus mediam ætatem, vel circa ejus mortem, h. e. anno 340. poſt diluvium.

7. An Judæi benè faciant, quod ſubinde mutent nomina ſua quando laborarunt morbis periculoſis, vel in ſignum pœnitentiæ? Eſt indifferens. An item benè quando cogitant per mutationem nominis decretum Dei facere irritum? Non.

8. An mundus ſpatio annorum centum & unius ita potuerit multiplicari, ut tot eſſent homines progeniti ab octo hominibus, quot in textu recenſentur? Imo.

9. An non plures homines fuerunt in arcâ Noachi quàm octo? Sic quibusdam videtur. Nos neg.

10. Utrum omnes homines ab initio tam longævi fuerint, uti *Gen.* 5. habetur; an verò tantum illi decem, qui ibi enumerantur? Illa longævitas videtur locum habuiſſe in pluribus quàm in illis decem. *Vide diſſert.* 19. *Philol. Hebr.*

11. Benè ſcribitur Sadducæi & Saducæi. An Sadducæi nomen acceperint à צדק *juſtitia?* Non: nam fuerunt pravis moribus induti. Unde igitur? A Sadok, Antigoni diſcipulo. 2. *M. De Sadducæis.*

12. Quæ fuit origo ſectæ Sadducæorum? perverſa interpretatio verborum Antigonii Sochæi, dicentis; *Ne eſtote ſicut ſervi, qui ſerviunt Domino propter mercedem, ut nempe accipiant mercedem, &c.* Hinc Zadocus & Baithoſus perverſam fecerunt ſequelam.

13. Quare hi non æquè vocati ſunt Baithoſæi à Baithoſo quàm Sadducæi à Sadoco, quum uterque fuerit origo diſſenſionis? Quia Baithoſus creditur fuiſſe ſpurius.

14. Sadducæi negârunt, 1. Reſurrectionem mortuorum, quam hodierni Judæi ex parte concedunt. 2. Angelos & Spiritus. 3. Providentiam Dei. 4. Spiritum S. 5. Rejecerunt Traditiones legis oralis.

15. An Sadducæi pro Verbo Dei præter Legem Moſis etiam agnoverint

Digitized by Google

rint libros propheticos? Multi negant: quia Christus probaturus resurrectionem *Matt.* 22. tantùm usus est argumento ex Lege Mosis desumto. Drusius, quia videt contrarias Doctorum opiniones, non sine causâ putat Sadducæos, qui in Judæâ habitârunt, recepisse etiam cæteros libros; non verò qui in Samaria vixerunt. *Vide suprà diss.* 9.

3. C. De Doctr. Christi & vocat. Gentium. 16. Novum T. est æquè scriptum divinum, uti Vetus T. nam materia ejus est divina, finis est ad Deum tendens, origo ejus est à Deo, & variis miraculis ejus doctrina fuit confirmata. Et objectio, quæ vulgò à Judæis contra Novum T. afferri solet, scil. quod videantur quædam esse contradictoria, etiam contra Vetus T. opponi potest.

17. In V. T. *Jes.* 2: 2, 3, 17, 18, 19, 20. *Jer.* 16: 19. & alibi prædictum fuit Gentiles tempore adventûs Messiæ esse *convertendos*. Illa conversio facta est sub N. T. Præterea prædictum fuit Judæos esse *repudiaturos* Messiam, eique non *credituros*; Jes. 8: 14, & 53: 1. Psal. 118: 22. *Lapis, quem ædificantes repudiârunt*; etiam Eum *occisuros*, Zach. 12: 10. *Videbunt me quem transfixerunt*; denique prædictum fuit ipsos Judæos esse *rejiciendos* à Deo, *Jes.* 2: 6. *Hos.* 1: 8, 9. & alibi.

18. Causa diuturni exilii Judaici in specie non sunt crimina majorum (nisi inter crimina intelligas crucifixionem veri Messiæ,) vel tenuitas meritorum, vel amor fœminarum & divitiarum, vel perjurium, vel superba ambitio, quæ omnia in שבט יהודה *Schebbet Jehuda* inter causas exilii numerantur. Ibidem statuunt Judæi cædem Jesu Nasareni esse causam exilii, non quod fateantur se malè egisse; sed quia putant se propterea odium Christianorum in se excitâsse. *Vide Hoornbeek c. Jud. l.* 3. *c.* 3 & 4.

4. T. 19. An ex libro Jonæ probari possit, quod ipse priùs absorptus fuerit à pisce masculo, & postea evomitus, ac tandem à fœmellâ plenâ fœtibus iterum absorptus? Neg.

180. 20. An verum sit, quod vulgò fertur, Muhamedem ferreâ conditum arcâ, & à magnete sursum sublatum pendere in aëre? Neg.

CAPUT XX.

1. H. De Conserv. & Propagat. ling. Hebr. *Sect.* 1. Lingua Hebræa tempore confusionis mansit in sua puritate.

2. Ea tum non est conservata in pluribus populis & familiis, sed in unicâ familia Heberi, qui descendit ex Schemo.

3. Judæi falsò defendunt Schemum fuisse Melchisedecum.

4. Lingua Hebræa fuit propagata ab Hebero usque ad Abrahamum in Mesopotamiâ. Abrahamus vocatus ex Mesopotamiâ secum apportavit hanc linguam in Canaan. Jacobus cum suis in Ægyptum eam detulit, Posteri

Digitized by Google

ſteri ex Ægypto in deſertum, inde iterum in Canaan, atque ibi uſque ad capt. Babyl. omnes loquuti fuerunt Hebraicè, uti apparet ex nominibus Hebraicis virorum, locorum, &c. & ex 2. *Reg.* 18: 26.

5. In locum linguæ Hebraicæ ſucceſſit lingua Chaldaica, quam captivi Judæi in Babyloniâ didicerunt.

6. Lingua Hebræa jam nullibi in toto mundo eſt vernacula, & aliquod ſeculis ante Chriſtum deſiit eſſe vernacula.

7. Veriſimile eſt nos in futuro ſeculo eſſe loquuturos, & quidem Hebraicè. *Vide diſſert.* 20: *Phil. Hebræi.*

8. Tertia ſecta, nata diu ante Chriſtum, eſt Heſſæorum. Unde illud nomen חשאי *Heſſæi* deſcendit? 1. Non ab אסא *ſanare*, quaſi medici fuiſſent 2. Nec à עשה facere, quaſi bonis operibus præ cæteris ſtuduiſſent. 3. Nec. à חזה *videre*, *ſpeculari*, quaſi vitam ſpeculativam vixiſſent. Sed 4, à חשה *ſilere*, vel חסה *latitare*, quia ſeparatim & ſeorſim à ſtrepitu hominum vivebant. 2. *M. De Heſſæis.*

9. Quare Heſſæorum in N. T. non æquè fiat mentio quàm Phariſæorum & Sadducæorum? Heſſæi non ita verſabantur inter homines ac Sadducæi, ſed habitabant in locis ſolitariis; etiam quietè vivebant, & ſe aliis non ita opponebant.

10. Unde Heſſæi primùm orti ſint? Afflictis Macchabæorum temporibus multi ſe in ſpeluncis abdiderunt; ſed rebus in melius vergentibus quidam ad priſtinas ſedes redierunt; alii verò in locis ſolitariis perſeverârunt, qui à latitando vocati ſunt Heſſæi.

11. An Heſſæi habuerint omnia bona communia? A. Qualibus veſtibus fuerint induti? Albis. An etiam veſtibus & calceis mutatoriis? Non.

12. An Heſſæi non duxerint uxores niſi earum valetudinem per triennium exploráſſent, uti referunt hiſtorici? Imo.

13. An Heſſæi ipſo Sabbatho non exonerârint alvos ſuas, uti Joſephus ait? Rariſſimè, niſi ſummâ urgente neceſſitate. An igitur alvum exonerans profanat Sabbathum? Non. Sed Heſſæi ſolebant fodere foveas, in quibus exonerabant ventrem, & opere abſoluto iterum implebant foveas. Atqui illa opera videbantur illis illicita. Sed cum neceſſitas exonerandi alvum non agnoſcat Sabbathum, paulo ante Sabbathum, & ipſo Sabbatho uſi fuerunt cibo tenui.

14. An Heſſæi biberint vinum? Non, ſed aquam. An non dogmatum Heſſæorum in N. T. fiat aliqua mentio? Aff. ex. gr. 1 *Tim.* 5: 23. Paulus dat conſilium de non amplius bibendâ aquâ. *Vide ſupra diſſ.* 20.

15. An die præcedente Sabbathum liceat longius iter ſuſcipere quàm 3. *R. De*

trium

Præpar. ad Sabbath. trium milliarum? Aff. An, si alicui vel centum ancillarum aut servorum millia suppeterent, ipse tamen in honorem Sabbathi aliquid laborare deberet, scil, vel domum everrere, vel ligna findere, vel ignem accendere? Neg. An mensa per totum Sabbathum debeat manere strata? Neg. An tali mensæ debeant imponi duo panes, qui mantali sunt tegendi in memoriam Mannæ, quod duplum die Veneris fuit collectum, *Exod.* 16: 22. Neg. An diebus Veneris ungues, priùs manûs sinistræ, & deinde ungues manûs dextræ sint resecandi? Neg. An qui unguium præsegmina pedibus subjiciat sit dicendus impius? Neg.

16. An, cultros ante Sabbathum esse acuendos, benè probetur ex *Exod.* 16: 5. והכינו את? Neg. An Judæi teneantur habere peculiares vestes, quas tantùm Sabbatho, & non aliis diebus induere debent? Neg. An Heva Adamum fustibus adegerit ad edendum de fructu arboris. Neg. An Heva sit causa diminutæ lucis solaris? Neg. An qui multas luces Sabbathinas accendit, accepturus sit filios eruditos & pios? Neg.

17. An Sabbathum paulo citius sit inchoandum, & serius finiendum, quàm Deus præcepit? Et an animæ statim, quando Judæi Sabbathum inchoârunt, in obvias aquas refrigerii ergo sese projiciant, & finito Sabbatho ad purgatorium sese conferant? Neg. An singuli homines in Sabbatho à duobus Angelis, bono & malo, è Synagogâ domum deducantur? Neg. An in honorem Sabbathi debeat consecrari panis, sive vinum in Synagogâ, aut in ædibus? Neg.

18. An, si homo per hebdomadam grandioribus incedat gressibus, quingentesimam partem visûs oculorum amittat? Et an illam amissam partem recuperet per Sabbathinorum lucernarum intuitum in consecratione vini? Neg. Sabbathum esse celebrandum edendo & bibendo malè probatur à Judæis in Talmude tribus exemplis, sive falsis & ridiculis historiis. An qui concepti sunt nocte ante Sabbathum plurimùm adolescant in præclaram indolem, & in Sapientum discipulos evadant? Nugæ. An homines teneantur adventante Sabbatho in mediis agris, vel in mediâ silvâ subsistere, & omni furum & latronum periculo exponi, cibi & potus penuriâ postpositâ? Neg. Et an hoc benè probetur ex felici eventu trium Judæorum? Neg. *Vide Synag. Buxt. c.* 15.

4. J. 19. ירושלים *Jeruschalem* derivatur à ירו שלם *timete Salem.* An ergo Jeruschalem olim vocata est Salem? Imo. Quinam urbem Salem postea vocârint Jeruschalem? Ipsi incolæ videntur eam ita nominâsse, quasi adventantibus voluissent terrorem incutere, dicendo; *timete Salem.*

400. 20. Unde derivatur ישראל Israel? Non ex איש ראה אל *Vir vidit Deum,* vel

Digitized by Google

vel ex ישר אל, sed ex שר & אל *princeps Dei*. Quare ab initio addatur Jod? Jod solet formare nomina propria, ut Jacob, Isaack, Iismael, &c.

CENTURIA QUINTA.

CAPUT XXI.

Sect. 1. LIngua prima vocatur *Hebraea*. Unde derivatur Hebraeus? 1. Non ab Abram, etiamsi primus vocetur Hebraeus, *Gen.* 14:13. (2.) Non à עָבַר *transivit*, sive à transitu fluvii Euphratis, Jordanis, vel Tigris. 3. Non à עֵבֶר *trans*, quasi à terrâ trans fluvium sitâ nomen accepisset. 4. Sed à עֵבֶר *Hebero*, filio Schemi, *Gen.* 10: 21.

1. H. De Appel. ling. primae.

2. Nomen Hebraei etiam transiit in nomen professionis: & propterea omnes posteri Abrahami non sunt vocati Hebraei; sed tantùm illi, qui doctrinam, pietatem & religionem Heberi retinuerunt.

3. Lingua prima etiam vocatur *Judaea*, quae vox demum innotuit post transportationem decem tribuum in Assyriam, factam per Salmanesarem. Tum Tribus Judae primùm, postea etiam Tribus Benjamin Judaei nomine fuit insignita.

4. Nomen Judaei praeter generationem naturalem etiam denotat professionem religionis Judaicae.

5. Lingua Hebraea vocatur *Cananaea*, quia Judaei Canaan inhabitârunt.

6. Vocatur etiam *Sancta*, quia materia Veteris T. conscripta hâc linguâ, est Sancta. An non eatenus Graeca Lingua etiam posset vocari sancta? Imo. Quando haec lingua vocata est Sancta? Verosimile est hoc factum esse in captiv. Babyl. vel paulo post, ut ea à Chaldaeâ distingueretur. *Vide diss.* 21. *Philol. Hebraei.*

7. Proselytus, Graecè dictus προσήλυτος vel ἔγγραπτος *inscriptus*, Hebraicè גֵּר *peregrinus*, fuit olim in Terrâ Sanctâ triplex, scil. *Proselytus Justitiae*, *Inquilinus*, *& Mercenarius*, Exod. 12: 44, 45.

2. M. De Proselytis.

8. Proselytus justitiae tribus caeremoniis, scil. circumcisione, baptismo & sacrificio in numerum Judaeorum recipiebatur. An Judaei facilè receperint proselytos? difficillimè. An proselyti adhuc hodie sacrificia offerant? Non: nam sub N. T. sacrificia cessârunt. An Sanhedrin temporibus Davidis & Salomonis receperit proselytos? Non. An Synedrium minus? Imo. Proselyti justitiae gaudebant jure civitatis, edebant etiam agnum Paschalem, sacrificia pacifica & expiatoria offerebant, & semisiclum solvebant.

9. An Judaei extra Terram Sanctam proselytos inquilinos aut mercenarios receperint? Non. An licitum fuerit proselytis inquilinis habitare Hiero-

 soly-

Digitized by Google

ſolymis? Non. Sub quibus conditionibus proſelytis inquilinis fuerit data licentia habitandi inter cæteros Judæos? 1. Vel ut ſibi caverent ab idololatria gentilium. 2. Vel ut ſeptem præcepta Noachi obſervarent. An ſex priora ſint tradita Adamo, & ſeptimum Noacho? Neſcimus. An qui illa neſciret, impunè in caſtris occidi potuerit? Sic putat Cunæus in Republ. Jud. ſed dubito. An proſelyti in V. T. meritò Judæis fuerint ſuſpecti? Imo.

10. Quæ eſt differentia inter ἑλληνιςὰς, *Græciſtas*, *Act.* 6: 1. & ἕλληνες *Græcos?* Græciſtæ fuerunt Judæi, qui habitaverant in Græciâ, & qui Græcâ Linguâ, ac Græcâ Bibliorum verſione utebantur; ſed Græci erant pagani. *Vide ſuprà diſſert.* 21.

3. C. De Creat. Angel. & Homin.

11. An Deus ante Mundum conditum ſeptem creaverit, ſcil. legem, gehennam, paradyſum, thronum gloriæ, ſanctuarium, reſipiſcentiam, & nomen Meſſiæ, *uti vult. R. Eliezer cap.* 3.? Neg. An ante hunc Mundum fuerit adhuc alius Mundus, uti probant Cabbaliſtæ ex primâ literâ ב, *Gen.* 1: 1.? Neg.

12. An dentur in Deo decem אצילות *emanationes*, ſive attributa, quæ nec idem ſunt cum Deo, nec diverſæ creaturæ à Deo, ſed emanationes ad inſtar radiorum ſolarium à Deo diſtinctæ? Non. Quæ ſunt illæ? *Corona, ſcientia, prudentia, magnificentia, fortitudo, pulchritudo, victoria, decor, fundamentum & regnum.* Hæ falſò ſtatuuntur fundamenta totius Kabbalæ.

13. An ſint trium generum Angeli; *Primi* à materia longiſſimè ſeparati, ſcil. quatuor ſeqq. Michaël, Gabriël, Raphaël & Uriël, qui dicuntur circumſiſtere thronum Dei. *Secundi* Angeli miniſterii, qui regunt mundum, quique aliquando viſibiles aſſumunt ſpecies, & ſunt boni, *Tertii* dæmones, diaboli, qui veſcuntur cibis, quique generant, moriuntur, & qui alis præditi ſunt, quorum quidam ſunt aſtuti & callidi, alii vero ſtolidi & fatui? Neg.

14. An Angeli boni ſint diſtribuendi in 10. ordines, differentes gradibus dignitatis, cognitionis & poteſtatis, ſcil. 1. In Animalia Sanctitatis. 2. Ophannim. 3. Oralim. 4. Chaſmalim. 5. Seraphim. 6. Angelos. 7. Deos. 8. Dei Filios. 9. Cherubim, & 10. Iſchim? Neg.

15. An Dæmones ſint creati dæmones, & quidem ſecundo die? Neg. An ſint corporei, compoſiti ex aëre & igne? Neg. c. Jud.

16. An Cœlum, omniaque aſtra ſint prædita anima rationali, juſta & ſancta, qua & cognoſcunt ſeipſa, Deum, & alia? Neg. An eâdem animâ laudent, & adorent Deum? Et an hæc benè ex *Pſal.* 19: 1. *Neh.* 9: 6. & *Jobi* 38: 7. aut ex Cœli & aſtrorum motu probentur? Neg. c. Jud.

17. An omnes animæ hominum ſimul & ſemel primo die creationis ſint

Digitized by Google

sint creatæ; & quidem pares sive conjuges? Neg. An hæc benè probentur ex *Deut.* 29: 4. *Jes.* 57: 16. *Jerem.* 1: 6. *Eccles.* 4: 2. & ex *Job* 38: 21? Neg.

18. Utrum Adamus & Heva ab initio sint creati bicorpores, an verò concorpores; adeo ut ab antè Adamus, & à tergo Heva fuerit? Aff. pr. N. poster. Nec illud probari potest ex *Psal.* 139: 5. aut ex ratione. *Vide Hoornbeek. c. Jud. l.* 4. *c.* 1.

19. Quo die Deus Angelos creaverit non adeo certò determinari potest, 4. J.
attamen eos primo die creatos esse putamus.

20. Exemplum Samsonis non excusat nautas, injicientes ignem in pul- 420.
verem pyreum, & semet cum navi perdentes, quo minus sint αὐτοφόνοι.

CAPUT XXII.

Sect. 1. LAudabilis est Masoretharum opera, quam adhibuerunt circa totum Vetus T. in genere, & in specie circa hæc octo sequentia. 1. Circa Consonantes. 2. Circa Vocales. 3. Circa Accentus. 4. Circa integras voces. 5. Circa versus. 6. Circa octodecim voces, quæ vulgo vocantur תקון סופרים *Ordinatio Scribarum.* 7. Circa quinque voces, quæ vocantur עטור סופרים. *Ablatio Scribarum*, & 8. Circa Keri & Cethib. *1. H. De Masorâ.*

2. Utrum quindecim voces, in V. T. occurrentes, supernè punctatæ sint ab ipsis auctoribus librorum; an vero à quibusdam curiosis Judæis? Posterius videtur affirm. An illa puncta possent omitti illæsâ S. Scripturâ? Possent. An etiam propter venerandam antiquitatem possent retineri? Imo. Exemplum vide *Deut.* 29: 29.

3. An opus sit in medio 27. versuum spatium aliquod vacuum relinquere, uti Judæi ferè in Editionibus Bibl. observant? Non. An illa spatia olim ita vacua sint relicta ab ipsis auctoribus librorum? Non videtur. Exemplum vide *Gen.* 35: 21.

4. Ex 18. vocibus, quæ vulgo תקון סופרים *correctio* vel *ordinatio Scribarum* vocantur, non benè probatur à Galatino l. 1. c. 8. Textum Hebræum in illis locis esse corruptum. Idem etiam nequit probari ex 5. vocibus, destitutis ab initio literâ Vau, quæ vulgò vocantur עטור סופרים *ablatio Scribarum.* Vide *diss.* 22. *Philol. Hebræi.*

5. An נצר *Nasiræus* sit idem qui נצרת *Nazarenus*, Matt. 2: 23? Multùm differunt respectu scriptionis & significationis. *2. M. De Nasir. & Rechab.*

6. An, quia Christus Nazarenus vocatur, benè probetur eum fuisse Nasiræum? N. An Christus fuerit Nasiræus, qualis *Numer.* 6. describitur? N.

7. An Christus comam aluerit? Vulgò Christus cum comâ depingitur, sed an comam aluerit incertum est. An si Christus fuisset Nasiræus, & co-

Digitized by Google

mam aluisset, inde probari posset jam licere viris fœmineam comam alere? Non.

8. A quibus Nasiræi se abstinebant? 1. A vino, omnique potu inebriante, &c. 2. Non abscindebant capillos capitis. 3. Ad cadaver mortui non accedebant, ne polluerentur, *Numer.* 6. An Nasiræi etiam peculiari vestitu fuerunt induti? Imo. Quali? Vestitu hirsuto & piloso *Matt.* 3 : 4. 2.*Reg.* 1 : 8. *Zach.* 13 : 4.

9. Quotuplices fuerunt Nasiræi? Duplices, *nativi* vel *votivi*. *Nativi* ab utero destinabantur, ut Sampson *Judic.* 13 : 5. Joh. Baptista *Luc.* 1 : 15. *Votivi* describuntur *Num.* 6. Hi seipsos separabant. Hic Nasiræatus erat vel temporalis, scil. 30. dierum, vel toto vitæ tempore durabat.

20. An Josephus, qui *Gen.* 49 : 26. dicitur *Nasiræus inter fratres suos*, fuerit revera Nasiræus? Non. Quare igitur vocatur talis? An quia in carcere comam aluerit? Non. Sed quia separatus fuit à fratribus respectu sanctitatis, dignitatis & potestatis, h. e. supra fratres suos in illis longè eminuit.

11. An ex Nasiræatu benè probetur Monachatus pontificius? Non.

12. An Rechabitæ, *Jerem.* 35. constituerint peculiarem sectam? Non. Quare sic vocantur? Quia fuerunt בני רכב *filii Rechab.* An fuerint judæi? Non, sed gentiles. Qualia præcepta Jonadab, primus institutor hujus modi vivendi, posteris suis mandavit? 1. Ne vinum biberent. 2. Ne agros colerent. 3. Ne seminarent vel vineas plantarent. 4. Ne domos ædificarent. Quo tempore hæc præcepta sunt mandata? Historiæ tacent. *Vide supra diss.* 22.

3. R. De Sabbath. 13. An preces in Sabbatho à Judæis recitari pro defunctis solitæ: prosint? Neg. An item Eleemosynæ? Neg. An si quis in Sabbatho ob malum somnium jejunet, accipiat indulgentiam 70 annorum? Neg. An si quis circa finem Sabbathi aquam hauriat, refrigerium animabus adimat? Neg. An illi ære alieno citò liberentur, qui in exitu Sabbathi mappam è mensa celeriter subducunt? Neg.

14. An aqua exeunte Sabbatho hausta sit remedium contra multos morbos? Neg. An ille, qui poculo vini non separat Sabbathum à profano, nullum visurus sit signum benedictionis? Nugæ. An vinum, quo separatio facta est, sit antidotum contra multa mala? Neg. An Judæi in Sabbatho accipiant novam aliquam animam, quæ finito Sabbatho iterum exit? Neg. An Judæi propterea, vel quia portæ inferni tum aperiuntur, indigeant aromatibus ne deliquium animi paterentur? Neg.

15. An Judæi teneantur in consecratione vini ungues manuum inspicere,

Digitized by Google

cere, vel aliquid de vino consecrato in terram effundere? Neg. An cæco in Sabbatho sit prohibitum exire cum baculo? Neg. An licitum sit crumenam plenam pecuniâ, & amissam tollere? Aff. An prohibitum sit in Sabbatho fores ferreo malleolo pulsare? Neg. An Judæi non nimium abutantur in Sabbatho Christianorum opera? Imo.

16. Hæ quatuor sequentes commixtiones sunt nugatoriæ. 1. Est *Commixtio Terminorum*, per quam licet iter Sabbathi per 2000. passus prolongare præter 4. cubitos & 2000. passus iter Sabbathi constituentes. Quomodo fit hæc commixtio? Pridie Sabbathi aliquis ad terminum 2000. cubitorum defert panem vel alium cibum, & ad locum illum in Sabbatho se confert, & comedit; indeque adhuc alios 2000. passus progreditur. 2 Est *Commixtio atriorum*, per quam licet aliquid ex uno conclavi in aliud, vel ex una domo in aliam, quæ communi muro cinctæ sunt, portare. Quomodo hæc commixtio fit? Vespera Paschatis quilibet Paterfamilias confert paululum farinæ, ex qua commixta faciunt unum panem. Hunc panem deferunt in Synagogam, & eô allatum primarius Synagogæ Rabbinus eum in manus sumit, & ita consecrat; *Hoc commixto pane licitum esto nobis efferre de domo in atrium, ex atrio in domum*, &c. Quandiu hic panis sartus & incorruptus videtur, tam diu durat ejus vis, vel licentia portandi vas ex una domo in aliam, &c.

17. 3. *Commixtio platearum* est, per quam licet cibum portare ex una domo in quamcumque ejusdem plateæ, in quâ etiam Christiani habitant. Quomodo hæc licentia acquiritur? Colligunt ab unoquoque particulam aliquam cibi, ad magnitudinem fici: illæ particulæ in uno vase repositæ, collocantur in quandam illius plateæ domum. Super communi cibo sequens benedictio recitatur; *Hâc communione erit licitum omnibus in hâc plateâ habitantibus efferre & inferre ex ædibus in plateam, & ex plateâ in ædes Sabbatho.* 4. *Commixtio eduliorum* sive ciborum coctorum est, per quam licet die festo, si incidat in diem Veneris, coquere cibum pro Sabbatho. Quomodo hæc fit? Quilibet Paterfamilias sumit integrum panem, & frustum carnis, vel etiam piscem & ovum, eaque tradit suæ uxori, vel filio majorenni, vel alii cuipiam in manum, & dicit; *Volo ut hic panis, & hæc caro, serviat non solum nobis, sed in iis partem quoque habeant omnes cæteri Judæi in hâc urbe habitantes, ut per ea liceat & nobis & ipsis assare, elixare, &c. in die festo, ea quæ pro Sabbatho sunt necessaria*, &c.

18. An Judæi iter Sabbathi duplicent propter leves aliquas causas? Non: sed tum, si quis velit ire in domum luctûs; vel ad convivium nuptiale; vel ad visitandum præceptorem suum, aut amicum ex longinquo itinere rever-

Digitized by Google

sum; vel metûs causâ, vel si majoris lætitiæ causâ velit in suos hortos vel prata exspatiari, &c. *Vide Synag. Buxt. c.* 16.

4. 8. 19. An antediluviani seriùs pervenerint ad pubertatem quàm postdiluviani? Imo. An Abrahamus recipiens Hagaram ad se peccaverit? Imo.

440. 20. An iris fuerit ante diluvium? Imo.

CAPUT XXIII.

1. H. De Keri & Cethib. *Sect.* 1. NOtarum marginalium, quæ vulgò *Keri & Cethib* vocantur, auctores sunt Ezras, Masorethæ, aliique.

2. Omnes illæ notæ possunt commodè ad septem species referri.

3. An vocales Hebraicæ solitariæ, sine consonantibus in V. T. scriptæ, uti fit in decem locis; & è contrà, an consonantes sine vocalibus in V. T. ita sint exaratæ ab ipsis auctoribus librorum? Aff. Exempla vide *Ruth.* 3: 5. & *Jerem.* 51: 3.

4. Voces. Veteris T. quæ vulgo obscœnæ vocantur, possunt legi & pronunciari. An possunt suis subscriptis vocalibus legi? Possunt, licèt difficulter, & contra regulas Grammaticæ.

5. An verosimile sit Judæos unquam voces genuinas ex textu extrusisse ad marginem, & alias voces peregrinas in textum intrusisse? Nullo modo. *Vide dissert.* 23. *Philol. Hebræt.*

2. M. De Scribis & Herod. 6. Vox Scribæ multifariam sumitur. Politicè Scribæ denotant vel præceptores puerorum, vel notarios, vel secretarios Magistratuum & Regum; Ecclesiasticè vero significant criticos sacros, aut Prophetas aut Professores publicos.

7. Scribæ videntur fuisse occupati in theoriâ legis explicandâ, ut Professores; & νομικοὶ *legisperiti*, Luc. 11, 46. in praxi, ut concionatores. Scriba non est nomen sectæ sed officii.

8. Scribarum origo videtur referenda ad tempora Esdræ. Quorundam Scribarum potestas etiam videtur quodammodo fuisse judiciaria, Matt. 20: 18. *Christus tradetur Scribis.*

9. Scribæ per totam Judæam fuerunt dispersi, & electi ex omnibus tribubus Israelis; atque peculiaribus vestibus fuerunt induti.

10. Herodiani, quorum mentio fit *Matth.* 22: 16. non constituerunt peculiarem sectam, uti Pharisæi, Sadducæi & Hesseei; neque ita fuerunt vocati, quia Herodem pro Messiâ agnoverunt; neque quia collegerunt tributa Cæsari solvenda; sed quia erant aulici sive servi aulæ Herodianæ. Hanc sententiam confirmat Novum T. Syriacum, quod Herodianos vertit per *domesticos Herodis.* Vide *suprà dissert.* 23.

11. Judæi

Digitized by Google

11. Judæi ajunt lapsum Adami fuisse peccatum particulare & singulare, 3. C. De
solum Adamum ad pœnam obligans. peccato.

12. Negant illud primum peccatum Adami posteris imputari, vel justè imputari posse.

13. Negant plerique Judæi infantibus ab ipsa nativitate inhærere inhærentem corruptionem, quæ peccatum originale sive originis vocatur.

14. Reformati hæc superiora probant. (1.) Quia non stetit sibi solum, sed etiam posteris: nam quæ Adamo data fuerunt; ut quod ad imaginem creatus fuerit, quod ei imperium in bestias concessum fuerit, &c. ei non fuerunt data ut singulari personæ, sed toti naturæ humanæ. Etiam pœnæ peccatum Adami consecutæ, fuerunt communes & universales. (2.) Ex *Psal.* 51:7. *In iniquitate genitus sum*, &c. Job. 14:4. *Quis dabit mundum de immundo*. Ex Gen. 6:5. *Omne figmentum*, &c. cap. 8:21. *Figmentum cordis humani malum à pueritia.* (3.) Quia maxima est differentia inter statum Adami, & statum hominum qui jam generantur. (4.) Ipsi Judæi ajunt hominibus esse יצר הרע *figmentum malum* usque ad annum ætatis 13.

15. (5.) Quia infantes sunt subjecti miseriis & obnoxii morti. (6.) Circumcisio octavo die instituta etiam denotavit peccatum originale in infantibus sub Veteri T. habuisse locum.

16. An Adamus primum peccatum errans, sive potius nesciens & coactus à muliere fecerit? Neg. c. Jud.

17. An peccatum Caini occidentis fratrem suum Abelem fuerit peccatum multo gravius peccato primo Adami? Neg. c. Jud.

18. Utrum peccatum ullum ex se & naturâ suâ sit veniale; an vero omne peccatum sit mortale? N. pr. A. post. *Vide Hoornbeek c. Jud. l. 4. c. 2.*

19. An rectè Daniel (*Dan. cap.* 6.) & socii ejus (*cap.* 3.) non obtemperaverint Regum edictis? Imo. 4. 5.

20. An *Jacob* se pro Esau apud patrem suum similans peccaverit *Gen.* 27? 460.
Aff. An verbum והשתחויתי *& incurvavero*, 2. Reg. 5:18. rectà possit per Præteritum transferri? Aff.

CAPUT XXIV.

Sect. 1. UTrum Textus Hebræus semper sit legendus & explicandus 1. H. De
secundùm Keri marginale; an vero secundùm Cethib textuale? Neg. pr. aff. post. Nam Cethib est ab ipsis Auctoribus. Keri & Cethib.

2. An ergo illæ voces Cethib, sæpe regulis Grammaticis contrariæ, & vix Hebraicæ, sint conscriptæ ab ipsis auctoribus librorum? Aff.

3. An non aliquando nota marginalis Keri doceat verum sensum à Spiritu

Digitized by Google

ritu S. in illo loco intentum? Sæpissimè.

4. An non meliùs foret, si omnes Interpretes vocem in textu scriptam interpretarentur, quàm vocem marginalem? Aff.

5. Pleræque septem species Keri in aliis linguis etiam locum habent.

6. Quot sunt notæ marginales? Vulgò numerantur 848. Sed in Edit. Bombergianâ in Fol. numerantur 1171. In Bibliis Regiis 983. sed in Plant. tantùm 793. Vix certus numerus earum adhuc est annotatus. Ex iis tamen, licèt multo plures essent, non probatur textum Hebræum esse corruptum. *Vide dissert.* 24. *Philol. Hebræi.*

2. M. De Reg. Jud. 7. Regimen Judaicum diversis temporibus fuit quadruplex, scil. vel potestatis Patriæ, vel Judiciariæ, vel Regiæ, vel potestatis variæ sive mixtæ, h. e. Ducalis & Regiæ.

8. An ab initio penes patres-familias fuerit regimen Ecclesiasticum & Civile? Imo. An mortuo Judice statim iterum alius electus fuerit? N.

9. Tres Reges duodecim Tribubus præfuerunt; sed postea viginti reges duabus, & novendecim præfuerunt decem Tribubus. An ante adventum Christi præfuerint Judæis Judices ex alia Tribu quàm ex Judæ tribu? Imò. Fuerunt quinque Assamonæi ex tribu Levi descendentes.

10. Utrum Reges Judæis fuerint præpositi secundùm mandatum Dei; an verò tantùm ex conniventiâ? Aff pr. N. post. *Vide suprà dissert.* 24.

3. R. De Paschate. 11. Absurdum est interdictum, quo Judæi interdicunt in Ritualibus Germ. nullum anserem esse mactandum mense Schebhat, (*Januar.*) An mactator propterea sit moriturus? Et si quis ex ignorantiâ peccaverit, per jecur anseris mensæ impositum ab illo infortunio liberetur? Nugæ.

12. An primogeniti tam patris quàm matris sub vesperam Paschatis teneantur jejunare? Non. An pater teneatur loco parvuli primogeniti jejunare? Neg. An toto mense Nisan (Martio) nullæ preces sint recitandæ pro remissione peccatorum? Neg. An proximum Sabbathum ante Pascha sit sanctius aliis Sabbathis? An item benè vocetur *Sabbathum magnum*, & quidem propter duo miracula, quæ olim illo Sabbatho in Ægypto accidisse dicuntur? Neg.

13. An quia Deus Exod. 13: 3. ait, *Non comedetur fermentatum*, ideo Judæi teneantur in Paschate abstinere à *Melle*, à *Sacchare*, à *Ficubus*, ab *Uvis passis*, à *Salmonibus*; quia dissecantur cultris, quibus aliquando panis scinditur; ab *Aceto?* Neg. An si in ipso Paschate inveniatur granum tritici in gallinâ, ea propterea sit illicita? Neg.

14. An in Paschate singulis, etiam abstemiis, quatuor cyathi vini sint infundendi; & quidem propter quadruplicem memoriam liberationis in Exodo

Digitized by Google

odo? Neg. An in mensâ tantùm tres placentæ azymæ sint apponendæ, ut suprema designet summum Sacerdotem; media genus Leviticum; infima plebem Israeliticam? Non.

15. An Judæi nocte Paschatis habeant plures causas securitatis, & relinquendi januas per totam noctem apertas, quàm aliis noctibus? N. An Eliæ adventus eâ nocte frustra exspectetur? A. An propterea jam non liceat agnum Paschalem mactare extra terram Sanctam, quia cæteræ regiones sunt pollutæ? N. Quare igitur? Quia Messias, qui denotabatur per agnum, venit.

16. Quare super dimidia parte mediæ placentæ canunt Chaldaicè quùm cætera peragant Hebraicè? Ne dæmænes intelligant, & ad convivium Paschale veniant, illudque polluant. An ergo dæmones non intelligunt linguam Chaldæam? Sic ait Talmud in Tract. de Sabbatho *Fol.* 12. 2.

17. Judæi sunt nimis subtiles circa determinationem operum in Paschate vel intermediis diebus agendorum, vel omittendorum. An Judæi in mense seq. post Nisan teneantur ter jejunare, scil. duobus diebus Lunæ & uno die Jovis? Non. Quare triplex jejunium mandant? Ut agerent pœnitiam, si fortè festum Paschatis non ritè observaverint.

18. An Judæi habeant veras causas, ob quas usque ad 33. diem post Pascha tristentur? Item, ob quas nullas nuptias celebrent? Neg. An Judæi die illo trigesimo tertio cum peculiari solennitate sint tondendi? Neg. *Vide Synag. Buxt. capp.* 17, 18, 19.

19. A quibus primùm natus sit mos ille dicendi; *Maendach goet selden spoet?* Videtur natus à Judæis occasione Genesios *Cap.* 1. ubi omnes dies creationis approbantur hac ferè formulâ; *Vidit Deus id esse bonum*, excepto die secundo, h. e. die Lunæ. 4. 5.

20. Qualis Propheta denotetur per eum, qui vulgò dicitur *vesci pane?* Inobediens Divino mandato. Unde natus sit modus loquendi; *Ghy sijt een Propheet die broot eet?* Quia Propheta 1 *Reg.* 13. à leone occisus, contra interdictum Divinum comedit panem. 480.

CAPUT XXV.

Sect. I. NUgantur Judæi in re seriâ, quando in MSS. Codicibus Veteris T. Masoram in margine variis figuris & imagunculis animalium, avium, &c. describunt, vel depingunt. *I. H. De Masora.*

2. Primi auctoros Masoræ magnæ, mediocris & parvæ sunt Ezras & viri Synagogæ magnæ: sed opus ita inchoatum alii, & præcipuè Masorethæ Tyberienses continuârunt.

Digitized by Google

3. In utroque Talmude fit mentio Masoræ, & rerum præcipuarum circa quas Masora versatur: Ergo Masorethæ, vulgò Tyberienses vocati, non sunt auctores totius Masoræ.

4. Utrum Masora jam adhuc sit integra; an vero corrupta? In multis locis est parumper corrupta: nam Judæi per multa secula ubique in exilio habitantes eam tam purè non potuerunt conservare quàm quidem olim.

5. An non labor ille Masoretharum est frustraneus & deridendus: nam quid opus fuit omnes literas, voces & versus Veteris T. numerare? Labor eorum est summoperè laudandus: nam Masorethæ hoc fecerunt ut genuina lectio conservaretur, & ne aliquis literam vel addere, vel abjicere in posterum posset. Hinc elicimus Judæos S. Scripturam datâ operâ nunquam voluisse corrumpere. *Vide dissert.* 25. *Philol. Hebræi.*

2. M. De Regib. Jud.

6. Reges eligebantur apud Judæos ordinariè per Sanhedrin, extraordinariè per Urim & Tummim.

7. In electione Regis respiciebant, 1. ad *sexum*; non eligebatur fœmina. Athalia, mater Ahaziæ, 2. *Reg.* 11: 1. vi tyrannicâ invasit regnum. 2. Ad *patriam*; non eligebatur peregrinus. 3. Ad *genus vitæ*; mechanici aut plebeji non eligebantur.

8. An omnes & singuli Reges Judæorum fuerint uncti? Non. Quinam ergo? Illi de quorum electione oriebatur dissensio. Quomodo ungebantur? Ad formam O inter supercilia. An per talem unctionem olim concedebatur, vel hodiè conceditur Regibus potestas sanandi morbum regium? Non.

9. An Reges Israelitarum fuerint soluti legibus? Particularibus humanis legibus fuerunt soluti, sed non Divinis.

10. An Reges Judæorum, si peccâssent, potuerint jure à Judicibus pœnâ temporariâ flagellationis, vel aliquâ aliâ, vel etiam mortis pœnâ affici? Non. An Reges unquam fuerint puniti? Non. *Vide suprà dissert.* 25.

3. C. De Deit. Messiæ & Trinit.

11. Verus Messias, in V. T. promissus, debuit esse θεάνθρωπος *Deus homo*, quod partim Scripturæ locis ex V. T. partim ex ratione officii ejus, quod tale esset, ut divinam requireret naturam, probatur. Messiam promissum fore vel fuisse hominem extra dubium est.

12. Christiani probant Divinam Messiæ naturam, (1) Ex *Psal.* 2: 1, 2. Reges & nationes insurrexerunt contra Messiam. Ejus jugum excutere voluerunt *versu* 3. Est constitutus rex Zionis *vers.* 6, *Zach.* 9: 9. Ei in totum mundum universale dominium est concessum *vers.* 8. Ille potest omnes confringere vi suâ *vers.* 9. Est filius Dei propriè dictus *vers.* 7, 12. Quæ omnia de solo homine dici nequeunt.

13. (2)

Digitized by Google

13. (2) Ex *Psal.* 45. in quo agitur de Messiâ. *Vers.* 3. constituitur supra omnes homines. *Vers.* 7, 8. vocatur Deus, *Solium tuum ô Deus.* Et solium ejus dicitur fore in perpetuum, &c. (3) Ex *Psal.* 110: 1. Messias filius Davidis vocatur ejus Dominus respectu alterius, scil. Divinæ naturæ. (4) Ex *Malach.* 3: 1. Messias veniet ad templum suum. Nemo Templi dominus est nisi qui Deus est.

14. Officium Messiæ requirit Divinam naturam, *Jes.* 53. Pro nobis debuit mori, iniquitates nostras bajulare, &c. Jerem. 43. 6. *Est Jehova justitia nostra.* In sequentibus utraque natura simul conjungitur, Jes. 9: 6. *Puer natus est nobis --- vocabitur Deus fortis*, &c. Jes. 7: 14. *Virgo concipiet-vocabitur nomen ejus Immanuel.* Mich. 5: 1. *Ex te Bethlehem prodibit, cujus exortus à principio.*

15. Pluralitas personarum Divinarum à nostris Theologis probatur (1) Ex Gen. 1: 26. נעשה *faciamus* hominem בצלמנו כדמותנו *ad imaginem nostram, secundùm similitudinem nostram.* Deus ibi non consultavit cum *Fabrica cœli & terræ*, uti vult R. Levi; nec cum *causis secundis*, uti volunt Kabbalistæ; nec cum *Angelis*, ut statuit Aben Esra; nec cum *terrâ & elementis*, uti scribit Moses Gerundensis; nec cum *animabus*, uti defendit R. Jeossuas de Sahnin; nec loquitur *more regio*, nec cum *corde suo*, h. e. secum; nec ut *incitaret semetipsum*, *sibique imperaret.*

16. Forma illa loquendi, *nos Carolus ita mandamus*, &c. orta est vel ex conscientiâ propriæ imperfectionis, vel ex superbiâ & ambitione. Sed neutro modo competit Deo.

17. (2) Ex *Gen.* 3: 22. Homo est כאחד ממנו *sicut unus ex nobis.* (3) Ex Gen. 11: 7. *Descendamus & confundamus.* (4) Ex *Gen.* 19: 24. *Pluit Jehova à Jehovâ.*

18. (5) Ex Psalm. 2: 7. *Filius meus es tu*, &c. (6) Ex Gen. 1: 2. *Spiritus Dei incubabat aquis.* Vide *Hoornbeek. c. Jud. l.* 5. *c.* 1. & 2. 4. J.

19. In hodiernis Codicibus, *Numer.* 10. 35. & 11: 1. contra consuetudinem, quæ in Pentateuchis MSS. observatur, malè scribitur Nun inversum. Item malè *Gen.* 4: 8. contra fidem antiquissimorum codicum relinquitur Piska, h. e. hiatus in medio versu.

20. An primi parentes ab initio mundi commiserint incestum? Imo. Et an committendo incestum peccârint? Neg. 500.

CENTURIA SEXTA.

CAPUT XXVI.

Sect. 1. AN Kabbalæ operam dantes sint præferendi studentibus in Misnâ, & hi iterum Legem scriptam tractantibus? Neg. 1. *H. De Kabbala.*

Digitized by Google

2. An Kabbala ſit extollenda ſupra Miſnam, uti facit Menaſſe? Neg.

3. An Moſes ter quadraginta diebus fuerit in monte Sinai; primis ad diſcendum Legem ſcriptam, ſecundis Miſnam; & ultimis ad diſcendum Kabbalam, uti vult idem Menaſſe Ben Iſrael? Neg.

4. Kabbala non fuit homo perfidus & diabolicus, cujus ſequaces vocantur Kabbaliſtæ; nec etiam fuit vetula veneficiis dedita? nec Kabbaliſtæ fuerunt hircocervi, centauri, vel monſtruoſa quædam animalia, uti quidam volunt.

5. Kabbala Practica eſt diabolica magis, quæ non eſt exercenda, ſed è Republ. proſcribenda. Per eam non niſi ope diaboli mira fieri poſſunt.

6. Per Kabbalam Theoreticam, cujus tredecim ſunt ſpecies, non poſſunt nova dogmata elici; ſed illa, quæ vulgò à Judæis per eam eliciuntur, ſunt incerta, & ut plurimùm nugatoria.

7. Ex verbo ברא *Creavit* per Kabbalam non probatur Trinitas, quaſi ב denotat בן *Filium*, ר רוח *Spiritum*, & א אב *Patrem.*

8. Auctores Kabbalæ non ſunt Moſes, Eſras, aliiqui Prophetæ; ſed nugivenduli quidam Apellæ.

9. Licet uti Kabbalâ adverſus Judæos: ex eâ enim aliquando citiùs convincuntur, quàm ex ipſâ S. Scripturâ. *Vide diſſ.* 26. *Phil. Hebræi.*

2. M. De Regib. Jud. 10. Leges fundamentales Regni Judaici deſcribuntur *Deut.* 17: 16, 17, 18, 20. & fuerunt ſex (1) Reges non debeant multiplicare equos. Salomo, alens tempore pacis quadraginta millia equorum, 1 *Reg.* 4: 26. hoc præceptum transgreſſus eſt (2) Reges non debebant reducere populum in Ægyptum.

11. (3) Reges non debebant multiplicare uxores. Quot uxores Lex Divina hic conceſſit Regibus? Judæi ajunt Octodecim concedi. An hoc eſt verum? Non. An Judæi inter 18. uxores etiam numerârunt concubinas? Imo.

12. An concubinæ Veteris T. fuerunt meretrices? Non. An veræ uxores? Imo. An non tamen fuit differentia inter concubinas & veras uxores propriè ſic dictas? Imo. An in foro Poli licitum fuit alere concubinas? Non. An liberi concubinarum fuerunt ſpurii? Non.

13. An Salomo alendo 700. uxores & 300. concubinas graviter peccaverit? Imo. An Salomo tot uxores & concubinas duxerit, quia fuit ſalax & libidinoſus? Imo.

14. (4) Non licitum erat Regibus multiplicare argentum & aurum. An Salomo non peccavit quod inſtar lapidum argentum collegerit? Imo: nam jugum populi nimiùm aggravit, 1 *Reg.* 12: 4.

15. (5)

Digitized by Google

15. (5) Reges duplum legis debebant exſcribere. (6) Non debebant elevare cor ſupra fratres. An Reges quotidie fuerunt tonſi, uti vult Maimon? Hoc non videtur. *Vide ſuprà diſſert.* 26.

16. Feſtum Pentecoſtes à Rabbinis vocatur עצרת *detentio*, ſicuti etiam dies octavus feſti Paſchatis & Tabernaculorum. Etiam appellatur יום מתן תורה *dies dationis Legis.* Quare? Quia Judæi per antiquam Traditionem acceperunt Legem Moſi eo die eſſe traditam. Ea etiam eſt communis Chriſtianorum ſententia. Incidit ergo in diem ſextum menſis Sivan, h. e. Maji. In quem diem hebdomadæ? Nunquam in diem 3. 5. vel 7. hebdom. 3. *R. De Pentec. & Tabern. feſt.*

17. An poſſit dari certa ratio quare Deus non diem 49. ſed 50. celebrare juſſerit? Non. An pridie Pentecoſtes vena non ſit incidenda? Quidni. An eo die gravis valdè & noxius coortus ſit ventus, qui occidiſſet Iſraelitas, ſi poſtridie Legem lubenti animo non recepiſſent? Nugæ. An neceſſe ſit domos, plateas, ſcholam herbâ ſternere; feneſtras ramis virentibus, roſis, & aliis floribus obtendere? An item cibos lactarios comedere? An item altam & craſſam ſcriblitam, eamque ſeptemplicem facere? Non. Quare faciunt eam ſcriblitam ſeptemplicem? In memoriam ſeptem cœlorum, quibus Deus à monte Sinai eſt delatus.

18. Incertum eſt quare Deus feſtum Tabernaculorum magis voluerit celebrari in Septembri quàm aliis menſibus. Nimis curioſi ſunt Judæi circa fabricam Tabernaculorum. An Judæi hoc tempore tenentur Tabernacula facere, & quidem ex quatuor ſpeciebus? Non. An item per octiduum ea inhabitare? Non. An faſciculus לולב *Lulabb* ita verſus omnes mundi plagas debeat concuti? & an ille ſtrepitus diabolum perterrefaciat? Nugæ. An Deus ſeptimo die hujus feſti obſignet Judicium, quod de ſingulis hominibus tulit primo die novi anni, & die expiationum? An item Deus hâc ſeptimâ nocte per lunam totius anni eventa incidet? Neg. *Vide Synag. Buxt. c.* 20. *&* 21.

19. Utrum publicani, inter Judæos à Romanis conſtituti, fuerint gentiles; an verò Judæi? Plerique fuerunt gentiles, ſed nonnulli etiam Judæi, ut Matthæus. An Zacchæus, qui *Luc.* 19: 2. vocatur ἀρχιτελώνης *princeps publicanorum*, fuit Judæus? Sic videtur, quia nomen ejus eſt Syriacum. 4. *J.*

20. Quare publicani ita contemnebantur à Judæis? Tum quia ſæpe erant homines nequiſſimi, & nimium exigebant: tum etiam quia ut plurimùm erant gentiles conſtituti à Romanis ad exigendum tributum à Judæis. 520.

Digitized by Google

CAPUT XXVII.

1. *H. De Sect.* 1. *Nomin. Dei.* AN Deus propriè indigeat nomine? Non: nam est ens singularissimum.

2. Nomina divina sumuntur vel propriè de vero Deo; vel participativè de Angelis & Magistratu; vel abusivè de Idolis.

3. Tria nomina Divina desumuntur ab Essentia, ut יהוה. אהיה & יה; & septem à proprietatibus, ut אלהים. אלוה. שדי. ארני. עליון. צבאות. אל.

4. An in nomine Divino יהוה *Jehovah* contineantur tres differentiæ temporis, scil. præteriti, præsentis & futuri? Ita volunt nonnulli; nobis tamen non adeo certum videtur.

5. Nomen *Jehovah* benè à Judæis vocatur. 1. *Nomen essentiæ* vel *existentiæ*. 2. *Proprium*. 3. *Explicatum*. 4. *Nomen quatuor literarum*, & à Græcis unicâ voce τετραγράμματον. 5. השם *Nomen*, secundùm *Lev.* 24: 11. Non ita benè vocatur *Nomen gloriosum & terribile*.

6. Nomen Jehovah est nomen Dei Proprium & non Appellativum: habet enim omnia requisita, quæ nominibus propriis vulgò in linguâ Hebræâ tribuuntur.

7. Nomen Jehovah est soli Deo proprium *Psal.* 83: 19. *Exod.* 3: 15. &c. & nunquam creaturis tribuitur. Ergo quando directè Christo tribuitur, inde etiam probatur quod sit Deus.

8. An etiam Jehova directè tribuatur Christo? Imo. *Num.* 21: 5, 6. collat. cum 1. *Cor.* 10: 9. An etiam Spiritui S.? Aff. *Num.* 12: 6. collat. cum. 2. *Pet.* 1: 21. An nomen Jehovah ulli ante tempora Mosis fuerit notum? Aff. nec contrarium evincitur ex Exod. 6: 3. *Nomine meo Jehovah non sum cognitus iis.*

9. An Trinitas ex tribus diversis literis nominis יהוה; vel ex tribus ejus syllabis, uti vult Galatinus, vel ex tribus ejus vocalibus probari possit? Non. An item ex secundâ literâ geminatâ duplex respectus in Christo, scil. quod sit genitus à Patre, & quod simul cum Patre Spiritum S. mittat, probari possit, uti idem vult? Neg. An non duæ naturæ ex eâdem secundâ literâ ה geminatâ probari possint? Non.

10. An Christus per veram pronunciationem nominis Jehovah, quam in templo didicerat; & Moses per idem nomen virgæ suæ inscriptum, omnia sua miracula effecerint? Neg. c. Jud. *Vide diss. 27. Phil. Hebræi.*

2. *M. De Pontifice.* 11. Summi Pontifices jure Divino debebant non tantùm ex tribu Levi, sed ex ipsâ familiâ Aharonis eligi. Ergo Alcimus & Judas Machabæus, ex Levi tantùm descendentes, injustè fuerunt in Pontifices electi.

12. Pe-

Digitized by Google

12. Penes Sanhedrin fuit jus eligendi & deponendi Pontificem. Sanhedrin enim potestate Politicâ & Ecclesiasticâ pollebat.

13. An Salomon jure deposuerit Pontificem Abjatharem? Imo: nam Politicè peccaverat in factione Adoniæ. An hoc jus etiam competebat Regibus, si Pontifices tantùm Ecclesiasticè peccarent? Non. Atqui Herodes Agrippa, aliique multos Pontifices elegerunt, & deposuerunt. Imo, sed sæpe injustè.

14. Pontifex extra Sanctum Sanctorum ministrans octo vestibus aureis, sed intrans S. Sanctorum tantùm quatuor lineis, & quidem ab octo superioribus diversis, fuit indutus. An ministerium Sacerdotum jure factum fuerit irritum, si tantùm emplastrum vulneri fuisset impositum? Non. Sed Judæi pro irrito æstimabant.

15. An licitum fuit Pontifici lacerare vestes, uti Cajaphas *Matt.* 26: 65. fecit? Infrà circum pedes licuit, sed non suprà. Sacerdotibus verò vulgaribus licuit lacerare à summâ parte deorsum.

16. An non jure potuerunt eodem tempore esse duo Pontifices? Non. An non aliquando duo simul fuerunt, uti dicitur Luc. 3: 2: *Sub Pontificibus Annâ & Cajaphâ?* Annas videtur fuisse Pontifex vicarius Cajaphæ; qui, si fortè pollutus esset Cajaphas, Sanctum Sanctorum intrare debebat.

17. An non ex *Marc.* 1: 14. ubi ἀρχιερεῖς *Pontifices* dicuntur quæsivisse occasionem capiendi Christum, possit probari plures simul fuisse Pontifices? Non: nam ibi intelliguntur primarii Sacerdotes viginti quatuor classibus Sacerdotnm præpositi, 1 *Chron.* 24.

18. An ex Pontificatu Judaico benè probetur Pontificatus Romanus? Neg. *Vide suprà dissert.* 27.

19. An crucifixio fuit pœna ordinaria inter Judæos usitata? Non. An ergo Christus per potestatem Romanorum fuit occisus? Imo. 4. 8.

20. An ante lapsum nuditas pudorem attulerit? Neg. An Adamus quidem sciverit se esse nudum? Imo, sed non puduit. 540.

CAPUT XXVIII.

Sect. 1. AN pro יְהֹוָה *Jehova* debeat legi אֲדֹנָי *Adonai*, uti faciunt omnes Judæi, & multi Christiani? Neg. An item pro יֱהֹוִה *Jehovi* debeat legi אֱלֹהִים *Elohim?* Neg. 1. H. De *Jehova.*

2. Omnis vox Hebraica debet legi illis consonantibus & vocalibus, quibus in Textu Hebraico ab ipsis Scriptoribus punctata est.

3. Duæ prioris Syllabæ nominis *Jehova* componuntur in nonnullis nominibus ptopriis, ut in יהונתן *Jehonathan*, יהוחנן *Jehochanan* יהויקים *Jehoja-*

hojakim, &c. quæ propterea à Drusio benè vocantur, *ἀκυφῆρα* & *τετραγραμματοφόρα*.

4. Qui legit *Adonai* pro *Jehova* non exprimit consonantes nec vocales τῶ Jehova, sed confirmat Judæos in superstitione, qui sub pœnâ mortis temporalis & mortis æternæ olim ejus lectionem interdixerunt.

5. An sonus nominis Jehova abludat ab analogiâ nominum Hebraicorum? Non. Hoc confirmat D. Coccejus in Præf. Comm. in Psalmos, ubi sic ait: *Me in versione nomen Dei Tetragrammaton expressisse sono jam satis usitato & ab analogiâ nominum Hebraicorum non abludente,* &c. Vide *diss.* 28. *Philol. Hebrai.*

2. *M. De Nummis & Ponder.* 6. Veterum Judæorum possessio præcipuè in pecoribus consistebat. Veteres non numerabant, sed ponderabant pecuniam, uti *Gen.* 23: 16. *Exod.* 22: 17. 1 *Reg.* 20: 39. & in aliis locis videre est. Sic Judæ in proditione Christi non numerârunt, sed appenderunt argenteos, *Zach.* 11: 12.

7. Siclus Judaicus tantùm fuit arnenteus. Hinc simpliciter *argenteus* denotat siclum Judaicum. Siclus fuit triplex; communis, Judæo-Christianus, & proprius.

8. Siclus *sacer* valet dimidium Imperialem, & ponderat semiunciam argenti; *profanus* valet partem quartam Imperialis. Christus ergo venditus est 15 imperialibus, h. e: 37. flor. & 10. sest. secundùm nostram supputationem: nam credimus 30. illos siclos fuisse sacros. An sicli sacri tantùm usibus sacris fuerint destinati? Primariò & præcipuè, sed secundariò in rebus profanis etiam fuerunt adhibiti.

9. Judæi scribunt ישו *Jesum pro* ישוע non ex contemptu, sed propter difficultatem pronunciationis literæ gutturalis ע.

10. Sicli antiqui fuerunt signati literis hodiernis Hebraicis vel Samaritanis. *Vide de his suprà dissert.* 28.

3. *R. De Novil. & novo anno.* 11. An mulieres magis teneântur feriari in festo novilunii, quàm viri? Non. An necesse sit se pridie jejunio præparare, & ipso festo novilunii genio potiùs indulgere quàm jejunare? Non. An liceat lamentari & plangere super mortuum? Imo. An necesse sit lunam consecrare speciali consecratione, & quidem stando, oculis in eam defixis & intensis, atque sub dio? Non.

12. An Judæi habeant sufficientes rationes, ob quas lunam magis consecrent quàm solem, vel aliquod aliud astrum? Non. Quare luna præ aliis astris consecratur? Quia in lunæ motu opera Dei, ejusque potentiam luculentius conspiciunt, quàm in reliquis planetis & stellis. Quando fit consecratio lunæ? Intra septimum & decimum quintum diem. An defe-

ctus

Digitized by Google

ctus lunæ portendat aliquid mali infligendi ab hostibus? Non. An propter defectum lunæ necesse sit animas jejunio affligere? Non.

13. An Deus Kalendis novi anni thronum ascendat ad judicandum mundum? Non. An eodem die tres libri aperiantur, unus pro justis, secundus pro impiis, & tertius pro intermediis? Neg. An quia mundus putatur creatus eo die, etiam æquum sit, ut, anno elapso, Deus rationem ab homine exigat, & thronum propterea ascendat? Neg.

14. An propter instans illud judicium necesse sit per integrum mensem Augusti peccata sua, anno præcedente perpetrata, magis expendere, quàm aliis temporibus? Non. An si quis hoc faciat, sit propterea ipsis Kal novi anni liber à peccatis? Non magis quàm si alio tempore confessionem peccatorum recitaret.

15. An necesse sit per totum Augustum cornu arietis inflare. 1. In Memoriam Mosis ascendentis montem Sinai ad alteras Legis tabulas petendas. 2. Ad revocandum in mentem judicium Dei. 3. Ut confundatur diabolus, ne verum anni initium cognoscat? Non. An necesse sit pridie novi anni sepulchreta adire, ibique orare, ut Deus sui misereatur propter justorum ibi sepultorum merita? An item se tondere & lavare? Neg.

16. An ipsis Kal. novi anni magis sit orandum cum incurvatione quàm aliis diebus, & quidem cum sonorâ voce, cùm aliàs submissè orare soleant? Neg. An hoc die caput arietinum sit comedendum, quia oblatio Isaaci hoc die peracta creditur? Non est necesse.

17. An pisces hoc die sint comedendi ad denotandum bona opera instar piscium in aquâ multiplicari debere? Neg. An item fœniculum, allia, amygdala? Non est necesse. An Judæi manè in scholâ lineis induti tunicis orare debeant? Ridiculum.

18, An non sit superstitiosum, quod à cibo viri, mulieres, pueri, juvenes, senesque ad aquam eant: ut peccata sua in aquam excutiant; vel in pisces si eos videant, peccata projiciant? Imo. An ergo sit bonum omen si pisces conspiciantur? Non. *Vide Synag. Buxtorfii cap.* 22, 23, & 24.

19. Quid significet apud Marcum *cap.* 7. *vers.* 3. ἐὰν μὴ πυγμῇ νίψωνται τὰς χεῖρας. Utrum πυγμῇ denotet *ad cubitum*, *cubitaliter*, uti vult Capellus; an vero *nisi* pugno *laverint manus*, uti vult Beza? Aff. post. Sed quid significat *pugno lavare*? Curiosè, diligenter & accuratè lavare: nam qui curiosè volunt lavare, manum manui affricant, & pugnum alterius palmæ inserunt. An ergo πυγμῇ potest transferri adverbialiter per curiosè, diligenter, crebrò, iterum atque iterum? Imo. 4. J.

20. Utrum Judæi credant lotionem manuum sibi esse mandatam à Deo; 560.

 an vero

Digitized by Google

an vero à Rabbinis? A Rabbinis Marc. 7: 3. An lotio integrarum manuum ex ſententia Judæorum ſit neceſſaria? Non: ſed tantum digitorum uſque ad ſecundum articulum. An manus etiam neceſſariò ſint abluendæ poſt cibum ob metum ne aliquid ſalis Sodomitici iis adhæreat? Non.

CAPUT XXIX.

1. *H. De Jehova.* *Sect.* 1. VOcales nomini יְהֹוָה *Jehovah* ſubſcriptæ, ſunt ejus propriæ vocales. An etiam in יֱהֹוִה *Jehovih* ſequente vel præcedente nomine Adonai? Imo.

2. Quare nomen יֱהֹוִה conjunctum cum Adonai ita punctatur? An propterea ne bis legeretur Adonai Adonai? Non. Quare igitur? Vera cauſa latet.

3. Literæ וְכָלָב, & מ ante יְהֹוָה ſecundùm analogiam aliarum vocum aliter deberent punctari; ſed inde tamen non ſequitur, ergo legendum eſt Adonai: uti nec ex literis בגדכפת ab initio punctatis cum dageſch leni poſt Jehovah.

4. Non eſt abſurdum quod nomen proprium יְהֹוָה terminetur terminatione fœminini generis. *Vide differt.* 29. *Philol. Hebræi.*

1. *M. De Num. & Pond.* 5. גרה *Gera* Exod. 30: 13. אגורה *Agorah* 1 *Sam.* 2: 36. & קשיטה *Keſchita Gen.* 33: 19. ſunt nummi argentei V. T. & tantundem valent, ſcil. apud nos, ſeſtertium & duos trientes, h. e. 20. tales nummi efficiunt ſiclum ſacrum, ſive dimidium Imperialem. Quare nummus קשיטה ab agno vel agna nomen habet? Quia agni vel agnæ imagine ſignatus fuit.

6. אדרכון *Adarcon* (Ezræ 8: 27.) vel דרכמון *Darcemon* (Ezræ 2: 69.) h. e. drachma denotat in V. T. nummum aureum ejuſdem valoris & ponderis cum ducato, eſtque Græcæ originis.

7. מנה *Mina*, libra (*Ezræ*. 2: 69.) *antiqua* continet pondere ſuo 50. ſiclos ſacros, h. e. 25. Imperiales, & *nova* ſive Ezechielis dicta, quia eam computat *cap*. 45: 12. comprehendit 60. ſiclos ſacros, h. e. 30. Imperiales.

8. Quales minæ intelliguntur *Luc*. 19: 13. ubi dominus dicitur dediſſe ſervis ſuis *decem minas*? fortè intelliguntur novæ.

9. ככר *Ciccar*, talentum; eſtque *ſacrum* vel *profanum*; ſacrum eſt duplo majus profano; dicitur in S. Scriptura de *auro* & *argento*. Talentum *Sacrum* continet 3000. ſiclos ſacros, h. e. 1500. Imperiales: ergo profanum ejus dimidium. Talentum ſacrum auri valet duodecies mille ducatis, h.e. 60000. florentis argenteis, quorum duo cum dimidio valent Imperiali.

10. Naaman (2 *Reg*. 5: 5.) ſecum ſumſit decem talenta argenti profana. Utrum Hebraica, h. e. valentia ſimul tricies mille ſiclos profanos, ſive 15000. ſacros, h. e. 7500. Imperiales; an verò Syriaca, quorum quatuor con-

Digitized by Google

continent unum profanum talentum? Verosimilius videtur quod Syriaca acceperit, h. e. 1875 imperiales. *Vide suprà dissert.* 29.

11. Utrum officium Messiæ præcipuè debuerit esse spirituale; an vero terrestre? Spirituale. Frustra ergo Judæi exspectant per Messiam liberationem à jugo Christianorum, aliorumque. 3. C. *De afflict. & Benef. Messiæ.*

12. Messiam esse affligendum, & passurum multas afflictones & passiones, prædictum fuit in V. T. scil. (1.) Jes. 53. *Ipse dolore afficitur*, & per totum caput. (2.) Psal. 22: 2. *Deus mi*, &c. v. 7. *Ego sum vermis*, &c. (3.) Dan. 9: 26. *Exscindetur Messias.* (4.) Zach. 9. 9. *Rex tuus venit tibi pauper*, & paupertas est afflictio. (5.) Psal. 16: 10. *Non derelinquens animam meam in sepulchro.* Ipsi Judæi statuunt Messiam ben Joseph, qui nomine suo vocabitur Nehemias filius Husiel, passurum esse varias afflictiones.

13. An caput Jesaiæ 53. agat de promisso Messiâ? Et an nostro Messiæ applicari possit? An verò agat de Jeremia; vel de Rege Josia; vel de quolibet Justo in genere; vel de populo Israelitico; vel de Abrahamo; vel de Mose; vel de Angelis ministerii? Agit de Messiâ, & quidem nostro, qui in mundum venit.

14. Messias promissus afflictiones non potuit pati pro se: nam fuit justus, Jes. 53: 9. *Non fecit violentiam, neque dolus in ipso repertus est:* sed pro aliis, Jes. 51: 3. *Languores nostros ipse suscepit, & dolores nostros bajulavit*, vers. 5. *Ipse dolore afficitur à defectionibus nostris*, &c. vers. 6. *Jehova fecit incurrere in eum iniquitatem omnium nostrûm*, &c.

15. An peccata possint expiari vel afflictionibus quas ipsi homines patiuntur; vel morte suâ vel alienâ; pœnitentiâ; bonis operibus præcipuè die Expiationis factis; abstinentiis; lotionibus, mactationibus galli, aut flagellationibus? Non. A quibus Judæi se tenentur abstinere in die Expiationis? A sex seqq. 1. Ab opere. 2. à cibo & potu. 3. à lotione. 4. ab unctione. 5. à calceorum indutione. 6. ab usu lecti conjugalis.

16. An in Judicio Dei constituentur tres ordines hominum, scil, bonorum, malorum & intermediorum? Neg. An in inferno animæ expiabuntur, expiatæ inde liberabuntur, atque adducentur in cœlum? Neg. c: Jud.

17. An Israelitæ, etiam nequissimi, modò unum bonum opus fecerint, collocandi sint propter Judaismum in seriem intermediorum, qui post expiationem in inferno factam inde tandem liberabuntur? Neg. Judæi statuunt quod pii ex quacunque gente, etiam Ethnicâ aut infideli, etiam sine fide in Messiam, sint futuri participes æternæ vitæ: & quod possint propriè suis operibus mereri vitam æternam.

18. An unus homò possit expiare aliorum hominum peccata? Neg. Judæi

Digitized by Google

dæi non credunt quod aliquis possit esse certus de suâ salute, contra seqq. textus, Jes. 12: 2. *Deus salus mea, confidam & non expavescam*; Psal. 23: 4. *Etiamsi ambularem*, &c. Incertitudo non evincitur ex *Psal.* 27: 13. לולא האמנתי וג׳, quæ à Menasse ita transferuntur; *Utinam scirem certò me visurum bona Domini*, cum debeant transferri, *Nisi credidissem* &c. *Vide Hoornbeeck c. Jud. l. 6. c. 1. & 2.*

4. 9. 19: Muhamedani nomen habent à Muhamede; auctore sectæ, qui natus est anno Christi circitèr sexcentesimo. Anno ætatis 53. aufugit Meccâ Medinam, & ab hâc fugâ Muhamedani æram suam inchoant, sicuti Christiani à Nativitate Christi, & Judæi à creatione Mundi supputare solent.

580. 20. Quare capitale est Christiano si urbem Meccam, vel præcipuè templum ingrediatur? Quia in eâ urbe natus est Mahumed; quia ibi quasdam revelationes à Deo accepisse dicitur, &c.

CAPUT XXX.

1. H. De Jehova. *Sect.* 1. Galatinus non est primus inventor pronunciationis Jehovah pro Adonai: nam ante Galatinum in Dionysio Carthusiano & Hieronymo illa lectio fuit usurpata.

2. Superstitiosum est nolle pronunciare *Jehovah*, & dicere pro eo Jod, he, vau, he. Quare Judæi jam solent pro Jehovah scribere duo Jod; tali modo ײ? Quia credunt nomen Jehova incipiens à Jod debere pronunciari per Adonai desinens in Jod.

3. *Jehovah* meritò à Græcis vocatur ineffabile: An absolutè? Non. Quare igitur? Quia in eo occurrunt tres consonæ, quas Græci in suo Alphabetho non habent, scil. *jod, he, vau*. Inde tamen non sequitur illud nomen ab Hebræis, Latinis, aliisque non posse pronunciari.

4. Etiamsi omnes Patres Græci & Latini, imo ipse Christus Jehovah transtulissent per Κύριος, vel *Dominus*, vel Heere; vel si ipse Christus aliquando legisset Adonai: inde tamen non sequitur, ergo pro Jehovah legendum est Adonai.

5. Lectores nominis Jehovah ut sic, immeritò à Drusio vocantur Jehovistæ; *Vide dissert. 30. Philol. Hebræi.*

2. M. De Num. & Pond. 6. Nummi Novi T. sunt 1. Λεπτὸν *æreolum*, *Marc.* 12: 42. est nummus æreus valens triente, h. e. octo tales valent sestertio. 2. Κοδράντης *quadrans*, Matt. 5: 26. valet duobus trientibus, h. e. quatuor valent sestertio. 3. Ἀσσάριον *assarius*, Matt. 10: 29. valet semi sestertio. 4. Δραχμὴ *drachma*, Luc. 15: 8. *quæ mulier si habeat drachmas decem.* Est nummus argenteus valens quartâ parte sicli sacri, h. e. sex sestertiis cum quadrante. 5. Δηνάριον *dena-*

Digitized by Google

denarius, Matt. 18: 28. *debebat ei centum denarios.* Est profanus vel sacer; profanus convenit cum drachma, sed sacer valet semisiclo sacro, h. e. 12. sest. cum dimidio.

7. Utrum *Matt.* 22: 19. ubi ostendunt Christo denarium, intelligatur sacer, an vero profanus? Sacer: nam ostendebant nummum censûs, quem olim ad cultum sacrum solvebant, qui nummus erat dimidius siclus sacer: sed postea Cæsar mandavit ut sibi solveretur, ut inde manifestum fieret eos jugo Romano esse subjectos.

8. (6.) Est Διδράχμον *didrachmum*, Matt. 17: 24. convenit cum denario sacro, & valet dimidio siclo sacro. Componitur ex δὶς *bis* & δράχμη *drachma*, quia valet duobus denariis, sive drachmis, h. e. semisiclo sacro 7. Στατὴρ *stater*, Matth. 17: 27. valet siclo sacro, h. e. quatuor drachmis sive denariis. 8. Ἀργύριον valet siclo sacro, Matt. 26: 15.

9. An Ἀργύριον *Act.* 19: 19. idem denotet quod apud Matthæum? Non. Nam in Actis denotat drachmas sive denarios, h. e. octavas partes Imperialium. *Vide suprà diss.* 30.

10. An Deus decem primis diebus novi anni judicet hominem, & singula ejus opera examinet, atque sententiam die Expiationum de eo pronunciet & obsignet? Neg. An Judæi propterea illis diebus teneantur se jejunio macerare, & confessionem peccatorum singulis diebus manè ter recitare? Neg. *3. R. De die Expiat.*

11. An Judæi pridie expiationum tenentur gallum gallinaceum, Judææ gallinam, gravidæ gallum & gallinam in remissionem peccatorum mactare? Profanum est. An gallus albus plus conducat quàm niger, vel alterius coloris? Non. Quare mactant gallum, & non aliud aliquod animal? Quia גבר hebraicè denotans *virum* Talmudicè significat *gallum*.

12. An non absurdum est, si galli non inveniantur, ob eandem causam mactare simiam: quia homini simillima est; vel anserem; vel turturem; vel pullum columbæ? Imo. An non impiè in *Schebet Jehuda* explicentur verba *Psal.* 22: 1. *Deus mi*, &c. de gallo occiso & intruso in ollam, quia nimio cantu domino suo molestiam creaverat? Imo.

13. An necesse sit pridie expiationum sepulchra adire, ibique orare, & eleëmosynas distribuere; scil. tantum quanti æstimatur gallus? Non. An item se lavare? Non. An necesse sit hoc die pro singulis candelam præparare, ut postridie ardeat? Non. An item per totum annum candelam ardentem habere? Non.

14. An die expiationum pro defunctis parentibus sint cerei accendendi? Non. An sit infaustum omen si alicujus candela extinguatur? Non. Bonum est sibi mutuo peccata condonare, sed non est necesse ut lædens ter deprecetur

 cetur

Digitized by Google

cetur veniam: Item si læsus nolit condonare, ut qui læsit, secum assumat tres alios; vel postea decem; vel si læsus fatis concesserit, ut supra sepulchrum ejus injuriam illam profiteatur.

15. An confessio peccatorum pridie expiationum debeat fieri stando? Non. An non sit ridiculum hoc die se mutuo flagellare in peculiari loco scholæ, & tredecim plagas infligere tribus loris, atque inter cedendum recitare *Psal.* 78: 38.? Imo. An sit præceptum Dei vesperâ ante diem expiationum egregiè epulari? Non. Ridiculum est jam pretiosissimas vestes induere, illisque grande & latum lineum indusium superinducere, in signum se postero die albos & puros à peccatis, Angelisque similes fore.

16. An *Levit.* 16: 31. per *affligere animas* mandentur hæc seqq. 1. Ipso die Expiationis *ab omni cibo* esse abstinendum. 2. Item ab omni oleo vel aquâ odoratâ. 3. A lotione. 4. Calceos esse exuendos. 5. Uxores non esse tangendas? Neg.

17. An necesse sit hâc vesperâ magis sceleratos absolvere, & permittere ut simul cum Ecclesiâ orent, quam aliis diebus? Non. An item toto die per 24. horas, vel diutius, die noctuque in pedes stare, canere, & indesinenter orare? Non. An licet manus Sacerdotis, quando populo in Synagogâ solenni modo (*Num.* 6.) benedicit, adspicere; quasi spiritus Dei in illis requiesceret? Imo.

18. An hoc die cornu sit inflandum propter seqq. rationes. 1. Quasi Majestas Divina jam discesserit. 2. Ut esset signum lætitiæ. 3. Libertatis. 4. Ut confunderetur diabolus. 5. In memoriam Jubilæi? Non. *Judæi*, volentes celebrare per biduum alia festa, quibus Deus tantùm unicum diem assignavit, etiam ob easdem rationes tenerentur festum Expiationis per biduum celebrare. *Vide Synag. Buxtorfii capp.* 25, 26.

4. 8. 19. Miracula quæ circa nativitatem & educationem Muhamedis dicuntur facta, sunt nugatoria vel falsa, scil. 1. Quod mater ejus absque dolore gravida fuerit; & gesserit infantem. 2. Etiam ita pepererit. 3. Quod statim post nativitatem pronus in vultum conciderit, & dixerit; *O Mater, testor tantùm esse unum Deum, & me ejus Apostolum.* 4. Quod sit natus circumcisus. 5. Quod interdictum fuerit dæmonibus ne in cœlum ascenderent. 6. Quod Halima, ejus nutrix, nihil habens lactis in alterutro ubere, statim copiam lactis acceperit, quamprimum ori Muhamedis admoveret.

600. 20. 7. Quod vox è quatuor mundi plagis audita sit. 8. Quod throni & sedes judiciorum per totum orbem conciderint. 9. Quod venti, aves &c. voluerint educare hunc infantem. 10. Quod tres Angeli Muhamedem, quatuor annos natum, acceperint, in montem abductum dissecuerint non tantùm

tantùm

Digitized by Google

tantùm circa ventrem, ſed etiam ipſum cor; quod ex corde nigrum granum exemerint; quod inteſtina purgârint & tandem omnia in priſtinum ſtatum reſtituerint.

CENTURIA SEPTIMA.

CAPUT XXXI.

Sect. 1. NOmen אֶהְיֶה ter *Exod.* 3. occurrens, licet variis modis à multis explicetur, eſt tamen nomen Divinum, quod immeritò à Lud. Capello negatur. In eo tamen tres temporum differentiæ, licèt hoc Galat. l. 2. c. 14. affirmet, non inveniuntur. An, quia nomen Dei אהיה ter occurrit, & in numero denotat 21. Judæi habeant ſufficientes cauſas, ob quas ſingulis ex ſeptem literis שעטנזגץ apponant tres apices, h. e. ſimul 21? Non. *1. H. De Nomin. Dei.*

2. Nomen יָהּ *Jah* videtur eſſe nomen primum à nullo derivatum. An ex eo componatur Jehova? Non videtur. Nemo ſcit quid Jah propriè denotet. Multis nominibus propriis, ut ישעיה *Jeſaiæ*, ירמיה *Jeremiæ* &c. in fine additur.

3. Nomen Dei אֵל deſcendens ab אֵיל *fortitudine*, denotat *Deum fortem*; primariò tribuitur Deo; abuſivè Idolis *Mal.* 2: 11. analogicè hominibus; & in compoſitione tribuitur Angelis, ut Gabriel &c. hominibus, ut Elnathan, &c. & nominibus locorum, ut Bethel, &c.

4. Nomen Dei צבאות *Tzebaoth*, licèt nunquam ſeparatim Deo tribuatur, conjunctum tamen cum alio nomine Divino per appoſitionem, ut אלהים צבאות, eſt nomen Divinum, & tum non benè transfertur per *exercituum*.

5. Nomen עֶלְיוֹן etiam eſt nomen Dei, ut *Pſal.* 28: 6. licèt alii dicant eſſe tantùm epitheton nominis Divini.

6. Nomen אֲדֹנָי *Adonai* deſcendens ab אֶדֶן *baſis*, quaſi *baſin ſubditorum* dicas, eſt plur. numeri, & optimè transfertur per *Dominus*; ſcriptum in fine cum Kamets per ſe, h. e. ſine accentu, ſoli Deo tribuitur, ſed aliter ſcriptum ſæpe creaturis convenit.

7. Nomen שַׁדַּי deſcendens ex שׁ *qui*, & דַּי *ſufficiens* vel *ſufficientia*, ſoli vero Deo tribuitur, licèt in compoſitione *Numer.* 1: 6. & 12. creaturis tribuatur. *Vide diſſert.* 31. *Phil. Hebræi.*

8. Menſuræ aridorum V. T. ſunt, 1. קב *Kab.* 2. עמר *Gomer.* 3. סאה *Sea.* 4. איפה *Epha.* 5. לתך *Lethech*, 6. חומר *Chomer.* 7. כור *Corus.* N. T. ſunt 1. χοῖνιξ *Chœnix.* 2. Κόρος *Corus.* 3. σάτον *Satum.* Kabus (2 *Reg.* 6: 25. *Quarta pars Kabi ſtercoris columbarum venditur quinque argenteis*) continet men- *2. M. De Menſ. Cub. V. & N. T.*

mensuram 24. ovorum. Hebræi communiter solent vasa supputare secundùm numerum sive capacitatem ovorum.

9. An mulieres propterea sint loquaciores viris; quia ab initio decem Kabi garrulitatis descenderunt in mundum, à quibus novem sibi abstulissent mulieres, uti vult Baal Turim ad *Gen.* cap. 3. vers. 20? Nugæ.

10. עומר *Gomer* continet 43. ova. Tantum mannæ potuit homo comedere unico die *Exod.* 16: 16. Atqui χοῖνιξ frumenti, *Apoc.* 6: 6. quod quartam, vel tertiam, vel dimidiam partem Gomeris continet, assignatur in diem? *Resp.* 1. Israelitæ vix ullis obsoniis utebantur præter Manna, 2. Manna etiam multo levius fuit tritico.

11. סאה *Satum* comprehendit ova 144. Epha 432. Lethech 2160. Chomer, à חמור *asino* nomen habens, quia est onus asini gravissimum, continet ova 4320. uti & Corus, quæ vox propriè est mensura aridorum, sed bis de liquidis usurpatur.

12. Mensura N. T. Χοῖνιξ *Chœnix* continet ova duodecim, & benè in Vers. Vulg. transfertur *Bilibris.* Σάτον *Satum* convenit cum סאה, & Κόρος *Corus* cum Hebraico כור.

13. (1.) לוג *Log*, continens 6. ova. (2.) הין *Hin* 72. ova (3.) בת *Bathus* 432. (4.) כור *Corus* 4320. ova, sunt mensuræ liquidorum V. T. Sed (5.) Ξέϛης *Xestes* comprehendens 6. ova (6.) Μετρητὴς *Metreta* 432. ova. (7.) Βάτος *batus* totidem, sunt mensuræ liquidorum N. T.

14. An non textus sacer, dicens *mare æneum* 1 *Reg.* 7: 26. continuisse *bis mille bathos*, contrarietur textui 2 *Chron.* 4: 5. dicenti illud continuisse *ter mille bathos*? Non. Nam in priori loco agitur de impletione communi, in posteriori vero de plenaria impletione usque ad summitatem. Vel dicendum est, in priori loco agi de bathis sacris, quorum duo continebant tres communes sive profanos. *Vide suprà dissert.* 31.

3. R. De Abrogat. Leg. Cærem. & Forens.

15. Leges Politicæ Veteris T. quà tales, nos sub N. T. non obligant. Ut de zelotypia *Num.* 5: 12. & seqq. De pœna furti *Exod.* 22: 1. De divortio *Deut.* 24: 1. De asylis *Exod.* 21: 13. De violato Sabbatho *Exod.* 31: 14. *Num.* 15: 35. &c. Nam illæ leges illi populo in tali loco habitanti traditæ fuerunt. An non quædam leges Politicæ V. T. jam sub N. T. à Christianis observantur? Imo, non tamen ut Judaicæ, sed quatenus in naturali & communi æquitate sunt fundatæ. Ita homicidium jam punitur morte, uti lex Politica, *Exod.* 21: 12. mandavit.

16. Jam impossibile est omnes leges Ceremoniales observare: ex. gr. Impossibile jam est ex Indiâ, Europâ, & ex multis aliis locis ter Hierosolymam quotannis ire, &c. Etiam jam non est necessarium eas leges obser-

vare:

Digitized by Google

vare: quia Messias, ad quem leges Cærem. respiciebant, ante multa secula in Mundum venit.

17. Sententia de Abolitione legum Cærem. non infringitur. 1 ex *Psal.* 19: 8. *Lex Jehovæ est perfecta.* 2. Nec ex *Deut.* 4: 2. *Ne detrahite de verbo Dei.* 3. Nec ex *Deut.* 29: 29. ubi habetur לעולם *usque in seculum*, & *Lev.* 23: 14. חקת עולם *statutum perpetuum.* 4. Non sequitur, Si Deus non mutatur, ergo neque ejus lex. 5. Nec ex *Matth.* 5: 17. *Non veni legem solvere, sed implere*: nam Mattheus loquitur de lege Morali.

18. An sacrificia in V. T. per se placuerint Deo? Non: Sed è contra Deus ea sæpe reprobavit, *Jes.* 1: 11, 13. *Psal.* 40: 7. &c. An potuerint per se expiare peccata? Non. An temporibus Messiæ sint abolenda omnia scripta Prophetarum & Hagiographorum, exceptâ solâ historiâ Estheris? Non. An porcus propterea vocetur חזיר à חזר *reduxit*, quia Deus esum ejus aliquando reducturus est? Non. *Vide Hoornbeeck c. Jud. l.* 7. *c.* 1.

19. Muhamedani vocantur. 1. Populus Muhamedis. 2. Populus libri. 4. *J.*
3. Populus congregationis, propter diem Veneris qui ipsis sacer est. 4. Populus legis. 5. Populus respectûs. 6. Moslemanni. 7. Ismaëlitæ. 8. Hagareni. Unde sic vocantur; An ab Hagar ancillâ Abrahami? Non, sed ab Hagara *aufugit*, quia aufugit cum nova dogmata cudere vellet.

20. (9.) Saraceni. Unde sic nominantur? Non à Sara, quasi potius à 620.
Sara voluerint denominari, quàm ab ancillâ; non à Saraka urbe Arabiæ; sed à סרק *furatus est*: quia gens Arabum latrociniis erat dedita; & propterea ita à vicinis fuit vocata. Unde Arabes habent nomen? Non à ערב *vespera*, quia ad occasum sunt siti; non à ערב *miscere*, quia est gens ex variis mista, sed à ערבה *deserto*.

CAPUT XXXII.

Sect. 1. NOmen אֱלוֹהַּ est primitivum, & non denotat hanc vel illam proprietatem Divinam, sed in genere *Deum*, idem quod Θεὸς *Deus.* Tributur Magistratui, Angelis & falsis Diis. 1. *H. De Nomin. Dei.*

2. Utrum primariò tribuatur Deo; an verò creaturis? Primariò Deo, & secundariò creaturis.

3. An ex nomine pluralis numeri *Elohim* conjuncto cum verbo singulari (ex. gr. בָּרָא אֱלֹהִים) possit probari Trinitas personarum, vel ad minimum pluralitas Personarum in unicâ essentiâ Divinâ? Neg. cum plerisque Philologis. *Vide dissert.* 32. *Philol. Hebræi.*

4. Mensuræ intervallorum V. T. sunt, 1. Digitus. 2. Palmus. 3. Spithama. 4. Pedes. 5. Gressus sive passus. 6. Cubitus. 7. Funiculus. 8. Calamus 2. *M. De Men-*

Digitized by Google

Spur. intervall. lamus mensorius. 9. Jugera vinearum. 10. Milliare. Novi Test. sunt 1. Stadium. 2. Iter Sabbathi. 3. Milliare.

5. Quid *Psal.* 36 : 6. significat *palmos* sive plamares *dedisti dies meos?* Hoc est, paucissimos.

6. Cubitus est quadruplex. 1. *Communis*, continens spatium à medio brachii usque ad extremos digitos. 2. *Sacer*, est duplo major communi, 3. Cubitus *Regis*, tribus digitis longior communi. 4. *Geometricus*, qui continet sex Cubitos communes.

7. Qualis cubitus intelligitur *Gen.* 6 : 15. ubi arcæ longitudo dicitur fuisse *trecentorum cubitorum?* Geometricus.

8. An non pugnent duo loca, scil. 2. *Chron.* 3 : 15. ubi columnæ longitudo dicitur fuisse *triginta quinque cubitorum*, cum 1. *Reg.* 7 : 15. ubi altitudo columnæ dicitur fuisse tantùm *octodecim cubitorum? Resp.* In priori loco intelliguntur cubiti communes, addatur illis unus cubitus pro altitudine basis, sunt 36. In posteriori verò loco intelliguntur Sacri.

9. Quantum denotant *jugera vinearum*, Jes. 5 : 10.? Tantum quantum par boum aut equorum uno die arare potest.

10. Vicus Emmaus, *Luc.* 24 : 13. distans Hierosolymâ 60. stadiis, ferè duobus milliaribus Germanicis distabat: nam 32. stadia faciunt milliare Germanicum. Quot passus continet stadium? 125. An minores, quorum singuli constituunt spatium duorum pedum & semissis; an verò majores, h. e. quinque pedum? Resp. majores.

11. Quantum spatium est iter Sabbathi? Est spatium bis mille passuum minorum.

12. An Deus dedit tale præceptum itineris Sabbathi? Non. A quibus igitur illud est excogitatum? A Judæis. Quare? Exod. 16 : 29. mandat Deus, *ut quisque maneret in loco suo*; sed Lev. 23 : 2. habetur, *Die septimo erit Sabbathum & convocatio sancta.* Ergo si debuerunt adire locum sacrum, etiam debuerunt exire ex loco suo. Judæi ergo suo more illud determinârunt. *Vide de his suprà dissert.* 32.

3. R. De festo lætitiæ Legis, Encæn. & Purim. 13. An *festum lætitiæ Legis*, scil. absolutæ, sit institutum à Deo, & an sit celebrandum? Neg. utr. An, quando hoc die omnes libri ex arca promuntur, necesse sit candelam ardentem in arca collocare? Non. An hoc festum benè celebretur, si indulgeant genio, & lauti cibi comedantur? Non. An nulla lætitia sit perfecta, ubi caro & vinum absunt? Neg.

14. An festum Encæniorum Judaicorum sit institutum jussu Dei 1. *Macch.* 4. Et an sit per octiduum celebrandum? Neg. utr. An oleum illud sacrum (ob quod festum hoc institutum est) quod uni tantùm diei sufficiebat; miraculosè

culosè arserit per octiduum; & an exactis illis octo diebus ampulla olei adhuc fuerit plena? Fabulæ.

15. An necesse sit nocte primâ hujus festi accendere unam lucernam, secundâ duas, &c. & octavâ octo? Non. An illæ lucernæ sint reponendæ extrinsecus ad fores ædium, & quidem à latere sinistro januæ? Non est necesse. Quare per octiduum celebretur? Quia inimici ipsorum interdixerant ipsis circumcisione, quæ octavâ die est facienda.

16. An necesse sit decem nomina filiorum Hamanis per spatia vacua in MSS. describere, vel in impressis libris imprimere? Non. Quare decem illa nomina filiorum in linea perpendiculari, unum supra aliud, describantur? Quia credunt omnes in una linea perpendiculari, unum supra alterum, suspensos fuisse. An hoc est verum? Non videtur probabile Quare nomina decem filiorum unico quasi momento raptissimè in Synagoga legantur? Quia credunt eos omnes simul, unico quasi momento, mortuos esse.

17. Ebrietas in festo Purim commissa, impiè excusatur à Judæis. Fabula est, quæ in Talmude de Rabbi Sira narratur, quod ebrius hominem occiderit, qui è mortuis postea suscitabatur, quia ex ebrietate in hoc festo homicidium hoc commiserat. Festum hoc profanatur per homines, variegatis vestibus indutos, discursitantes per Synagogas.

18. An exinde, quia Mordechai & Esthera (*Esth.* c. 9. v. 17. *& seqq.*) instituerunt festum Purim (h.e. sortium) benè probentur jejunia Pontificiorum? Nullo modo. An Mordechai illud festum spiritu prophetico instituerit? Videtur affirm. An necesse sit munera sibi invicem mittere? Non. An omnis planctus mortui hoc die sit prohibitus? Non. *Vide Synag. Buxt. c.* 27. 28. 29.

19. An Muhamed laboraverit morbo epileptico? Imo, sed se pro- 4. J.
pheticâ exstasi, vel angelorum circumfulgente majestate excusabat. An Muhamed, dormiens inter undecim uxores, fuerit excitatus ab Angelo, ut mulum conscenderet? Nugæ. An Hierosolymâ per scalam in Cœlum ascenderit, & ad Deum accesserit ad duos sagittæ ictus? Non.

20. Alcoranus constat partim dogmatibus Christianorum, partim Ju- 640.
dæorum. Muhamed usus est Sergio Monacho, & duobus Judæis, scil. Phineâ & Abdiâ, qui in componendo Alcorano adjuverunt. An Muhamedani plane rejiciant nostram Scripturam? Non: nam agnoscunt Legem Mosis, Psalterium Davidis & Evangelium Christi.

Caput XXXIII.

1. H. De integr. V. T. *Sect.* 1. Textus Hebraicus Veteris T. unà cum quibusdam capitibus Chaldaicis in Daniele, Ezrâ, & undecimo versu capitis decimi Jeremiæ occurrentibus, est authenticus.

2. In plerisque Codicibus Hebraicis V. T. sunt nonnullæ mendæ ex oscitantiâ Scribarum vel Typographorum ortæ; inde tamen non sequitur Textum Hebræum esse corruptum.

3. Pessimè Pontificii Editionem Plantini A. 1572. corruperunt, ponendo pro הוא *Gen.* 3:15. היא.

4. An si omne Maccaph, Methegh, Pesik, & Dagesch lene ex Bibliis periissent; inde sequeretur Codicem Hebræum esse corruptum, ut non possit esse regula fidei & morum? Neg.

5. An Judæi unquam voluerint Vetus T. corrumpere? Non.

6. An Judæi vel Christiani unquam idem potuerint corrumpere? Neg. An revera sit corruptum? Neg. *Vide differt.* 33. *Philol. Hebrai.*

2. M. De Mensur. Tempor. 7. Dies *naturalis* continet 24. & *artificialis* tantùm 12. horas. Naturalis est vel *civilis*, destinatus operibus civilibus, incipiens ab ortu Solis, & durans usque ad ortum Solis diei sequentis, Matth. 28:1. vel *sacer*, destinatus exercitiis sacris, incipiens ab occasu Solis, & durans usque ad occasum diei sequentis, *Gen.* 1:6. An, sicut dies fuit longior vel brevior, ita etiam horæ fuerint longiores vel breviores? Imo.

8. Utrum Judæi solent Sabbathum & festa supputare secundùm diem civilem; an verò secundùm sacrum? Aff. post. Unde Romani supputârint dies? A mediâ nocte. Sic & nos. Si triduana Christi mansio more Romano supputetur, multo facilius ea institui potest, quàm si Judaico more fiat.

9. Nox dividitur in 4. vigilias, & ἀλεκτοροφωνία *gallicinium* est tertia vigilia, incipiens ab horâ nocturna duodecimâ, & durans usque ad tertiam, nostro supputandi modo.

10. An tres horæ precum more Judaico, scil. tertia, sexta & nona, sint institutæ per Abrahamum, Isaacum, & Jacobum? Neg.

11. Hebdomada est diaria sive dierum, & annalis sive annorum. Apud *Dan.* 9:24. *Hebdomadæ* 70. *decisæ sunt*, intelliguntur annales, singulæ denotantes 7. annos; ergo simul denotant 490. annos.

12. An Judæi benefaciant quod anno secundo, vel ad summum tertio integrum mensem, h. e. alterum Februarium adjiciant; ut annum solarem, habentem 365. dies, faciant respondere anno lunari, in quo tantùm sunt 354. dies? Aff. *Vide suprà differt.* 33.

13. Judæi

13. Judæi ſtatuunt gratiam Dei requiri quidem ad bona opera præſtan- *3. C. De*
da & perficienda, ſed non ad eadem inchoanda, h. e. ſtatuunt hominem *converſ.*
ex ſe, ſuisque viribus ſufficere ad opus bonum benè incipiendum, ſed *hominis* *& Tephil-*
progreſſum & profectum requiri Dei auxilium. *lin.*

14. Reformati contrarium probant ex ſeqq. textibus (1) Gen. 6: 5. & 8: 21. Ubi *figmentum cordis* dicitur eſſe *malum.* (2) Pſal. 51: 12. Deo adſcribitur *creatio cordis puri* (3) *Tractio*, Cant. 1: 4. *Trahe me.* (4) *Datio cordis & ſpiritus novi, & ablatio cordis lapidei,* Ezech. 36: 26, 27. (5) *Converſio*, Jer. 31: 18. *Converte me ut convertar.*

15. Sententia Aben Ezræ ſtatuentis האדם *Adamum* ſcribi cum He demonſtrativo; quia in Adamo notantur omnes ejus poſteri, nobis non videtur abſurda: nam nomina propria aliàs non ſolent notari cum tali He.

16. Utrum Judæorum Tephillin, quæ capiti & ſiniſtro brachio alligantur, vocentur φυλακτήρια, quia quoſdam S. Scripturæ textus conſervant; an quia conſervant ipſos geſtatores, qui ea induerunt? Primitùs ita vocata fuerunt à textibus quos conſervabant; ſed poſtea, accedente Judæorum ſuperſtitione, & falſâ de viribus Phylacteriorum opinione, etiam ita vocata ſunt, quia credebantur ea poſſe ipſos geſtatores ſervare.

17. An טוטפות *Totaphoth*, Deut. 6: 8. benè à Judæis vertantur per תפילין *precatoria*? Non.

18. Unde illa vox טוטפות *Totaphoth* derivatur? 1. Manahem derivat à loquendo ab הטיף, quod propriè *ſtillare* denotat. 2. Gerundenſis ait pluraliter dici Totaphoth, quia plures domos continet. 3. Kimchi & Jarchi in *Exod.* 13: 16. ſtatuunt, quod componatur ex טט in linguâ Ægyptiacâ *duo* & ex פת in linguâ Africanâ etiam *duo* denotante; quia continet quatuor cellulas. 4. Aben Eſra ait eſſe כמו זכרון *ut memoriale.* 5. Sunt qui vertunt per *conſpicilla.* 6. Quidam ajunt Totaphot ſignificare capitis partem juxta frontem. 7. Omnium optimè ſtatuunt alii ea ſic denominari, quia ſunt in capite inter oculos ex ſignificatione *reſpiciendi*, à טוף *reſpicere, proſpicere. Vide Druſium de 3. Sect. l. 2. Lex. Talm.* p. 870. *Hoornbeek c. Jud. l. 7. capp. 2, 3.*

19. Muhamed non fuit verus Propheta. 1. In eo enim nihil fuit quod *4. J.*
ſapit Prophetam 2. Fuit homo libidinoſus & ſalax. 3. Contraria multa dixit. 4. Nihil futurorum unquam prædixit. 5. Vulgò habitus fuit pro homine fanatico, ſtulto & dæmoniaco.

20. Alcoranus non eſt Verbum Dei. 1. Multa habet contradictoria. 2. *660.*
Hiſtorias V. T. mutilat; ex. gr. Joſephi innocentia dicitur probata ex interulâ ruptâ poſt; Salomo collegit magnum exercitum ex hominibus, be-

stiis, &c. & pugnavit contra formicas? Maria mater Christi fuit Mirjam soror Aaronis. 3. Nullus planè ordo servatur. 4. Multa sunt mendacia & figmenta, scil. quod bos in cornu suo ferat terram; quod Angeli portent thronum Dei, quorum tanta sunt capita, ut avis per mille annos volando non perveniret ab una aure ad aliam; quod septem dormientes fuerint; quod Alexander ad occasum solis pervenerit, & ipsum locum viderit, ubi sol se in calidum fontem abscondit.

CAPUT XXXIV.

1. H. De Pentat. MSS.

Sect. 1. AN ex curiosa descriptione Pentateuchorum possit probari Judæos datâ operâ Vetus T. non corrupisse? Aff.

2. Judæi tamen in exscribendis Pentateuchis & libris Estheræ sunt nimis superstitiosi, postulantes membranam animalis puri; talem ejusdem dimensionem & non aliam; latitudinem sesquiulnæ, & longitudinem 50. ulnarum; talem membranarum consutionem; tale literarum, vocum & regularum spatium; & nescio quas non præterea nugas.

3. An tactus fasciæ, cui lex involvitur, sit remedium adversus oris fœtorem & oculorum lippitudinem, uti credunt Judæi? Neg.

4. Superstitiosum est scribere literam פ duplicatam, & ח gibbosam in Pentateuchis, in libris Estheræ, in Mezuzoth & in phylacteriis; & ה in יהוה per ר. & in אלהים per ד vel ק.

5. Viginti vitia, quæ à Maimonide *Hal. Thephillin. cap.* 10. enumerantur, non efficiunt (pleraque scil.) libros sacros profanos, & ineptos ad legendum ex illis. Absurdum est libros inveteratos cum hominibus probis sepelire. *Vide diss.* 34. *Philol. Hebræi.*

2. M. De anno & Sabb.

6. Anni Judæorum civiles secundùm supputationem à creatione Mundi incipiunt in Tisri (*Septembri*;) sed anni sacri incipiunt in Nisan (*Martio*).

7. Quare Deus aliud initium annorum, scil. sacrum in Martio, *Exod.* 12:2. instituit? Ut Israelitæ memoriam liberationis Ægyptiacæ conservarent. An non plura fuerunt initia annorum quàm hæc duo? Fuerunt in genere quatuor initia annorum.

8. Judæi annos à creatione Mundi supputant, & ut plurimùm omissis millenariis centenarios retinent, quibus centenariis si 1240. anni addantur, oritur æra Christianorum.

9. Festum Tubarum celebrandum fuit primo die novi anni, & institutum est *Lev.* 23:24, 25. Quare? Ut Israelitæ ad cætera festa redderentur attentiores. An Deus hoc primo die novi anni adhuc aliud festum instituerit, quod vocatur *festum novi anni?* Celebratur quidem à Judæis, sed non secundùm legem Dei.

10. Vox

Digitized by Google

10. Vox Sabbathi in S. Scripturâ est valde ambigua, & significat vel Sabbathum propriè dictum; vel omnia festa; vel septimum annum; vel festum expiationis; vel totam hebdomadam. *Vide suprà dissert.* 34.

11. An Judæi jam teneantur celebrare quatuor illa publica jejunia, quorum meminit Zacharias *cap.* 8: 19.? Non. Qualia sunt illa? *Primum* est Jejunium diei decimi mensis טבת (Decembris;) quia Nebucadnetzar cœpit Hierosolymam obsidere. *Secundum* est jejunium decimi septimi diei mensis Tammus (Junii;) quia duæ legis tabulæ lapideæ dicuntur confractæ; quia oblatio quotidiana cessavit; & quia sacrum legis exemplar combustum est, &c. An dies intercedentes inter hunc & diem nonum mensis sequentis sint dies infausti; An tum infaustum sydus Judæis prædominetur? Nugæ. An Judæi habeant veras causas quare hoc tempore non audeant liberos suos verberare, nec soli ambulare à nonâ matutinâ usque ad tertiam vespertinam? Non. *3. R. De Judæorum Jejuniis & Domibus.*

12. *Tertium* celebratur die nono mensis אב (Julii.) Quare? 1. Quia templum primum & secundum igne immisso periit. 2. Urbs Bitter hoc die vastata est, &c. An per octo antecedentes dies debeat fieri curiosa præparatio ad hoc jejunium? Non. An conveniat ante diem jejunii comedere lentes, pisa, ova, &c.? Ridiculum. An teneantur tum sedere in terrâ? An unusquisque solus teneatur edere? Non.

13. An ipso die nono liceat studere in S. Scripturâ? Imo. An gravidis & lactantibus liceat hoc die edere? Imo. An teneantur calceos exuere, nudis pedibus in Synagogam ire, in cœmiterium se conferre, & die sequenti decimo etiam jejunare? Non. *Quartum* celebratur tertio die mensis Tisri (Septembris.) Quare? In memoriam præfecti Godoliæ, qui hostium dolis est trucidatus, *Jer.* 40, & 41.

14. An Judæi teneantur jejunare bis hebdomade, scil. diebus Lunæ & Jovis (*Luc.* 18.) propter vastationem templi, propter combustum Sanctuarium, & propter prophanationem Nominis Dei? Non. An item 10. Martii propter mortem Mariæ prophetissæ, aut 26. ob mortem Josuæ? Non. An item 10. Apr. ob mortem Eli & duorum filiorum; aut die octavo & vigesimo propter mortem Samuelis, &c.? Non. An illi, cujus pater mortuus est, sit per totam vitam eo die jejunandum? Non.

15. An jejunans teneatur à vespera usque ad vesperam, h. e. per 24. horas ab omni prorsus cibo abstinere? Non. An liceat privatim jejunare die Sabbathi, die novilunii, die festi, diebus dedicationis templi, & Purim, &c.? Imo. An Moses jejunaverit stans in circulo? Fabula. An jejunia temporibus Messiæ sint cessatura? Neg.

16. An

Digitized by Google

16. An Judæus ædificans vel renovans domum teneatur partem aliquam parietis ad magnitudinem cubiti prope januam non dealbare, vel nigro tectorio obducere in memoriam vastationis Templi, cum inscriptione זכר לחרבן *Memoriale vastationis*? Non. Quare Judæi nullas soleant habere picturas? Ne occasionem præberent idololatriæ.

17. An, quia Deus *Deut. 6 : 9.* dixit; *Scribes ea in postibus domûs tua*, &c. Judæi teneantur quosdam textus ex *Deut. 6*, & 11. membranæ inscribere, eamque claudere, & omnibus januis affigere; Neg. an aversæ parti Mesusæ sit inscribendum nomen Dei שדי *Schaddai*? Neg. An quoties homo pius domo suâ egreditur, vel eam ingreditur, Mesusam illam manu suâ tangere debeat? Est superstitiosum.

18. An si Mesusa non sit affixa postibus, dæmones maligni statim immigrent in eam domum? N. Quare Mesusa postibus affigitur? Ut in memoriam sibi revocent Dei unitatem, providentiam, potentiam, legem, &c. An, qui præceptum Mesusæ benè observat, ejus & liberorum dies prolongentur? Nugæ. *Vide Synag. Buxt. cap. 30. & 31.*

4. 9. 19. Muhammedani non contemnenda, licet quædam sint falsa, de nostra religione statuunt, scil. 1. Quod Maria fuerit & manserit virgo. 2. Quod non fuerit contaminata peccato originali. 3. Quod miraculoso modo in templo fuerit sustentata. 4. Quod Gabriel eam salutaverit, & quod anno 13. conceperit, & octavo mense à conceptione peperit.

610. 20. 5. Quod Christus fuerit propheta, quod ei datum fuerit Evangelium. 6. Quod miracula fecerit, scil. leprosos mundaverit, & mortuos suscitaverit. 7. Quod Johannes & Christus fuerint patrueles. 8. Quod Johannes sit decollatus ab Herode, & quod sanguis ita ex sepulchro ebulliverit, ut ædes regiæ & loco vicina eo redundarint. An anima Mosis per nasum sit extracta? Nugæ.

CAPUT XXXV.

1. H. De 613. præc. Pentat. *Sect.* 1. AN duo priora præcepta Decalogi sint immediatè à Deo tradita populo & Mosi? Neg. Quomodo ergo Decalogi præcepta sunt tradita populo? Per Mosen. An omnia eodem modo? Imo.

2. An Deus propterea in Decalogo Hebraico, exceptis duabus ultimis vocibus, posuerit 613. literas; quia tot sunt præcepta, partim negativa, partim affirmativa in toto Pentateucho? Neg.

3. An Deus in Pentateucho dederit 248. præcepta affirm. quia tot sunt membra in corpore humano; & 365. negativa, quia tot sunt dies in anno, vel quia tot sunt venæ in corpore humano? Neg. utrumque.

4. An revera in Pentateucho sint 613. præcepta, non pauciora vel plura? Neg.

5. An

5. An Christus, *Matt.* 23:5. improbaverit fimbrias Judæorum ut sic, quando ait, *producunt fimbrias?* Neg. An inde non possit probari quod eas improbaverit? Neg.

6. An Judæi unquam eadem 613. Præcepta observârint, vel potuerint post lapsum observare? Neg.

7. An Judæi secundùm Legem Dei teneantur hoc tempore illa 613. præcepta observare? Non, fortasse vix quartam eorum partem. Vide post priorem editionem Philologi Hebræi in Prolegomenis ad præcepta, & in posteriori editione dissertationem quintam.

8. *Misna* in tractatu de Sabbatho docet multas nugas esse observandas, quas Deus in Lege non mandavit. Misnam imitantur *Maimonides* in tractatu de Sabbatho, & *liber præceptorum magnus*. Judæorum Sabbathum consistit præcipuè in observatione rerum minimarum & ridicularum nugarum; non verò in cultu Divino & bonis operibus. *2. M. De Sabbatho.*

9. An Sabbathum propterea vocetur in S. Scriptura ענג *deliciæ*, quia Judæi eo die hilares esse debent in cibo & potu, magis quàm aliis diebus? Neg. An teneantur etiam pauperculi Judæi & Judææ, Sabbatho tria convivia celebrare, etiam lautiora? Non. An ipso Sabbatho diutius sit dormiendum quàm aliis diebus? An item nuptiæ tum magis sint celebrandæ quàm aliis diebus? Neg. utr. c. Jud. *Vide suprà dissert.* 35.

10. An liceat jurare per vitam, caput, coronam Regis, per caput proprium, per templum, altare Dei, fidem, cœlum, terram, solem, per Prophetam aliquem, per libros sacros, per legem Mosis, per Decalogum, per Mosem ipsum, per vitam Rabbinorum, aut per ullas alias creaturas, uti faciunt Judæi? Non. *3. O. De Juramento & Sabbatho.*

11. S. Scriptura docet per Deum esse jurandum, Deut. 6: 13. & cap. 10:20. *Deum timeto & per nomen ejus jurato.* Deus per se ipsum juravit *Jes.* 45:23. *Per me juravi.*

12. Juramenta per creaturas non probantur 1. exemplo Josephi, *Gen.* 42: 15, 16. dicentis, *ita vivat Pharao.* Nam fortè non est juramentum, sed gravior aliqua asseveratio; Vel si est juramentum: ergo Joseph ex consuetudine aulæ peccavit. Nec. 2. ex *Amos.* 8. 7. *Dominus juravit per excellentiam Jacobi;* nam per eam intelligitur ipse Deus.

13. An juramenta temeraria, sive per Deum, sive per creaturas facta, etiam sint illicita? Aff.

14. Unde videtur nata consuetudo inter multos Christianos ponendi manum super Evangelia cum juramentum exigitur? A Judæis, qui, quando jurant juramentum quod magni faciunt, solent ponere manum super librum legis. *Vide Drusium de 3. sect. l. 2. c. 16.*

Digitized by Google

15. An licet comedere poma Sabbatho decerpta? An liceat eadem apponere igni ut assentur? An item licet comedere ovum Sabbatho, quod editum est illo die? Aff. c. Jud. An Judæi. quando celebrant Sabbatho tria convivia, propterea evadunt tria gravissima mala, scil. dolores Messiæ, judicium gehennæ, bellum Gogi ac Magogi? Neg.

16. An diaboli sub Sabbathi initium ad montes tenebricosos confugiant propter Sabbathi & Judæorum illo die sanctitatem, & finito Sabbatho revertantur? Nugæ. An, si Judæi vel unum Sabbathum legitimè observarent, mox advolaret Messias? Et an Messias propterea retardet venire, quia Judæi Sabbathum non benè observârunt? Neg. c. Jud.

17. An licet ipso Sabbatho non tantùm pro se & vitâ suâ pugnare; sed etiam hostem (si occasio bona eum pellendi sese offerat) adoriri; & munimenta, quæ illo die strueret, deturbare, aut demoliri? Aff. An præceptum de Sabbatho non sit Israelitis traditum publicè instar reliquorum præceptorum, sed privatim? Neg. An soli Israelitæ sint obligati ad observandum Sabbathum, & cæteræ nationes tantùm teneantur ejus recordari? Et an propterea in Exodo habeatur זכור *recordare*, & in Deut. שמור *observa?* Neg.

18. Nonnulli ex Judæis statuunt Sabbathum demum esse institutum cum datâ Lege; cum tamen *Gen.* 2. habeatur, *Et benedixit & sanctificavit diem illum.* Sed ipse Menasse problem. 8. de Creat. tales Judæos refutat. An Adamus horâ diei septimâ, vesperâ Sabbathi ingressus fuerit hortum paradysi, eodemque die, inter occasum solis inde propter peccatum expulsus, Angelis acclamantibus, &c.? Neg. *Vide Hoornbeek c. Jud. l.* 7. *c.* 4, *&* 5.

4. F. 19. Muhamedani mira fabulantur de creatione & quibusdam creatis. 1. Quod Deus propriâ manu creaverit *pennam* longitudine quingentorum annorum itineris; *Adamum*; *Thronum suum*; & *Paradysum.* 2. Quod stellæ scintillent; quia ignem evomunt, quem in obvios diabolos, volentes intrare paradysum, emittunt. 3. Quod luna soli æqualis fuerit, quodque Gabriel nocte Cœlo descendens alâ suâ lunam attigerit, & attingendo tantam partem ei abstulerit. 4. Quod angeli sint alati. 5. Quod diaboli sint creati ex igne pestilentiali. 6. Quod anima homine dormiente extrahatur. 7. Quod arbor, ex quâ edit Adam, habuerit septem spicas, quarum unam, continentem quinque grana, aufregit.

700. 20. Muhamedani circumcidunt, circumcisionis convivium triduanum lautissimum celebrant, varias observant lotiones, quinquies quotidie orant: aliquando inter orandum ita corpus jactant, ut vertiginem & animi deliquium patiantur.

CEN-

Digitized by Google

CENTURIA OCTAVA.

CAPUT XXXVI.

Sect. 1. JUdæi vocant N. T. תּוֹרָה חֲדָשָׁה *Novam Legem*, Syri & Græci *Novum Fœdus*, sive *Testamentum*. Variæ rationes hujus appellationis dari possunt.

2. Novum T. Græcè scriptum est authenticum: propterea textui Græco major fides est adhibenda quàm ulli alii versioni. An Novum T. necessariò debuit Græcè conscribi? Imò. Quare? Quia Lingua Græca tum fuit omnium linguarum familiarissima, longè latèque per orbem diffusa. *1. Gra. De ling. authen. N. T.*

3. An lingua Novi T. est revera Græca? Est quidem Græca qualis temporibus Christi & Apostolorum fuit usitata sed non talis qualis est usitata in profanis auctoribus.

4. An Homerus, Plato, Demosthenes, aliique Græci auctores, si reviviscerent, possent Novum T. Græcum benè, saltem quoad literalem sensum, intelligere? Non. Scriptores Novi T. habuerunt certas rationes, ob quas non fuerunt usi stylo planè Græco & oratorio; sed potius stylo simplici, vulgari, & Hebraismis permixto. Stylus Novi T. potest vocari *Hebraizans*.

5. Novum T. optimè dividitur in tres partes. *Prima* pars continet *Historicos*, scil. Matthæum, Marcum, Lucam, Johannem & Acta. *Secunda* comprehendit *dogmaticos*, h. e. epistolas 21. scil. decem ad totas Ecclesias, ad *Rom.* duas ad *Corint.* ad *Gal.* ad *Ephes.* ad *Philipp.* ad *Coloss.* duas ad *Thess.* & ad *Hebr.* quatuor ad certas personas, duas ad *Timot.* ad *Tit.* & ad *Philem.* Septem aliorum Apostolorum, scil. *Jacobi*, duas *Petri*, tres *Johannis*, & *Judæ*. *Tertia* pars continet librum *Propheticum*, h. e. *Apocalypsin*.

6. Frustrà Ecclesia antiqua dubitavit de decem textibus Novi T. scil. (1.) de ultimo capite Marci à versu 9. usque ad finem. (2.) de versu 43. & 44. capitis 22. Luc. (3.) de capite 8. Johannis à versu 1. usque ad 12. (4.) de epistola ad Hebræos. (5.) de epistola Jacobi. (6.) de 2. epist. Petri. (7.) & (8.) de 2. & 3. epist. Johannis. (9.) de epist. Judæ. (10.) de Apocalypsi.

7. Veteres diversimodè libros Novi T. in Capita diviserunt. Ante quingentos vel sexcentos circitèr annos nulla distinctio Capitum in N. T. fuit observata. A quibus igitur hodierna & recentior distinctio Capitum in N. T. est inventa? Nescimus.

Digitized by Google

Hugo Cardinalis anno 1240. distinxit Capita per literas Alphabethi, scil per A. B. C. D. E. F. G. quæ in Vulgatis Edit. adhuc conspiciuntur.

Robertus Stephanus, pater Henrici Stephani, anno circitèr 1551. proficiscens Parisiis Lugdunum, in via versiculos Novi T. confecit, & quidem magnam eorum partem equitans. *Vide in Philologo Græco, dissert.* 1, 2. *&* 3.

2. M. De Sabbatho. 8. An illicitum est Sabbatho deprecari mala, petere misericordias, etiam temporibus adversis? Neg.

9. Opera necessitatis, charitatis, pietatis & civilis honestatis possunt Sabbatho fieri sine peccato.

10. An licet Judæum, non ad mortem ægrum, sanare Sabbatho? An item se defendere contra hostium insultus? Aff. utr.

11. An temporibus Christi licitum fuit, etiam secundùm Leges Judæorum, extrahere bestiam ex foveâ? Aff. *Matth.* 12: 11. An item jam? Non. An jam non licet hominem extrahere secundùm leges Judaicas ex latrinâ? Non. Quare posterioribus temporibus hæc interdixerunt? Fortè in odium Novi T. vel religionis Christianæ. An Judæi audent Sabbatho vaccam mulgere, fracturam pedis aut manus restituere; vel Christianam juvare in pariendo; vel incendium extinguere; vel bona ex incendio extrahere; nisi homines, libros sacros & cibum Sabbathicum? Non audent.

12. An Reformati, strictam & accuratam Sabbathi Christiani observationem urgentes, Judaismi accusari possint? Non. An illi potius judaizare, & Judaismum introducere videantur, qui sunt laxi casuistæ, qui dormiendo, edendo & bibendo Sabbathum transigunt, & qui nugatorias tantùm quæstiones magis ad illaqueandos alios, quàm ad semetipsos informandos continuò movent? Aff.

13. An mulieres Judææ tenentur ante Sabbathum luces Sabbathinas accendere? Et an illæ luces distinguunt Sabbathum à diebus profanis? An item mulieres moriuntur in puerperio si eas luces non accendant? Neg. c. Jud. *Vide suprà dissert.* 36.

3. R. De Judæor. vestitu Vasis culin. & challa. 14. An quia legitur Levit. 19: 19. *Vestimentum ex heterogeneis confectum non ascendat super te*, & Deut. 22: 11. *Non induas te vestimento ex lana & lino simul confecto*, benè probetur jam sub N. T. interdici vestimenta pexa, neta & contexta ex lana & lino? Non. Quorum animalium lanam intelligunt Judæi? Ovium & arietum. An unicum filum lineum in veste laneâ amplâ faciat illam vestem prohibitam? Non. An sit prohibitum tenere ovum calidum in linteo heterogeneo? Non. An Judæus accipiens vestem à Christiano contextam ex lana & lino teneatur eam dissuere; & lanam à lino

Digitized by Google

lino separare? Non. An si quis alium, etiam præceptorem suum, tali veste indutum videat, possit, vel debeat etiam ipsi in publicâ plateâ auferre? Non. Quare Deus in V. T. tale præceptum dedit? Judæi ajunt; quia olim Sacerdotes idololatrici talibus vestibus induti fuerunt.

15. An quia interdicitur Levit. 19:27. *Non corrumpes extremitatem barba tua*, benè probetur jam non licere mystaces, vel barbam in mento novaculâ abradere? Neg. An necesse sit eas partes forficibus tondere? Non.

16. An, quia prohibetur *Exod.* 23: 19. *Non coques hadum in lacte matris sua*, indè benè probentur. 1. Non licere uti vasis culinariis testaceis vel ligneis, quibus unquam Christianus usus est. 2. Judæos debere uti distinctis vasis, in quibus carnes, & in quibus pisces aut cibos lactarios coquunt; item diversis cultris, diversis salinis, diversis mappis, diversis armariis, in quibus illa vasa reconduntur. 3. Carnes esse illicitas quæ in vase lactario sunt coctæ. 4. Carnes, & pisces sive cibos lactarios non licere simul coquere in eodem foco, nec simul mensæ imponere. 5. Ovum in vase carnibus destinato non esse elixandum; ovum esse aperiendum à parte acutâ. 6. Lac, quod emulsit Christianus, esse Judæis prohibitum; item caseum Christianum? Neg.

17. Quomodo Judæi vasa lactaria distinguunt à vasis carni destinatis? Vasa lactaria tribus distinctis notis signant; lignea & cultros lactarios tribus incisuris distinguunt. Vel ollis inscribunt חלב *lac*, aut בשר *caro*: ita etiam distinguunt mappas, &c. An Judæi teneantur vasa nova aurea, argentea, &c. abluere, & ferrea igne purgare; quia habetur *Num.* 31: 23. *Omne quod potest transire per flammas, igne purgabitur, & quod ignem non potest sustinere, per aquam traducetis*? Non. An aqua non sit bibenda tempore alicujus Solstitii vel Æquinoctii? An item, quæ non fuerit tecta? An nulla moneta ori indenda? Nugæ.

18. An quia legitur *Num.* 15: 20. *De primitiis pastarum vestrarum* (*chalda*) placentam *offeretis in oblationem*, inde probetur, quod quadragesima quarta pars totius massæ, factæ ex tritico, vel ex hordeo, speltâ, avenâ, aut ex secali, hodie extra terram sanctam sit semper separanda, & igne comburenda? Neg. An si talis placenta non comburatur, sed conservetur, & tempore oborti incendii notetur certis literis, vocabulis angelorum, & notis superstitiosis, atque in ignem projiciatur, incendium extinguat? Nugæ. *Vide Synag. Buxt. capp.* 32, 33, 34.

19. Quare Muhamedani non habeant campanas; Ob stragem, quam ad sonum campanæ à Christianis passi sunt. Instituunt peregrinationes ad sepulchrum Muhamedis. Varia celebrant jejunia. Abstinent à vino, san- 4. 7.

 guine,

Digitized by Google

sanguine, suffocato & carne porcinâ. Quare abstinent à carne porcinâ? Quia porcus dicitur natus ex fimo, qui fuit in arca Noachi. Religiosi eorum sunt magni nugatores.

920. 20. Mira credunt Muhamedani de resurrectione; de ultimo judicio quod mille annos durabit; de inferno; & de cœlo, in quo erunt meretrices quasi cœlestes. An ergo propriæ uxores non intrabunt cœlum? Non, sed per cancellos videbunt maritos suos in cœlo.

Caput XXXVII.

1. Gr. De N. T. Gr. in genere.

Sect. 1. NUlli libri ex Canone Novi T. perierunt. Et sequentes libri, qui à nonnullis pro Canonicis fuerunt recepti, nunquam fuerunt in Canone, scil. 1. Proto-Evangelium Jacobi. 2. Evangelium Hebionitarum. 3. Nazaræenorum. 4. Encratitarum. 5. Pauli. 6. Apostolorum canones quinquaginta. 7. Omnium discipulorum vitæ obsignatio, sive symbolum Apostolorum. 8. Diversa scripta Clementis. 9. Diversæ epistolæ Pauli, & nonnulli ejusdem libri.

2. An detur epist. ad Laodicenses canonica? Non. An talem dari, possit probari ex epist. ad *Coloss.* 4:15, 16.? Et an illa ipsa sit quæ hodie tali insignitur nomine? Neg. utr.

3. An notæ Accentuum & Spirituum pertineant ad integritatem Novi T. Græci? Imo. An illæ notæ sunt omittendæ, uti Complutenses anno 1515. in sua Editione sæpe fecerunt? Non.

4. Novum T. Græcum non est injuriâ temporis, vel incuriâ Scribarum ita corruptum, ut non possit esse regula fidei & morum.

5. Corruptio N. T. non benè à Pontificiis aliisque probatur (1.) ex 1. Cor. 15:47. vel (2.) ex 1. Cor. 7:33, 34. vel (3.) ex epist. ad Rom. 12:11. vel (4.) ex 1. Joh. 5:7. Quæritur, An ille ultimus textus sit supposititius? Neg. Licet in multis Exemplaribus & Versionibus ille versus non inveniatur, inde tamen non sequitur eum esse irreptitium; aut (5.) ex Matt. 6:13. aut (6.) ex 2664. circitèr variantibus lectionibus, quæ in Novo T. occurrunt. *Vide in Philol. Græco dissert.* 4. & 5.

2. M. De Novil. & Paschate.

6. An Deus festum Novilunii instituit? Sic videtur. Quare? Vel in memoriam creatæ à Deo lucis, vel ut denotaret typum renovationis hominis, quæ fit per illuminationem Spiritus S.

7. Quare Judæi novilunium per biduum celebrent, cum Deus tantùm unicum diem ei assignaverit? Quia nesciunt; Utrum novilunium sit inchoandum à conjunctione lunæ cum sole; an vero ab ejus apparitione. Judæi

Digitized by Google

Judæi Hierosolymitani olim ab apparitione lunæ novilunia inchoârunt; hodierni vero à conjunctione lunæ cum sole.

8. Utra sententia magis videtur Legi Divinæ consentanea; an illa quæ ab apparatione lunæ novilunium inchoat, uti volunt Karraitæ; an vero illa quæ ab ejus conjunctione cum sole, uti placet Rabbanitis? Posterior.

9. An hodierni Judæi aut Christiani tenentur festa cæremonialia V. T. ut Paschatis, Pentecostes, Tabernaculorum, &c. observare? Non. An item sacrificare? Non. Quando leges cærem. sunt abolitæ? Leges cærem. fuerunt *vivæ* usque ad mortem Christi; *mortuæ*, sive indifferentes, usque ad Templi secundi plenariam destructionem factam per Titum Vespasianum, & *sepultæ*, sive planè prohibitæ, post illam plenariam destructionem.

10. Leges cærem. V. T. ad quinque quasi summa genera sive Categorias referri possunt. 1. Ad personas sacras, ut sunt summus Sacerdos, Sacerdotes, & Levitæ. 2. Ad actiones sacras, ut sacrificare, circumcisio & Pascha. 3. Ad res sacras, ut primitiæ, decimæ, & agri Levitarum. 4. Ad loca sacra, ut Tabernaculum, & Templum cum omni suppellectili. 5. Et ad tempora sacra, ut Novilunia, Pascha, Pentecoste, Festum Tabernaculorum, annus Sabbathicus & Jubilæus.

11. An (secundum Legem *Exod.* 23: 17. *Tribus vicibus quotannis comparebo omnis mas*) omnes & singuli viri Hierosolymam debuerunt proficisci? Non videtur. Sed an illi præcisè fuerunt liberi ab illo itinere, quos Judæi excipiunt? Non.

12. Quando agnus Paschalis erat mactandus? Die 14. mensis Nisan בין הערבים *inter duas vesperas*, h. e. intra nostram horam 12. & solis occasum. Quando comedendus? Ab initio diei 15. post solis occasum.

13. Inquisitio fermenti ante festum Paschatis est nimis superstitiosa apud Judæos, ut & coctio panis azymi. An Christus in primâ cœnâ post peractum Pascha usus est pane azymo, quali Judæi toto Paschate uti solent? Aff. contra Græcos. An item vino rubro? Magis affirmandum quàm neg. putamus. Quare? Quia Judæi ut plurimùm tempore Paschatis tali vino utuntur. An Judæi secundùm Legem Dei etiam à cerevisiâ tempore Paschatis abstinere debuerunt? Sic videtur: nam in eâ etiam est fermentum. *Vide suprà dissert.* 37.

14. Concubinæ fuerunt triplices; *ingenuæ* sive Israeliticæ; *servæ*; & *extraneæ*. An ingenuarum liberi etiam successerint in hæreditatem? Aff. Unde פלגשים *concubinæ* derivantur? Vel à פלג איש *dividit virum*: quia concubinæ solent mariti animum & affectum distrahere ab uxore; vel quod sit tantùm dimidiata uxor. (3. C. De Polygamia.)

15. Uxo-

Digitized by Google

15. Uxores ducebantur olim, 1. Argento, h. e. minimo argenteo nummo. 2. Scripto. 3. Concubitu. Postremus modus est illegitimus, & non potest probari ex *Deut.* 42: 1. An, qui non ducit uxorem, meritò à Judæis habeatur pro homicidâ, & vix pro homine? Et an ille sit causa quare Majestas Divina recedat ab Israelitis? Neg. An, si quis ex primo matrimonio non acceperit utramque prolem, adhuc teneatur matrimonium secundum contrahere? Neg. c. Jud.

16. An polygamia simultanea olim in Veteri T. Patriarchis, aliisque in foro poli fuerit licita? Neg. An item jam sit permittenda Christianis, vel Judæis? Non.

17. Polygamia infringitur, 1. Ex primâ conjugii institutione *Gen.* 2: 24. *Adhærebit uxori*, non uxoribus, & *erunt in carnem unam*, &c. 2. ex *Lev.* 18: 18. *Mulierem unam ad alteram ne assumito.* 3. ex septimo Decalogi præcepto.

18. Polygamia nequit probari. 1. Ex exemplis Patriarcharum, Prophetarum & Regum, qui plures habuerunt uxores. 2. Nec quia Deus de Polygamiis tulit leges, *Deut.* 17: 17. & 21: 14. *Si fuerunt alicui duæ uxores una dilecta & altera exosa.* 3. Nec ex 2. *Sam.* 12: 8. *Et dedi tibi uxores domini tui in sinum.* Vide Hoornbeeck *c. Jud. l.* 7. *c.* 6.

4. J. 19. An alicui sit licitum uxorem ducere, cum quâ antea adulterium commisit? In conscientiâ licet; sed sunt rationes Politicæ ob quas non permittitur, nisi consentiente summo Magistratu. David duxit Batsebam, uxorem Uriæ, cum quâ, adhuc vivente Uriâ, adulterium commisit. An quia Deus illi matrimonio benedixit dando Davidi Salomonem ex illo matrimonio, probari possit, Davidem non peccâsse? Non. An non David revera commiserit adulterium cum Batseba ante mortem Uriæ? Aff. c. Jud. An David peccavit occidendo Uriam? Aff. Judæi ajunt eum tantum peccâsse, quia multos justos cum Uriâ occiderat: sed non in Uriâ; quia fuerat rebellis in Regem.

740. 20. Creatio est prima vel secunda. An Adami productio ex terrâ, & Evæ ex costâ sit revera creatio? Imo. sed secunda. Viri religiosi, vocati *Actorum.* 2: 5. ἄνδρες εὐλαβεῖς, fuerunt proselyti justitiæ.

CAPUT XXXVIII.

1. *Gr. De integr. N. T.* Sect. 1. VAriantes Novi T. Græci Lectiones variis modis factæ sunt. Causæ variantium lectionum præcipuæ sunt quatuor. Lectio quæ jam in N. T. Græco est usitata, est præferenda variantibus lectionibus. An ex variantibus lectionibus probetur corruptio Textûs Græci Novi T.? Neg. An non cuilibet concedenda est licentia eligendi in N. T. Græco lectionem quamcunque velit, sive eam quæ jam in plerisque editionibus Græcis

Digitized by Google

Græcis conspicitur, sive aliam quæ ut varia lectio in margine annotatur? Non.

2. Versio Syriaca Novi T. est antiqua, & valde utilis; estque primum literis Syriacis edita à Widmanstadio; sed translata in linguam Latinam, & transposita in characteres Hebraicos à Tremellio, & impressa ab Henrico Stephano anno 1569.

3. Laudandus est Elias Hutterus, qui Novum T. annuo temporis spatio, in linguam Hebraicam, & quidem Biblicam, transtulit, quam unà cum aliis undecim linguis anno 1600. Noribergæ edidit.

4. Versiones Latinæ N. T. sunt præcipuæ 1. Vulgata. 2. Ariæ Montani. 3. Desiderii Erasmi. 4. Versio Tigurina. 5. Theodori Bezæ. Et 6. Versio Sanctis Pagnini. Versio Latina Bezæ & Erasmi non tam est adstricta verbis, quàm quidem Versio Ariæ Montani. An Leo decimus meritò Versionem N. T. ab Erasmo adornatam laudaverit? Imo. *Vide in Philol. Græco dissert. 6. 7. 8.*

5. An Judæi tenentur omnia vasa, supellectilem, totamque domum ante Pascha secundùm Legem Dei purgare? An item inclinare in latus sinistrum instar Magnatis? Neg. An Christus in primâ cœnâ accubuerit? Imo, sed absque tali imaginariâ magnificentiâ. *2. M. De Paschate.*

6. An non fuit impium singulis festis Paschatis captivum dimittere in memoriam liberationis Ægyptiacæ *Matth.* 27: 26.? Imo. Judæi etiam sunt nimis superstitiosi circa celebrationem Paschatis.

7. An licuit agnum mactare extra Hierosolymam? Publicè à Sacerdotibus Leviticis in publico Israelitarum conventu tantùm Hierosolymis mactabatur; sed privatim a quolibet Patrefamilias potuit mactari extra Hierosolymam. Mactatio Paschatis respexit Christum.

8. An Christus ultimum suum Pascha eodem die cum Judæis celebraverit? Non. An ergo Christus die 14. vel Judæi die 16.? Utrique die 15. mensis Nisan, & tamen diverso die septimanæ, scil. Christus die Veneris, & Judæi die Saturni.

9. An ergo Christus anticipavit legitimum diem Paschatis? Non. An potest probari, quod Christus citius Pascha celebraverit? Imo: nam *Joh.* 19: 14. dies passionis vocatur *parasceve Paschatis.* 2. Aliter Pontifices & Sacerdotes ipso Paschatis die capitali Judicio Christi vacâssent. 3. Aliter Joseph Arimathæus funerationi Christi vacâsset; quod utrumque est contra proprias Judæorum hâc de re leges. Hæc est communis sententia Ecclesiarum Belgicarum.

10. An, quando paterfamilias in propriis ædibus mactavit agnum, inde

Digitized by Google

inde probetur quod paterfamilias fuerit propriè dictus Sacerdos Leviticus? Non, sed fuit quodammodo Sacerdos extra ordinem.

11. An Christus post cœnam Paschalem penitus peractam & absolutam, mensis tamen non sublatis, statim Sacramentum Cœnæ instituerit? Aff.

12. An lotio pedum fuerit ritus ordinarius, à Judæis in festo Paschatis & in aliis conviviis ante accubitum observatus? Neg. Per hymnum *Matth.* 26: 30. intelliguntur Psalmi 113: 114, 115, 116, 117, & 118.

13. Mos ille absurdus, quo quidam tanquam stulti ab uno ad alium mittuntur ipsis Kal. Martii & Aprilis, est excogitatus à Pontificiis in *memoriam* Christi missi *Matth.* 27: 1, 7, 11, 26, ad Pilatum, à Pilato ad Herodem, &c.

14. An Judæi benè faciant, quod, volentes observare leges cæremoniales, festum Paschatis & Tabernaculorum celebrent per octiduum, cum Deus tantùm septem dies mandaverit? Non.

J. R. de vino prohibito, & pecoris mactat.

15. An, quia legitur Deut. 32: 38. *De quorum victimis comedebant adipes, bibebant vinum libaminis ipsorum*, inde benè probentur. 1. Nullum vinum, quod à Christiano torculari est expressum, vel à Christiano tactum, esse bibendum? Non. 2. Non esse bibendum vinum cum Christiano; vel si bibatur, Judæum debere semper cantharum manu suâ tenere, & vitrum abluere postquam ex eo bibit Christianus? Non. 3. Acetum Christianorum Judæis esse prohibitum? Non. Nonnulli Judæi propriæ utilitatis & commoditatis ergo has leges tam strictè non observant: quia Christianos (quasi verò) pro idololatris non habent. Judæi sunt nimis superstitiosi circa torcularia & circa dolia.

16. An jam Judæis licet edere animalia, quæ non habent ungulas fissas & divisas, quæque cibum non ruminant *Levit.* 11.? Imo. An item pisces qui non habent squammas & alas? Imo. An item aves rapaces & reptilia? Imo. An quia scribitur *Levit.* 3: 17. *Omnem adipem, & omnem sanguinem non comedetis*, benè probetur eos jam etiam ab illis abstinere debere? Neg.

17. Judæi sunt nimis curiosi, imo seperstitiosi, circa mactationem animalium & avium. Quare? Quia *Deut.* 12: 21. dicitur, *Et mactabis de bobus tuis & de pecudibus tuis, quemadmodum præcepi tibi.* Hoc præceptum intelligunt de lege Orali. An non, quia *Exod.* 22: 31. legitur, *Morticinum & laceratum à bestiis non comedetis*, absurdè à Judæis concludatur nullum pecus esse edendum, nisi fuerit omnino sanum & incolume? Imo.

An

Digitized by Google

An non propter causas absurdas sanguis animalium mactatorum tegatur? Aff.

18. An pecus à Christiano mactatum sit secundùm legem Dei Judæo prohibitum? Neg. An armi posteriores jam Judæis sint prohibiti, uti olim *Gen.* 32.? Non. An verosimile sit Judæos carnem, quam vendunt Christianis, inquinare, diris Christianorum esui destinare, eamque à Judæorum filiis & filiabus conspurcari? De quibusdam facilè crediderim, sed non de omnibus. *Vide Synag. Buxt. cap.* 35. & 36.

19. Crux olim triplex fuit usitata, 1. Decussata. 2. Commissa. & 3. Immissa, Quali cruci Christus putatur affixus? Immissæ. 4. *J.*

20. Quales cæremoniæ fuerint adhibitæ circa crucifigendos? 1. Flagellabantur. 2. Debebant portare propriam crucem. 3. Culpa scribebatur supra crucem. 4. Vestes exuebantur. 460.

Caput XXXIX.

Sect. 1. **V**Ersio Arabica N. T. quæ prodiit Leidæ anno 1716. est edita secundùm exemplar MS. à Scaligero donatum Bibliothecæ Leidensi, estque antiqua & utilis. *5. Gr. de Version. N. T.*

2. Versio nostra Belgica, auctoritate DD. Ordinum General. Belgii & communi consensu omnium Ecclesiarum Reformatarum conscripta, est præstantissima, omnibusque aliis Versionibus longè præferenda: & propterea magna est audacia (si non petulantia & superbia) in privato aliquo Pastore & Doctore audere illam Versionem (vel etiam notas mariginales, quæ eadem auctoritate & eodem consensu sunt conscriptæ) carpere, arrodere & corrigere: nam eatenus se sapientiorem & doctiorem omnibus Interpretibus & Revisoribus prædicat. Eheu! hic solus novus doctor ea videt, quæ omnes Doctissimi illi Interpretes & Revisores hactenus non viderunt.

3. Utrum Textus Græcus N. T. debeat corrigi per versiones, an verò è contra versiones per Textum originarium? Neg. pr. Aff. post. Christus & Apostoli in allegandis Textibus Veteris T. in Novo T. aliquando sequuti fuerunt Textum Hebræum, sæpiusculè versionem Græcam, & nonnunquam præterito utroque Textu liberè Textûs Veteris T. allegarunt.

4. In toto N.T. non extat vel unicum exemplum numeri dualis; & semel tantum, scil. *Luc.* 19: 40. Tempus paulo post futurum. Aoristi vocantur Tempora indefinita: quia significant aliquando vel Præteritum, vel Præsens, vel Futurum. Græci ob fœcunditatem linguæ habent duplices Aoristos,

Digitized by Google

& gemina Futura. Fœcunditas illa nata eſt ex victoriis Alexandri Magni occupantis multas Provincias & Regna.

5. Genuina pronunciatio linguæ Græcæ periit. Non eſt neceſſe in vocibus Latinis, Belgicis aliisque eundem accentum exprimere, quem vox Græca aut Hebraica in Textibus Originalibus habuit.

6. Ordo Alphabeti Græci hodie receptus, videtur fuiſſe uſitatus temporibus Chriſti. Scribitur aliquando Moſes & Moyſes. Plures dantur variæ lectiones in Novo quàm in Veteri Teſt. nam N. T. non fuit circumſeptum Maſorâ. Scriptores Novi T. allegantes Textus ex V. T. non potuerunt allegare Capita: nam non fuit eo tempore diſtinctio Capitum. *Vide in Philologo Græco diſſert.* 9, *&* 10.

2. M. De Feſto Pentec. & Tabern.

7. Feſtum Pentecoſtes, (aliâs vocatum ſolennitas meſſis; vel dies primitivorum,) incidit in ſequentem diem hebdomadæ, in quem Paſcha eodem illo anno inciderat: nam dies quinquageſimus eſt numerandus ab altero die Paſchatis *Lev.* 23: 15, 16. Ergo ſi Paſcha tempore crucifixionis Chriſti fuerit celebratum die Saturni, Pentecoſte eſt celebrata die Dominico, quo ſecundùm communem ſententiam Spiritus S. in Apoſtolos miſſus fuit. Feſtum Pentecoſtes in memoriam datæ legis per biduum à Judæis non ſine additis ſuperſtitionibus celebratur.

8. Feſtum Tabernaculorum à Judæis fuit celebratum in memoriam quod Majores in deſerto habitaverint in Tabernaculis; ſed hodie ſuperſtitiosè à Judæis celebratur.

9. Ridiculum eſt nocte diei ſeptimi in feſto Tabernaculorum ad lunæ radios excurrere, ut ex iis cognoſcantur totius anni eventa. An ille. cujus caput in umbra non conſpicitur; anno ſequenti morietur? Nugæ.

10. Feſtum *lætitiæ Legis*, quod celebratur die 23. menſis Tiſri (Septemb.) adjunctas habet ridiculas ſuperſtitiones. Hoc feſtum ob munerum eccleſiaſticorum auctionem & venditionem aliquando in rixas transformatur. *Vide ſuprà diſſert.* 39.

3. C. De divortio.

11. Utrum verba Moſis (*Deut.* 24: 1, 2. *Si acceperit vir mulierem* &c.) ſint verba mandati; an verò tantùm permiſſionis? Aff. poſt. Quando Chriſtus *Marc.* 10: 3. rogat: *Quid Moſes vobis mandavit?* Et poſtea Phariſæo reſpondet: *Pro duritie cordis ſcripſit hoc mandatum*, loquitur non ex ſenſu proprio, ſed ex mente Judæorum.

12. In quo ergò fuerunt fundata verba Moſis *Deut.* 24: 1. &c.? In pravâ conſuetudine Judæorum, quam Moſes limitavit datione libelli repudii. An ergo Judæi ante datam hanc legem etiam dimiſerint uxores ſuas? Sic videtur. Sed Moſes nimiam licentiam limitavit. Unde Iſraelitæ illam conſuetu-

Digitized by Google

ſuetudinem dimittendi uxores didicerunt? Procul dubio ab Ægyptiis.

13. Ob quales cauſas Judæi dimiſerunt uxores ſuas? Cauſæ ſunt variæ & multæ. 1. Si quis invenerit alicubi pulchriorem. 2. Si odio habuerit eam. 3. Si invenerit libidinem, laſciviam, aut impudicitiam in ea. 4. Si uxor egrediatur nudato capite. 5. Si neverit in platea. 6. Si laverit ſe cum viris in eodem balneo, &c. In his maritus potuit uxorem repudiare, vel non, prout placuit. An non aliquando maritus debuit eam repudiare? Imo, ſcil. ſi corpus ſuum proſtitueret; vel ſi apoſtata fieret, &c.

14. An non Salomo uxores gentiles duxit, quas non repudiavit? Duxit quidem gentiles natione, ſed confeſſione videntur factæ proſelytæ, antequam eas duceret. An non ob cauſas quaſdam naturales Judæi uxores ſuas dimiſerint? Imo, ſcil. 1. Ob vitium ſive defectum corporis. 2. Ob fœtidum ſudorem, ob fœtorem oris, ob cicatricem ex morſu canis &c. 3. Propter impotentiam generandi. 4. Si morbo contagioſo laboraret. 5. Si uxor ter abortiverit, &c. Etiam ob nonnullas cauſas ipſæ uxores à maritis ſuis libellos repudii petere potuerunt.

15. An omnes illæ cauſæ dimittendi uxores jam allatæ ſunt ſufficientes cauſæ divortii? Apud Judæos quidem, ſed non ſecundùm legem Dei. Quæ igitur ſunt cauſæ legitimæ divortii? Adulterium, & malitioſa deſertio. An maritus, ſive uxor adulterium committens, & ſeparatus, ſive ſeparata, iterum poſſit ducere, aut nubere? Poteſt petitâ veniâ à ſummo Magiſtratu. An item pars innocens? Imo.

16. An Judæus uxorem à ſe repudiatam poſtea iterum potuerit ducere ſi voluerit? Potuit ſi non nuſperit alii viro, vel ſi non fuerit deſponſata. An etiam deſponſata potuerit repudiari? Imo.

17. Divortia ſunt contra inſtitutionem primam matrimonii Gen. 2: 24. Tranſeunt in *carnem unam*. 2. Deus improbat Divortium *Mal.* 2: 16. *Odit derelinqui*, vel derelictionem. 3. Pugnant cum vitæ conjugalis honeſtate & commodis.

18. Fruſtrà patrocinium pro divortiis quæritur in *Deut.* 24: 1. Vel in eo quod Prophetæ ea non reprehenderint. Vel quia Moſes modum & formam dimiſſionis per libellum repudii ita accuratè præſcripſit, &c. *Vide Hoornbeek c. Jud. l.* 7. *c.* 6.

19. An Judæis licitum fuerit nudis verbis ſub V. T. dimittere uxores? 4. 9.
Non. Quare neceſſe fuerit ſcribere libellum repudii? 1. Ne mulier ſub prætextu expulſionis ſcortaretur. 2. Ad vitandam frequentiam repudiorum: nam publicâ auctoritate, adhibitis teſtibus, & multis cæremoniis conſcribebatur, ut res repudii tantò operoſior eſſet. 3. Ut interea temporis ira mariti mitigaretur.

 20. Quare

780. 20. Quare Judææ mulieres nunquam annulum in medio digiti gestent, sed usque ad extremum immittant? Quia credunt Mariam, Christi matrem, Josepho desponsatam, gestasse annulum in medio digiti, An hoc est verum, Incertum est.

Caput XL.

1. G. De Dial. N. T.

Sect. 1. SEptem Linguæ Græcæ dialecti sunt usitatæ in N. T. scil. Attica, Ionica, Dorica, Æolica, Boëtica, Poëtica & Hebraica. Quare tot? Quia Apostoli scripserunt pro diversis Nationibus Græcis, varietate dialectorum differentibus. Quæ dialectus est elegantissima & frequentissima in N. T.? Attica.

2. Præstantia Novi T. non minuitur si dicamus illud Hebraismis scatere. Laudandus est Casparus Wyssius, qui in Dialectologia sua omnes Hebraismos N. T. ad tredecim classes retulit. An non tamen quædam sunt corrigenda in illa dispositione classium? Imo.

3. An non Pfochenius in *diatribe de lingua Græca N. T. puritate* frustrà laborat detrahere larvam Hebraismis N. T.? An item non frustrà conetur probare Novum T. Hebraismis non scatere? Aff. Utr.

4. An ergo multii Hebraismi in N. T. occurrunt? Imo, permulti. An voces Græcæ nonnunquam novam significationem recipiunt, quia voces Hebraicæ, ex gr. עולם, דבר, עץ, ספר &c. tales significationes recipiunt? Imo. An quando Fœmininum in N. T. Græco usurpatur pro Neutro, ut *Matth.* 21: 42. sapiat Hebraismum? Aff.

5. Johannes Vorstius in Philologia Sacra omnes Hebraismos ad classes triginta & unam laudabiliter retulit, quæ omnes diversis exemplis ex Novo T. illustrantur. *Vide in Philologo Græco dissert.* 11, 12, 13, 14, 15. & 16.

2. M. De Festo Expiat. & Encæn.

6. Festum Expiationis incidens in decimum diem mensis Tisri mandatum quidem est à Deo *Levit.* 23. sed præparatio Judaica ad illud festum, & ipsa celebratio est nimis superstitiosa. Festum hoc est institutum à Deo, ut Judæi remissionem peccatorum in genere, & non illius peccati in specie circa fabrefactionem vituli commissi, à Deo impetrarent.

7. Per Encœnia *Joh.* 10: 22. intelligitur festum dedicati & consecrati templi Hieros. à Judâ Macchabæo, qui circitèr ante annum Christi 162 Urbem recuperaverat, & templum rursus consecraverat. Hoc festum incipit 15. Nov. & continuatur per octiduum 1 *Macch.* 4: 59. Hoc festum impiè helluando, pergræcando, & ludendo celebratur à Judæis. *Vide suprà dissert.* 40.

8. An

Digitized by Google

8. An verbis Levit. 16: 19. *Agrum tuum non conseres heterogeneis*, prohibeatur Judæis duas diversas species simul serere, ut Triticum & Hordeum; Fabas & Lentes vel Pisa; Frumenti vel Oleris aliquam speciem cum Vitibus, &c? Neg.

[1. R. De agricult. Jud. De primog.] & Nuptiis.

9. An propter eandem legem sit interdictum inserere vel inoculare diversas species Arborum, ut Nuces & Persica; Mala & malum Aurantium vel Citreum; Persica & Amygdala; Olus & Arborem &c? Neg. Si interdictum tale jam adhuc obtineret; an non Judæi peccent quod diversas seminum species Christiani alicujus operâ in agro conserant? Imo.

10. An quia legitur Levit. 19: 23. *Fructus tribus annis erit præputiatus, non comedetur ejus fructus. Quarto autem anno erit omnis fructus ejus sanctitas laudum Domino*, benè probetur fructus ante quintum annum hîc extra Terram S. esse illicitos? Non. An fructus anni quarti necessariò sint pecuniâ vel aliis fructibus redimendi? Non.

11. An quia interdicitur Deut. 22: 10. *Non arabis bove & asino pariter*, benè probetur jam non licere arare cum animali mundo & immundo, veluti cum Tauro & Hirco; cum Equo & Asino, &c? Neg.

12. An quia habetur Levit. 19: 9, 10. *Ne prorsus demetito latus agri tui, neque spicilegium messis tuæ facito. Similiter vineam tuam ne racemato, & deciduos acinos vineæ tuæ ne relegito*, Deut. 24: 19. *Si oblitus eris manipuli in agro, ne revertitor ad accipiendum illum, peregrini, pupilli, & viduæ esto*, inde hæc seqq. probentur. 1. Jam agrum non esse totum demetendum, sed angulum aliquem esse relinquendum pro pauperibus. 2. Vineam non esse totam vindemiandam, sed racemationem cum uvis esse relinquendam. 3. Non licere spicas decidentes, quando metunt, vel manipulos faciunt; vel acinos deciduos quando vindemiant, tollere. 4. Non licere manipulum repetere, cujus tempore messis aliquis oblitus est? Non.

13. An quia mandatur *Exod.* 13: 2. *Consecra mihi omne primogenitum quicquid aperit vulvam —— ex jumentis meum est*, & 34: 19. *Omne masculum aperiens vulvam, meum est: quare totius pecoris tui masculum separator, aperiens vulvam bovis aut parvæ pecudis:* benè probetur, jam animal primogenitum, sive maculatum, sive immaculatum, esse sacrum, velSacerdoti esse concedendum? Non. An liceat comedere primogenitum animal si non contraxerit maculam? Imo. An liceat in ipso partu vitium aliquod primogenito inferre ut fiat licitum ad edendum? Non.

14. An liceat primogenito bove, vel ullo alio primogenito uti ad arandum, vel usum aliquem ex eo percipere, ut ovem tondere &c.? Imo.

An

Digitized by Google

An, quia legitur Exod. 34: 20. *Asinæ aperientem vulvam redimes parva pecude, quod si non redimes ipsam, decollabis*, inde probetur jam asinum esse vel ove redimendum, vel decollandum? Non.

15. An Judæi Rabbanitæ habeant sufficientes rationes, quare nolint matrimonium inire cum Judæis Karræis? Non. An non sit absurdum ollas in terram projicere post prælectum instrumentum dotale ad denotandam cornucopiam? Imo. An sponsus & sponsa per octiduum ante nuptias teneantur domi manere? Non. An si sponsa se totam non laverit pridie nuptiarum, non liceat ei dormire cum sponso? Nugæ.

16. An matrimonium sit confirmandum sub dio ad denotandam multiplicationem instar stellarum, & sub conopæo? Non est necesse. Circa Nuptias Judæi in multis nugantur, scil. quod cingula nuptialia sibi invicem mittant; quod velum oculis sponsæ obtendant; quod fœminæ capillos sponsæ in cincinnos distribuant; quod sponsa ter sponso circumducatur; quod frumentum in illos conjiciatur; quod faciem ad Meridiem obvertant; quod vinum in terram effundatur; quod sponsus vitrum parieti vel terræ allidat; quod consecratio fiat septem benedictionibus; quod ovum incoctum gallinæ, quam post confirmationem nuptiarum edunt, apponatur, ad indicandum, sponsam absque dolore instar gallinæ esse parituram.

17. Ridiculè in memoriam Templi incensi sponsus in capite gestat atram umbellam, & sponsa caput pullo palliolo involutum habet. An chorea præcepti, cum horrendo tumultu & strepitu festum nuptiale claudens, sit licita? Non.

18. An nuptiæ virginum per septiduum, & viduarum per triduum durare debeant? Non est necesse. An prius non probetur ex exemplo Labanis, dicentis Jacobo, *Imple septimanam hanc*; & Sampsonis dicentis, *Si indicaveritis illud septem diebus convivii?* Non. An boni Angeli aufugiant, si Christiani intersint nuptiis Judæorum? Non. An Rabbenu Gerson anno Christi circitèr 1060. benè interdixerit, ne ullus Judæus sub pœnâ Excommunicationis duas simul haberet uxores? Imo. An à Judæis jam ulli polygamia vel digamia permittatur? Nulli. *Vide Synag. Buxt. cap.* 37, 38, 39.

4. 7. 19. Utrum Luc. 16. narratio de Lazaro & Epulone sit historia, an parabola? Parabola. An per Lazarum denotetur Johannes Baptista, & per Epulonem Herodes? Non. An ex *Matth.* 18: 6. probari possit, quod apud veteres Judæos moris fuerit facinorosos punire demergendo eos in mare, alligato ad collum ingenti saxo? Neg. contra Hieron.

20. An

20. An Judæi soleant colare culices ex vino & cerevisiâ? Imo. *Matth.* 800.
23: 24. *Duces cæci, qui colatis culicem.* Judæi solent culices vinarios separare à vino. An ergo non licet culices simul cum vino bibere? Liciti æstimantur à Judæis si nunquam è vino recesserint. An Judæi antiqui, uti hodierni, soliti fuerint cadavera, antequam sepelirentur, abluere? Imo. Vide *Actor.* 9: 37. *Factum est ut morbo correpta moreretur: quam cum lavissent, posuerunt in cœnaculo.* An antiqui Judæi defleverint mortuos? Imo. *Luc.* 8: 52. *Flebant omnes & plangebant. Act.* 9: 39. *Viduæ flentes ostenderunt tunicas.*

CENTURIA NONA.

CAPUT XLI.

Sectio. 1. EUangelium est vox origine Græca idem denotans quod בשורה טובה *bonum nuncium. Judæi igitur blasphemo ore illud vocant* עון גליון vel און גליון *revelationem iniquitatis*, vel *librum iniquitatis.* Pictores hodierni non habent sufficientes causas ob quas juxta Matthæum pingant Hominem, Juxta Marcum Leonem, juxta Lucam Bovem & juxta Johannem Aquilam. 1. *Gr. Eu. N. Test.*

2. Utrum Euangelium Matthæi ab ipso Matthæo sit conscriptum Hebraicè; an verò Græcè? Græcè. Vel dicendum est hoc Euangelium bis à Matthæo esse conscriptum? Hebraicè & Græcè, sicuti Calvinus Institutiones suas Latinè & Gallicè conscripsit. An ergo Euangelium Hebraicum Matthæi, quod vulgò circumfertur, sit authenticum? Non. An Marcus Euangelium Latinè conscripserit? Non. Nomen Lucæ est origine Latinum. Lucas fuit Medicus & Pictor. Johannes scripsit Euangelium, tres Epistolas & Apocalypsin. Lucas in Actis ob certas rationes plura scripsit de Paulo quam de aliis Apostolis.

3. Pauli nomen est Latinæ originis. Mutavit nomen suum Hebraicum & quidem in nomen Latinum ob sufficientes rationes. Verosimile est Paulum uxoratum fuisse.

4. In Novis Testamentis Epistolæ non imprimuntur eo ordine quo conscriptæ sunt: Non potest dari sufficiens ratio quare Epistolæ alio ordine, quo scriptæ sunt, imprimantur. Fortè posset aliqua ratio dari, quare Epistola ad Romanos primo loco imprimatur.

5. An subscriptiones, Epistolis Pauli subscriptæ, sint authenticæ, & Divinæ auctoritatis? Non. Στίχοι in fine Epistolarum videntur denotâsse li-

Digitized by Google

neas, quot quælibet Epistola in autographo habuit. Timotheus fuit circumcisus eo tempore quo lex ceremonialis erat mortua & indifferens. *Vide de his in Philologo Græco dissert.* 17, 18, 19, 20, 21, &c.

2. M. De anno Sabbathi & Jubil.

6. Anno Sabbathico agri non colebantur, & debita non exigebantur, sed remittebantur. Quare Deus hoc septennale Sabbathum instituit? Ut se providentiæ Divinæ subjicerent; & ut æternum illud Sabbathum adumbraretur, ubi omnes labores; & creditorum crebræ & exosæ exactiones & emunctiones finem habebunt.

7. יובל *Jubilæus* (annus quinquagesimus) est vox origine Hebr. & sic vocatur à peculiari sono, qui in illo festo edebatur.

8. Jubilæi supputabantur à decimo die mensis Tisri, & ab anno decimo quarto ingressûs in terram Sanctam.

9. Utrum Jubilæi inciderint in annum quadragesimum nonum; an verò in quinquagesimum? In quinquagesimum, *Lev.* 25: 8, 10, 11. An ergo annus 50. fuit annus ultimus Jubilæi, & simul annus primus sequentis Jubilæi? Imo.

10. In Jubilæo, 1. servi manumittebantur, 2. prædia & bona immobilia (exceptis ædibus quæ erant in urbibus, cinctis muris) dominis prioribus sine pretio restituebantur. 3. Agri non colebantur. 4. Spontè crescentia non metebantur. &c. An, si quis agrum absolutè vendidisset, vel eundem alicui gratis donâsset, eum nihilominus in Jubilæo receperit? Imo.

11. An ex Jubilæo Veteris T. instituto à Deo bene probetur Jubilæus Pontificius? Neg. Hic enim vix ullam cum illo habet similitudinem. *Vide suprà dissert.* 41.

3. C. De usurâ Jud & mendacio.

12. An Judæi ex Deut. 23: 20. *Peregrino in usuram dabis*, bene probent jam sibi licere usuram exercere in Christianos? Non. Utrum illa lex sit explicanda per *debere usuram exercere in gentiles*, uti Maimon; an verò per *licere solummodo?* Aff. post.

13. An Christiani respectu Judæorum sint peregrini, aut extranei à Dei fœdere? Non. An pro talibus habendi ab ipsis? Non: nam ex sententia Judæorum Christiani sunt oriundi ex Esavo, fratre Jacobi.

14. An Judæis in V. T. licitum fuerit in pauperes, sive Israelitas, sive peregrinos, usuram mordacem exercere? Non. An item licitum fuerit Judæis per noctem retinere pignus ad vitam sustentandam necessarium? Non. Vide *Exod.* 22: 26, 27. An non eadem illa æquitas, quam Deus in V. T. exegit à Judæis, etiam deberet habere locum inter Christianos? Imo.

15. An.

Digitized by Google

15. An licuit Judæis pro pignore recipere instrumenta, quibus quis victum sibi quærere, aut vitam sustentare debuit? Non. Vide *Deut.* 24 6. An hoc jam sub N. T. etiam illicitum deberet esse Christianis? Imo.

16. Quotuplices personæ secundùm legem Oralem Judæorum (*Sanbedrin cap.* 3. §. 3.) olim fuerunt infames? Quadruplices, scil. דמשחק בקוביא ומלוים ברבית. ומפריחי יונים. וסוחרי שביעית, 1. *Aleatores*, 2. *Fœneratores*. 3. *Qui docent volare columbas*. *Et* 4. *Nundinatores fructuum anni septimi.*

17. An mendacium officiosum est licitum? Neg.

18. An, quia in V. T. quidam eo usi fuerunt, ut Abraham apud Abimelechum, obstetrices in Ægypto, Rachel, Rachab, &c. inde benè probetur illud esse licitum? Nullo modo. Nam non vivendum est exemplis, sed legibus. *Vide Hoornbeeck. c. Jud. l.* 7. *c.* 7. & 8.

19. Quænam est convenientia inter Judices & Reges V. T.? Conveniunt in seqq. 1. Utrique fuerunt ordinati à Domo Judicii, & acceptati ab Israele. 2. Utrique fuerunt præfecti Bellis & Judiciis, *Jud.* 3: 10. 1 *Sam.* 8: 20. Thola, Jaïr, Ibzan, Elon & Abhdon non gesserunt bella; quia in diebus ipsorum nulla fuerunt bella. 4. *J.*

20. 3. Utrique puniebant quandoque extraordinariis modis, & non secundùm legem. Sic Gedeon *Jud.* 8. & Jephte *cap.* 12: 4. fecerunt. Similiter David 2 *Sam.* 1: 15. jussit occidi Amalekitas. 4. Mortis reus fiebat, qui contra alterutrum rebellabat. De Judicibus legitur *Deut.* 17: 12. de Regibus concludunt ex *Jos.* 1: 18. Judices in libro Josuæ commemorati ob defectum Regum habuerunt potestatem simul Judicum & Regum, Hinc *Jud.* 9, 6. Abimelech vocatur Rex, qui tamen tantùm Judex fuit. S20.

CAPUT XLII.

Sect. 1. PAulus ob sufficientem rationem, noluit Titum circumcidere. Epistola ad Hebræos est authentica. Non est conscripta primitùs Hebraicè. Auctor ejus est Paulus, quod multis argumentis probari potest. Contraria argumenta, quæ videntur probare Paulum non esse Auctorem, non sunt sufficientia. 1. *Gr. Ex N. T.*

2. Inter septem Epistolas, quæ vulgò *Orbiculares*, *Canonicæ* & *Catholicæ* vocantur, sunt duæ, scil. 1. & 2. Johannis, quæ, utpote scriptæ ad particulares personas, meritò ita vocari non possunt. Videntur olim nominatæ *Canonicæ*, quia tandem communi consensu in Canonem fuerunt receptæ.

Digitized by Google

3. Epiſtola Jacobi eſt Canonica licèt primitiva Eccleſia diu de ejus authentia dubitaverit. Simon à Chriſto meritò vocatus eſt Petrus & Cephas. Non tantum ſcripſit priorem Epiſtolam, ſed etiam poſteriorem, licèt Orientales & Syri tantum priorem pro Canonicâ agnoſcant.

4. Judas eſt Auctor Epiſtolæ ſuæ, licèt ſe vocet non Apoſtolum ſed Servum Jeſu Chriſti; licèt etiam multa exſcripſerit, & citaverit, quæ in V. T. non extant, Johannes Euangeliſta eſt Auctor Apocalypſeos, licèt nominetur Theologus & non Euangeliſta.

5. Nomina Propria Veteris & N. T. ſunt ſignificativa, eorumque appellatio impoſita eſt vel à re geſta *præteritâ*, vel à re *præſenti*, vel à re *futurâ*. Vide *in Philologo Græco diſſert.* 23, 24, 25, & 26.

2. M. De idolis V. T.

6. Quibus primùm idololatria eſt adſcribenda; an Enoſcho, ut facit Maimon; an Chamo; an poſteris Arami? Interna & ſubtilis idololatria videtur primùm ſedem ſuam fixiſſe in Kaini familiâ; ſed craſſa, conſiſtens in publico idolorum cultu, videtur adſcribenda Chami nepotibus, hoc eſt Sabæis.

7. An verba *Gen.* 4: 26. אז הוחל לקרא בשם יהוה meliùs explicentur per; *Tunc cœptum eſt invocari nomen Jehovæ*, quàm *Tunc profanatum eſt in invocando nomine Jehovæ?* Imo. An ergo tum demum cœptum eſt invocari nomen Jehovæ? Non. Sed hìc intelligitur, vel invocatio quæ fiebat in publicis cœtibus, vel de certâ precandi formulâ, vel cum nomine Jehovæ.

8. Benè idola vocantur 1. à cultu אלהים *Deus*, 2. A formâ צלם *imago*, vel פסל *ſculptile*. 3. Ab effectu און *moleſtia*. 4. עצב *dolor*. 5. מפלצת *horror*. 6. בשת *pudor*. Et 7. צירים *tormina*.

9. An nomina idolorum ſemper in Maſc. gen. uſurpentur? Non: nam occurrit *Rom.* 11: 4. τῇ βαάλ, ſic etiam *Jer.* 2: 28. in verſione Græcâ, & alibi.

10. Utrum idolum Ammonitarum Moloch ſit originis Hebraicæ; an verò Ægyptiacæ? Videtur eſſe Ægyptiacæ: nam cultus Moloch deſcendit ab Ægyptiis ad Hebræos. Uter fuit denotatus per Molochum, Saturnus, an Mars? Mars.

11. Ubi erat idolum Moloch? Extra Jeruſalem in valle Hinnom, quæ temporibus Hieronimi fuit locus amœnus & nemoroſus; ſed eam Joſias 2 *Reg.* 23. contaminavit, projiciendo illic cadavera, fimum, ſtercora, &c.

12. Utrum idolum Moloch repræſentârit figuram hominis, ut Lyranus vult, an verò figuram vituli ut ait Fagius? Aff. prius.

13. Utrum infantes in idolo Molechi revera fuerint combuſti; an verò non-

Digitized by Google

tantùm per ignem traducti, & quasi purgati, uti volunt Jarchi, Kimchi, aliique? Aff. prius, neg post. *Vide suprà dissert.* 42.

14. Judæi in scribendis libellis repudii sunt nimis curiosi. Quare Judæi negotium libellorum repudii tam sumptuosum, laboriosum & molestum efficiunt? Ut maritus absterreatur. An ergo divortia jam sunt rara inter Judæos? Fere rariora quàm inter Christianos. 3. *R. de divor. Leviratu*

15. An quia legitur *Deut.* 25: 5, 6, 7, 8, 9, 10. *Si habitantibus pariter moriatur primus ex iis, cui filius non sit, ne nubito uxor mortui foris viro extraneo, levir ejus congreditor cum eâ, &c.* benè probetur jam levirum vel debere fratriam suam, absolutis 90. diebus, ducere, vel per calcei extractionem separari? Non. Utrum lex illa propriè de Fratribus intelligatur; an verò de agnatis? Multi, & quidem probabiliter, de agnatis sive patruelibus illam legem intelligunt. Atqui Judæi *Matt.* 22. *Si septem fratres unam eandemque uxorem duxerint, &c.* de fratribus propriè dictis intellexerunt. Sed hoc non probat Legem propterea fratres propriè dictos intellexisse: nam vox אח *fratris* est ambigua in S. Scripturâ.

16. Utrum laudabilius olim fuerit fratriam suam ducere; an verò per calcei extractionem ab eâ separari? Legi magis videtur conforme; quod etiam antiquâ observatione confirmabatur, leviram ducere: sed Judæi his temporibus judicant esse laudabilius ab ea separari per calcei extractionem: & propterea jam nullus levir fratriam suam ducit in uxorem, sed ab ea per calcei exutionem separatur.

17. Separatio leviri à fratriâ per exutionem calcei multis nugatoriis actibus & cæremoniis peragitur. Utrum fratria teneatur in faciem leviri spuere; an verò ante ejus faciem? A. post.

18. An quia legitur *Levit.* 12: 4. *Mulier immunditie laborans omne sanctum non tanget, nec ingredietur in sanctuarium,* benè probetur jam non licere tali mulieri in Synagogam ire, nec orare, nec nominare Deum, nec ullum librum sacrum tangere? Non. An mulieres teneantur per septem dies se planè à maritis suis separare; adeo ut mariti eam ne attingere quidem audeant? N An item teneantur septem alios purificationis dies numerare; & tum post recuperatam plenariam purificationem se planè nudas lavare? Non. An propterea sint plures leprosi inter Christianos quàm inter Judæos; quia Christiani illo tempore sibi ita non cavent ab uxoribus suis sicuti Judæi? Non. *Vide Synag. Buxt: cap.* 40, 41, 42.

19. Quænam fuit differentia inter Judices & Reges? Differunt in seqq. 1. Reges ungebantur, non Judices. Quis unxit Reges? Tantùm Propheta. 2. Potestas Regis erat major potestate Judicis: Rex enim potuit 4. *R.*

tuit abrogare judicium Judicis. Judices judicabant secundùm leges, non ita Reges. 3. Rex, quia majori potestate gaudebat, diversis legibus erat subjectus, à quibus Judex erat liber: scil. ne multiplicaret sibi uxores, equos, opes, ut exscriberet duplum legis, &c.

840. 20. 4. Majestas Regis erat major, & consistebat in rebus, quæ ad Majestatem ejus pertinebant, scil. Nemini fas erat sedere in solio ejus: equo ejus vehi; sceptro ejus uti; ducere ipsius viduam; Rex Leviri jus non præstabat, nec quisquam jure Leviratûs uxorem ejus ducebat; prohibitum erat Regem nudum videre. 5. Regnum erat successivum ad filios, *Deut.* 17: 20. Non item Judicum principatus. *Object.* 1. Regnum Saulis, aliorumque non successit ad filios. *Resp.* Deus transtulit regnum à nonnullis impiis regibus propter peccata ipsorum. *Obj.* 2. Israëlitæ dixerunt Judici Gedeoni, Jud. 8: 22. *Dominare super nos, & tu, & filius tuus, & filius filii tui.* Resp. 1. Hoc factum est ex mero in ipsum amore, & non ex jure. 2. Ipse recusavit; *Non dominabor ego super vos neque filius meus.* 3. Israelitæ postea illud retractârunt.

Caput XLIII.

1. *H. De Decalogo.* *Sect.* 1. AN tabulæ lapideæ, quibus Decalogus fuit inscriptus, *fuerint factæ* ex lapide saphirino, aut smaragdino, aut ex marmore? Nemo scit quales lapides fuerint.

2. An Deus per miraculum in tentorio Mosis creaverit lapicidinam Saphirinam, ex quâ lapides excidit & dolavit, quibus Deus secundâ vice decem præcepta inscripsit? Neg.

.3 An scriptura decem præceptorum fuerit transfixa & perforata; adeo ut ab utrâque parte fuerit legibilis? Non. An Decalogus bis fuerit in tabulis conscriptus, semel paginâ adversâ, & semel paginâ aversâ, ut ab utrinque stantibus legi potuerit? Non. Verosimile est Decalogum fuisse scriptum in anterioribus partibus tabularum, adeo ut quinque præcepta ad dextram, & totidem ad sinistram fuerint.

4. Divisio Decalogi, quâ secundùm præceptum *de imaginibus non faciendis & colendis* retinetur, & decimum in duo non dividitur, est præferenda divisioni apud Pontificios usitatæ. Utram Decalogi divisionem Judæi approbant, & sequuntur? Reformatorum.

5. An Deus propterea inscripserit decem tantùm præcepta duabus tabulis, quia sunt decem digiti? Incertum est. *Vide dissert. Buxt. de Decalogo.*

2. *M. De idolis V. T.* 6. Assyriorum idola fuerunt *Asima* 2 *Reg.* 17: 30. cultum sub forma hirci; *Adrammelech* & *Hanammelech* versu 31. quæ duo conveniunt cum Molocho;

Digitized by Google

locho; *Nergal.* versu 30. quod fuit ignis idolum; *Nisroch* 2 *Reg.* 19: 37. *Nibchas* & *Tartak* 2 *Reg.* 17, 31.

7. An per *Succoth benoth*, 2 *Reg.* 17: 30. denotetur fanum, in quo sedebant virgines corollis revinctæ, quæ exspectabant peregrinos ut cum iis consuetudinem haberent? Ita probabiliter judicat Seldenus *Synt.* l. 2. c. 7. An ritus ille *Levit.* 12: 29. *Non publicabis filiam tuam ut facias scortari eam*, est prohibitus? Sic videtur.

8. Ægyptiorum idola fuerunt *Ciun*, Amos. 5: 29. An *Act.* 7: 43. ubi allegatur ille textus, pro Ῥεμφὰν sive Ῥεφὰν scribendum est *Kephan*? Neg. c. Drusium: Rephan denotat Saturnum, estque vox Ægyptiaca, ut & תמוז *Thammuz*, Ezech 8: 14. significans præter idolum etiam mensem quartum sive Junium; quia hoc mense festum Thammuzi celebrabatur. Thammuz est Osiris, Rex Ægyptiorum à Typhone occisus. Hic rex & uxor ejus Isis ab Ægyptiis pro Diis habiti fuerunt.

9. Quomodo idolum Thammuz fuit cultum? Planctu ob mortem Regis, uti apud *Ezech.* dicitur; & gaudio, quia credebant eum adhuc esse reversurum. *Vide suprà dissert.* 43.

10. An anima, separata à corpore, per integrum annum circum cadaver suum vagetur, amore & desiderio ejus, nequiens oblivisci vetus amicumque contubernium? Neg. *3. C. De animâ separatâ.*

11. An dentur Spiritus quidam, quorum tanta est potestas in animas defunctorum, ut eas sibi subjectas habeant, utque eas intra duodecim menses in corpora, in quæ voluerint, intrudant? Neg. c. Jud.

12. An à Pythonissâ verus Samuel suscitatus fuerit? Neg. An ergo à Deo? Non. An fuit spectrum aliquod repræsentans Samuelem? Imo.

13. An repugnet fidei si dicamus verum Samuelem a Deo fuisse suscitatum? Non.

14. An non inde, quia futura prædixit, *Cras tu & filii tui mecum*, probetur verum Samuelem fuisse suscitatum? Non: nam prædixit non verâ futurorum scientiâ, sed conjecturâ probabili.

15. An animæ piorum post mortem migrent in alia corpora hominum; & impiorum in corpora animalium? Neg. c. Menassem & contra plerosque Judæos. Quoties fit illa transmigratio? Judæi ajunt eam ter fieri.

16. An animæ adulterorum migrent in gamelum? Neg. c. eosd. An possit illud probari ex exemplo Davidis, dicentis *Psal.* 13: 6. כי גמל עלי, quod malè transfertur; *Liberasti animam meam à gamelo?* Neg.

17. An anima Adami transierit in Davidis, Davidis rursum in Messiæ corpus? Et an hoc Kabbalisticè probetur ex nomine אדם? Neg. An Labanis

Digitized by Google

banis & Bileami eadem fuerit anima, & Phinees atque Eliæ? Neg. An anima Esavi descenderit in nostrum Jesum? Blasphemia.

18. Unde probant illam triplicem transmigrationem? Ex *Job.* 33:29. *Deus operatur ista cum homine tribus vicibus.* An benè? Nugatoriè. An ergo tria illa corpora cum unâ & eâdem animâ resurgent? Quidam ajunt tantùm primum corpus cum illâ animâ esse resurrecturum, sed Menasse ait, illam resurrectionem fore in & cum ultimo corpore. Sed ex hâc difficultate, quæ oritur ex resurrectione, illa sententia de transmigratione optimè refutatur. *Vide Hoornbeeck. c. Jub. l.* 1. *c.* 2, *&* 3.

4. J. 19. Quodnam fuit peccatum Davidis numerantis populum 2 *Sam.* 24.? An in eo fuit quod numerârit populum *capitatim*, h. e. per *capita*, & non per siclos? Vel quod *sine necessitate* numerârit? Vel quod numerârit eos *ab anno* 13. quum Lex mandaverit numerare eos ab anno ætatis 20? Neg. An quia ex superbiâ numerarit, ponens etiam carnem brachium suum, & confidens in multitudine populi sui? Aff.

860. 20. Quum David in numerando populo peccârit? Quare Israelitæ sunt puniti? Utrum propter transgressiones occultas Israelitarum; an verò propter dilatam ædificationem Templi? Neg. Utr. Deus punivit Israelitas occasione hujus numerationis, non quod illi ipsi numerârint; sed quia ipsi vel approbârunt illam numerationem; vel quia ipsorum cor etiam elatum fuit cum de tantâ multitudine populi audirent; vel propter alia peccata antea commissa.

Caput XLIV.

1. H. De S. Cœna. *Sect.* 1. POst esum agni Paschalis non licitum fuit aliquid comedere. Quare? Ut eo diutius sapor agni Paschalis palato inhæreret.

2. An Christus ipsemet de pane S. Cœnæ ederit, & de poculo vini biberit? Aff. Utrum Judæi soleant panes scindere; an verò frangere? Aff. post.

3. Quia Apostoli in S. Cœnâ cum Christo ex poculo biberunt; ideo etiam omnes communicantes cum pastore ex poculo bibere debent. Apud Judæos, postquam paterfamilias bibit, etiam omnes in mensâ præsentes ex eodem benedictionis poculo in communibus conviviis bibunt.

4. Etiamsi Christus nocte post esum agni Paschalis Cœnam celebraverit; inde tamen non sequitur, quod ea à nobis etiam nocte celebranda sit.

5. Christus in S. Cœna usus est linguâ discipulis notâ. Qualibus vestibus Christus fuit indutus quando cœnam administravit? Non phylacteriis, aut fimbriis, aliisve Judæorum ornamentis, inter orandum apud Judæos adhiberi solitis, sed indutus fuit communi veste. *Vide dissert. Buxt. de Cœnâ.*

6. Te-

Digitized by Google

6. Teraphin est vox originis Ægyptiacæ, estque composita, & significat *arcam bovis.* Teraphin conveniunt cum Serapidibus Ægyptiorum, idemque denotant. *1. M. De Idolis V.T.*

7. An Teraphin potuerint fabricari quovis anni & diei tempore? Aff. sed Judæi sine causa hoc negant. An habuerint formam hominis? Hoc videtur affirmandum ex exemplo Micholis. Fabulam redolet quod Elias in Thisbi de fabrica Teraphin refert.

8. Utrum Teraphin dederit responsum ex se; an vero ope diaboli? Ope diaboli. An poterant revera averruncare mala? Ægyptii & Judæi, sed falsò, talem vim illis adscribebant. Quare Rachel furata est Teraphin Labanis? Ne patri ex illorum inspectione innotesceret quâ viâ ingressi essent: nam erant quasi penates quos subinde tanquam oraculum consulebant.

9. Utrum עגל *vitulus* Aharonis, *Exod.* 23. fuerit propriè vitulus; an vero bos? Bos. Quare bovem potius Israelitæ fecerunt, quàm aliud aliquod animal? Hoc didicerunt ab Ægyptiis. Utrum ergo Ægyptii bovem fœminam coluerint; an vero masculum? Utrumque.

10. Magna fuit similitudo inter bovem Ægyptiorum, & bovem Israelitarum. Ægyptiorum proselyti videntur Aharonem incitâsse ad fabricandum illum bovem.

11. Ægyptii, colentes bovem suum, peccârunt contra primum Decalogi præceptum; sed Israelitæ contra secundum. An propter fusionem illius vituli adhuc hodie Judæi habitent in exilio sub jugo Christianorum? Non.

12. An, quia מסכה *fusile* Exod. 32:4. occurrit, inde probetur bovem ponderâsse 125. talenta, quia vox illa numericè totidem denotat? Non. An rubicundæ barbæ Judæorum sint natæ ex potatione bovis sive vituli aurei? Neg. c. Jud.

13. Utrum Baal-Zephon, *Exod.* 14:2. sit idolum; an verò urbs aliqua tali nomine insignita? Idolum.

14. Baal-peor *Num.* 25:3. sive Peor *versu* 18. est idolum, quod cultores vel nudi coluerint, vel quod diductis & reductis labiis osculati fuerint. An hoc idolum fuerit cultum distendendo foramen podicis, & offerendo stercus, uti vult Jarchi? Neg. *Vide suprà dissert.* 44.

15. An, quando Judæus peregrè profectus est, mulier non debeat everrere domum intra horæ spatium? Nugæ. An talis proficiscens, ubi ad quartam circitèr milliaris partem ab urbe abest, obversâ ad eam facie teneatur תפילת הדרך *precationem viæ* orare? Non. An non malè faciant, qui iter ingressuri conjurationibus Angelorum utuntur? Imo. *3. R. De Judæor. itinere & mendicit.*

16. An Judæis liceat sine peccato, quando aggressorem aliquem occiderunt,

Digitized by Google

runt, etiam Christianos præsentes, etiamsi promiserint se non esse homicidium revelaturos, ob metum ne revelarent, occidere? Neg. c. Jud. Caveant ergo sibi Christiani à Judæis.

17. Ridiculum est quod Judæus, iter faciens cum Christiano, qui accinctus est gladio, velit ire ad dexteram ejus; cum eo qui hastam aut baculum gestat, ad sinistram ejus. Item si unà montem ascendant, quod Judæus velit præcedere; si descendant, quod Judæus velit sequi. Quare? Tum ut Judæus minus periculi à Christiano haberet; tum ne Christianus Judæo ullibi esset superior.

18. An olim in V. T. licita fuit mendicatio inter Israëlitas? Non. An ea jam est usitata? Imo. An conditio pauperum Judæorum est melior quàm Christianorum? Non. An Judæus secundùm leges audet publicè à Christiano eleëmosynam accipere? Non. An privatim? Imo. *Vide Synag. Buxt. cap.* 43, 44.

4. J. 19. Quare Veteres Rabbini primam partem V. T. vocarint תורה *Legem*; secundam נביאים *Prophetas*; & tertiam כתובים *Hagiographa*? Resp. ad 1. Quia in Lege continentur præcepta secundùm quæ homines vitam instituere debent. Ad 2. Quia Prophetæ illos libros conscripserunt. Ad 3. Quia Judæi crediderunt eos libros non fuisse traditos per os, sed *scriptos in libro*.

880. 20. Quare secundam partem vocârunt Prophetas, & non potius prophetias? Quia in secunda parte multæ historiæ, quæ propriè non sunt prophetiæ; & in Hagiographis multæ prophetiæ continentur. An hæc veterum Judæorum appellatio in omnibus est laudanda? Non: nam libri Mosis & multi ex Hagiographis etiam sunt scripti à Prophetis.

CAPUT XLV.

1. *H. De Arca fœderis.* *Sect.* 1. AN nomen Jehova tribuatur Arcæ? Non. Utrum Arca, quam Bezaleël (*Exod.* 25.) fecit, sola inter Israëlitas fuerit; an verò præter eam adhuc alia, quam Moses videtur fecisse (*Deut.* 10:1, 3.) quamque Israelitæ secum in bellum eduxerunt? Videtur tantùm fuisse unica Arca.

2. An in Arcâ præter Legis Tabulas etiam fuerint Volumen Legis, Virga Aharonis & Urnula Mannæ? Non. Et contrarium non videtur probari ex epist. ad Hebr. 9:4. *Arca fœderis,* ἐν ᾗ in quâ *erat urna aurea habens Manna, virga Aharonis, & Tabulæ fœderis.* Resp. *In quâ* hic sign. *prope quam, juxta quam*, scil. Arcam.

3. Utrum Levitarum proprium officum fuerit portare Arcam; an verò hoc officium fuerit commune cum Sacerdotibus? Aff. post. Utrum nubes & ignis supra Tabernaculum fuerint res miraculosa; an verò naturalis? Aff. pr.

4. Utrum

Digitized by Google

4. Utrum nubes & ignis fuerint duæ res distinctæ; an verò conjunctæ? Nubi fuit conjuncta, & quasi inclusa species ignis; adeo ut columna exteriùs fuerit nubilosa, & interiùs ignea. Utrum Moses potuerit ingredi Tabernaculum ad loquendum cum Deo, quandocunque voluerit, pro suo lubitu; an vero vocationem Dei exspectare debuerit? Aff. pr.

5. An Arca fœderis in Templo secundo fuerit? Neg. Ubinam illa mansit post primi Templi excidium? Non videtur abscondita à Josiâ vel Jeremiâ in Sancto Sanctorum sub lapide aliquo; sed videtur abducta in Babyloniam cum aliis vasis sacris. An Arca tempore futuri Messiæ est Judæis restituenda? Non. *Vide Exercitationem Bux. de Arcâ.*

6. Per idolum כמוש *Cemosch* Num. 21: 29. intelligitur Saturnus. *2. M. De idolis V.T.*

7. Vox עשתרות *Astaroth* propriè significat gregem vel greges, & 1. *Reg.* 11: 5, 33. sign. imaginem, sive imagines formam ovium habentes, quas pro Deabus coluerunt Tzidonii. Per hoc idolum denotatur Luna, Venus, vel Juno.

8. בעל זבוב *Baalzebub*, 2. *Reg.* 1: 2. denotat *Deum muscæ.* Quare sic vocatur? Quia ab Accaronitis colebatur, ut abigeret muscas, quibus regio illa vehementer infestabatur. Utrum hoc idolum ita fuerit vocatum ab ipsis Accaronitis in honorem idoli; an vero à Judæis in contemptum idoli? Ab Accaronitis in honorem idoli.

9. Unde Accaronitæ mutuati sint cultum hujus idoli? Ab Ægyptiis, qui muscis ob Nili eluviem abundabant, quique propterea tale idolum videntur excogitâsse.

10. Quid significat Beel-zebul *Matth.* 12: 24? *Deus stercoris* vel *stercoreus.* An hoc idolum est idem quod Beel-zebub? Imo. Quare ergo alio insignitur nomine? Hoc nomen in N. T. per contemptum diabolo datur; quasi ille, cui in V. T. putatitium dominium in muscas datur, sit Deus stercoreus, & nullius pretii.

11. דגון *Dagon*, Judic. 16: 23. à דג *pisce* nomen habet, & à parte inferiori usque ad umbilicum repræsentabat piscem, indeque cum parte superiori hominem. Hoc idolum diversimodè fuit cultum.

12. An גד *Gad* Gen. 30: 11. & *Jes.* 65: 11. denotet Idolum sive Numen commentitium? Sic placet Seldeno. *Vide suprà dissert.* 45.

13. An resurrectio in ultimo judicio sit futura universalis respectû locorum & hominum? Respectu locorum concedunt Judæi, sed non respectu hominum; à quibusdam excipiuntur impii, ab aliis intermedii. Menasse ait resurrectionem fore universalem tam piorum, quàm impiorum & intermediorum; non tamen vult eam fore hominum singulorum. *3. C. De Resurr. & Luz.*

Digitized by Google

14. Quot Menasse Ben Israel excipit à futurâ resurrectione? 1. Homines, qui tempore diluvii vixerunt. 2. Sodomitas. 3. Corazitas. 4. Negantes hæc tria, scil. Deum esse, legem Mosis esse divinam, & resurrectionem. 5. Bilham, Doëg, Achitophel & Gehazi.

15. An piorum corpora ita ut impiorum incinerationi erunt obnoxia? Aff. An cadavera piorum integra & incorrupta manent in sepulchro; adeo ut vermes nihil juris habeant in eadem? Neg. An demum horâ unâ, sive brevi ante resurrectionem tempore, omnia corpora piorum in cinerem sint redigenda? Neg. c. Jud.

16. An in spina dorsi sit aliquod ossiculum לוז *luz* vocatum, quod *incorruptibile* est, quodque nec contundi, nec conflagrari, vel ullo *alio* modo perire potest; & quod solum ab omnibus totius corporis partibus supermanet? Neg. An illud ossiculum tempore resurrectionis sit rore quodam cœlesti molliendum & extendendum ad magnitudinem totius hominis? N.

17. An aliquis jam vivat qui novit illud ossiculum *Luz*? Negant ipsi Judæi. An illud ossiculum probetur ex *Psal.* 34: 21. *Custodiens ossa ejus, unum ex iis non est consumptum*? Neg. An aliter non possit explicari, quomodo resurrectio eorundem corporum fiat? Neg.

18. Utrum Deus indituros sit in mortuorum resurrectione *animam* corpori in sepulchro; an verò educto ex sepulchro? Menasse ait, corpori educto ex sepulchro. Sed dicere debuisset, Deum inditurum esse animam corpori formato in sepulchro. An non Menassis sententia benè probetur ex *Ezech.* 37: 12. *Ego aperiam sepulchra vestra, & educturus vos de sepulchris vestris, & dabo Spiritum meum in vobis & vivetis?* N. Vide Hoornb. l. 8. c. 4, & 5.

4. 7. 19. Licitum fuit hominibus aut diluvium carnes comedere, & contrarium non probatur ex *Genes.* 9: 3. Quare quædam bestiæ sub Veteri T. fuerint immundæ? An quia coiverant cum aliis bestiis diversæ speciei; an verò quia fuerunt ex se & naturâ suâ immundæ? Neg. utr. Quare igitur? Quia Deo ita placuit.

900. 20. Prophetiæ, quæ vulgo decem Sybillis adscribuntur, videntur esse suppositititiæ, & ab aliis effictæ.

CENTURIA DECIMA.

CAPUT XLVI.

1. *H. De igne sacro.* Sect. 1. AN ignis descendens tempore Mosis, *Levit.* 9: 24. & tempore Salomonis, 2. *Chron.* 7: 1. consumens super altari holocaustum, adipes & victimas, fuerit ignis miraculosus, & idem? Aff. An etiam idem vel numero vel specie

Digitized by Google

cie cum igne Tabernaculo & Arcæ incumbente & prælucente? Fortè ab illo igne, qui Tabernaculum & Arcam operuit, flamma quædam subitò erupit, & sacrificia altari imposita consumpsit.

2. Utrum ignis ille uterque, postquam in altare descendit, semper miraculosè in eo permanserit; an verò perpetuâ Sacerdotum curâ sit conservatus? Ignis ille cœlestis non videtur conservatus igne materiali, qui à Sacerdotibus quotidie struebatur.

3. Utrum holocausta fuerint imposita igni cœlesti; an vero strui ignis à Sacerdotibus ordinatæ & accensæ? Aff. post. Utrum ea fuerint repentè consumpta igne cœlesti; an verò hâc strue? Aff. pr.

4. An ignis hic cœlestis consumens repentè holocausta fuerit sub Templo secundo? Neg. Quare ignis consumens sacrificia sub Templo primo comparetur à Judæis Leoni, & sub Templo secundo Cani? Quia sub Templo primo holocausta vi ignis cœlestis subitò & penitùs, quasi hœdus à Leone vigilanti & forti, fuerunt absumpta; sub Templo verò secundo eadem, strui à Sacerdotibus accensæ imposita, lentè & sensim veluti à cane pigro & somnolento fuerunt consumpta.

5. Qualia miracula à Judæis circa ignem altaris enumerantur? 1. Quod, etiamsi ignis continuò arserit, non tamen æs altaris fuerit liquefactum, nec lignum combustum; nam altare holocausti erat factum è lignis cedrinis, & ad crassitiem denarii aurei ære obductum. 2. Quod nullæ pluviæ ignem lignorum altari impositorum potuerint extinguere. 3. Quod nulli venti potuerint columnam fumi, ab hoc igne rectà ascendentem, quando oblatio Deo grata erat, ad latera declinare. *Vide Exercit. Buxtorfii de Igne Sacro.*

6. סנהדרין *Sanhedrin* est vox Græcæ originis, descendens ex σὺν & ἕδρα *Sella*; Græcè dicitur συνέδριον vel συνεδρία *consessus*. Act. 22:5. vocatur πρεσβυτέριον *Senatus Ecclesiasticus*. *2. M. De Synedriis Hebr.*

7. Sanhedrin maximum, constans Viris LXXI. est à Mose jussu Dei institutum, *Num.* 11:16, 17. permansit usque ad tempora Christi, & fuit congregatum Hierosolymis in aulâ judiciariâ ex lapidibus cæsis & politis exstructâ.

8. Non de plebe hominum eligebantur Viri τοῦ Sanhedrin. sed nobilissimi, etiam Levitæ & Sacerdotes aliquando allecti fuerunt. Ab his LXXI. Viris nulla dabatur provocatio. Eligebantur impositione manuum, quæ à Judæis ad Christianos descendit.

9 Conditiones, scil. Sapientia, prudentia, justitia, timor Dei, amor veritatis, odium avaritiæ, & non respectus personarum, quas requirit Lex Divina in Judicibus, sunt necessariæ: sed conditiones, quæ requiruntur à

Digitized by Google

Judæis, sunt vel inutiles, vel falsæ, scil. 1. Ut essent liberi ab omni vitio corporis. 2. Ut callerent 70. linguas. 3. Ne essent nimis senes. 4. Nec Eunuchi. 5. Ut essent patres liberorum. 6. Ut essent magiæ periti.

10. Penes hoc maximum Sanhedrin fuit summa potestas Politica. An etiam Ecclesiastica? Imo. An Regem potuerint deponere, aliumque eligere? Imo. An potuerint Pseudoprophetam ad mortem damnare? Imo, & quidem soli. Hinc quia illud Sanhedrin tantùm Hierosolymis fuit congregatum, Lucas ait Prophetam non perire extra Hierosolymam.

11. Majus Sanhedrin, quod constabat Viris XXIII. fuit congregatum in omnibus locis, in quibus plures erant familiæ quàm 120; & judiciis capitalibus, aliisque negotiis aliquo respectu magni momenti dijudicandis præerat. An hic numerus hujus Sanhedrin est determinatus in S. Scriptura? Non.

12. Minimum Synedrium trium virorum erat in omnibus locis, ubi pauciores erant familiæ quàm 120. & in aliis locis tantùm rebus leviculis dijudicandis præerat: scil. judicabat de debitis pecuniariis, de furtis, rapinis, de restitutione dupli, quadrupli, &c. *Vide suprà dissert.* 46.

3. R. De peste. Rabbinor. promot. Pæn. & Juram.

13. Est superstitiosum tempore pestis insolentes characteres, & mira nomina Angelorum, pestilentiæ quasi præpositorum, ædibus, *cubiculis* & hypocaustis inscribere.

14. Judæi circa titulum Rabbi sunt ambitiosissimi, eumque muneribus potiùs ac favore quàm doctrinæ merito consequuntur. An Judæi Hispani habeant sufficientes causas, quare nolint doctos promovere titulis Raf, Rabbi, Morenu, sicuti Judæi Germani facere solent? Non.

15. Privilegia, quæ Rabbinis supra alios Judæos conceduntur, non sunt omnia legitima; scil. 1. Quod sint immunes ab oneribus & contributionibus publicis. 2. Quod alii Judæi non audeant merces suas in foro vendere, antequam Rabbinus suas vendiderit. 3. Quod Rabbino prius jus dicatur, etiamsi alii diutius coram Judicibus exspectârint.

16. Adulteri & homicidæ inter Judæos multo gravius ecclesiasticè puniuntur quàm inter Christianos.

17. Judæi circa juramenta sunt nimis superstitiosi. An necesse sit manum in arcam immittere, ibique super librum Legis ponere, & tum jurare? Non.

18. An benè probetur jurandum esse *apprehensione rei alicujus sanctæ*, quia *Gen.* 24: 2. Eliéser manum suam posuit sub femur Abrahami? Non. An ille Eliéser propriè manum admoverit Circumcisioni? Nugæ. An necesse sit jurantem stare? Non. An juramentum debeat fieri coram parte adversâ?

Digitized by Google

versâ? Non est necesse. *Vide Synag. Buxtorfii capp.* 45, 46, 47, 48.

19. Ritus vivendi Judaici sunt triplices. 1. Quidam sunt fundati in lege Mosis, vel Rabbini putant eos esse fundatos in eâ. 2. Alii ritus eliciuntur ex Lege orali & constitutione antiquorum Rabbinorum. 3. Sunt ritus novelli recentiorum Rabbinorum. Duo priora rituum genera sunt quasi essentialia, & communi consensu recepta, atque ab omnibus observanda. Sed tertium genus variat. Quare recentiores tertium rituum genus excogitârunt? Propter duas causas. 1. Ut lex Divina tantò certiùs observaretur; ideo, ex. gr. ad Sabbathum addiderunt Sabbathulum. 2. Ut Judæi meliùs ab aliis populis discernerentur. 4. 7.

20. Intolerandum est quod Judæi Christianos vocent 1. גוים *gentes*. 2. אדומים *Edomæos*. 3. מינים *hæreticos*. 4. אפיקורוסין *Epicuræos*. 5. כופרים *Negantes, infideles*. 6. אחרים *Alios*, h. e. res abominandas: sic porcus, quasi res abominanda, vocatur דבר אחר *res alia*. 7. בשר ודם *Carnem & sanguinem*. 8. ערלאין *Præputiatos*. 9. כלבים *canes*. 10. כותיים *Chutæos*. 11. עמונים ומואבים *Ammonitas & Moabitas*. 12. עובדי אלילים *Cultores idolorum*. 13. עוורים *Cæcos*. 14. טמאים *Impuros*. 920.

CAPUT XLVII.

Sect. 1. UBi Pontifex consulebat Urim & Tummim? In Sancto Sanctorum. Unde Urim (*ignes, luces*) & Thummim (*perfectiones, integritates*) nomen habent? Ab effectu, quia illuminabant consulentes in rebus dubiis. *1. H. De Urim & Tummim.*

2. Utrum Urim & Thummim denotent nomen Jehova cum certis quibusdam ejus per alia Nomina Divina expositionibus; an verò duodecim gemmas cum inscriptis duodecim nominibus filiorum Israelis? Posterius videtur affirmandum.

3. Quis consulebat Deum per Urim & Thummim? Rex, vel persona alia publica in eminente dignitate constituta, ne auctoritas Divini oraculi evilesceret. Per quem consulebat? Tantùm per summum Pontificem? Ob quæ negotia? Non ob rem particularem, sed ob negotium publicum totius populi. Quomodo hoc oraculum rogabatur? Pontifex stabat facie suâ versus Arcam conversâ, & consulens post eum, facie ad tergum Pontificis obversâ, rogabatque voce submissâ, ex. gr. Ascendamne? &c.

4. Utrum Pontifex responsa acceperit per vocem ex Pectorali editam; an verò per Lapides pectoralis & literas illic inscriptas? Posterius communiter defenditur.

5. An

Digitized by Google

5. An Urim & Tummim fuerint sub Templo secundo? Non. An non sub Templo secundo Pontifex etiam fuerit indutus Pectorali, in quo erant duodecim gemmæ cum inscriptis nominibus filiorum Israelis? Imo, sed non dabantur responsa, sicuti sub Templo primo. An possint dari rationes quare Deus Israelitis hoc extraordinarium in rebus dubiis se consulendi medium concesserit? Imo. *Vide Exercit. Buxtorfii de Urim & Tummim.*

2. M. De pœnis Capital. 6. Quatuor apud Judæos fuerunt supplicia capitalia ordinaria, lapidatio, combustio, decollatio & strangulatio. Lapidatio erat pœna omnium gravissima, & sic deinceps.

7. Cæremoniæ adhibitæ in suppliciis capit. sunt seqq. 1. Judices utebantur deliberatione. 2. Rei collocabantur in loco eminentiori coram Judicibus. 3. Judices & testes imponebant manus suas capitibus damnatorum. 4. Præco præibat, & causam supplicii populo indicabat. 5. Damnatus confitebatur peccata sua. 6. Amarus potus dabatur damnato, ut mens alienaretur. 7. Omnia instrumenta, quibus rei occidebantur, comburebantur. 8. Extra urbem fiebant hæc supplicia, &c.

8. Lapidandus dejiciebatur ex loco altiori ab uno testium, deinde alter testium projiciebat lapidem in ipsum; si moreretur, satisfactum erat legi lapidationis; si verò non, totus Israel eum lapidabat. Hoc probant ex *Deut.* 17:7. Lapidati aliquando etiam suspendebantur. Sepeliebantur in peculiaribus sepulchris, sed non lugebantur.

9. Antequam rei comburebantur, prius ferè usque ad mortem strangulabantur; quod fiebat per infusionem metalli liquefacti in os comburendi. Decollatio fiebat vel gladio, vel securi.

10. Quando in V. T. nulla pœna determinatur, tum Judæi intelligunt strangulationem, h. e. minimam pœnam: ex. gr. *Levit.* 20: 10. *Omnino morte plectitor adulter & adultera.* Atqui *Joh.* 8: 5. de muliere in adulterio deprehensâ dicitur, *In lege nobis præcepit Moses ut tales lapidentur.* Sed illa mulier videtur fuisse viro desponsata, cujus pœna fuit lapidatio. An ergo pœna desponsatarum fuit major quàm adulterarum? Imo. *Vide suprà dissert.* 47.

3. C. De Resurrect &c. 11. An homines, licèt sint sepulti nudi, in resurrectione mortuorum sint resurrecturi vestiti? Et an qui vestiti sepulti sunt, resurrecturi sint iisdem vestibus quibus sepulti fuerunt, uti volunt Judæi? Nugatoriæ quæstiones, ut & illa quâ quærunt, An pii vestibus albis & impii vestibus nigris sint resurrecturi?

12. An sepulti in Palæstinâ omnium primi resurgent? Neg. c. Jud.

Quan-

Digitized by Google

Quantam differentiam temporis constituunt Judæi? Momenti solummodo.

13. Quare Patriarchæ desiderârint sepeliri in Palæstina? Ut ostenderent fidem suam, quam promissionibus Divinis haberent, de terrâ illâ suis suoque semini aliquando futurâ; non ut primi inde resurgerent, uti volunt Judæi.

14. An creatio hominis primò in terrâ Sanctâ facta sit? Infeliciter hoc probat R. Jacob Ben Habib. Et posito quod ita; inde tamen non potest probari homines inde primò esse resurrecturos.

15. An Elias omnium primus suscitabitur ut instantem resurrectionem annunciet? Neg. Et an hoc probetur ex *Mal.* 4: 5. *Ecce ego mitto vobis Eliam Prophetam* &c.? Non.

16. Utrum Eliæ corpus igne ætheris fuerit consumtum, secundùm Kimchi; an verò in Paradyso terrestri vivat, uti statuit Menasse? Negatur utr. An terrestris Paradysus adhuc extet? Non videtur.

17. An primus adventus Messiæ, resurrectio & ultimum judicium incident in idem ferè tempus? Neg. c. Menassen.

18. An Deus post singulos sex mille annos mundum renovaturus sit, usque quo steterit quadraginta novem annorum millia; & tum quasi in suo Jubilæo, omnia in nihilum sit redacturus, uti volunt Kabbalistæ? Neg. *Vide Hoornbeeck c. Jud. l.* 8. *c.* 5, *&* 6.

19. Quid denotat Sabbatum δευτερόπρωτον *secundo-primum*, sive alterum 4. 9.
primum *Luc.* 6: 1.? Denotat septimum diem in festo Paschatis: nam primus dies festi Paschatis erat sacer, uti etiam septimus. *Num.* 28: 18, 25. Judæi hodierni faciunt etiam octavum diem sacrum. Quare ergo vocatur secundo-primum? Vocatur Sabbathum secundum, quia erat secundum respectu Paschatis; sed primum respectu septem Sabbathorum, quæ erant numeranda usque ad Pentecosten *Levit.* 23: 15.

20. An licet lugere defunctorum mortem? Aff. An ita sicuti Judæi? 94a.
Non. Reges Judæorum non solebant egredi post mortui funus. David quidem (2.Sam. 3: 31.) post Abneri funus exivit, sed hoc fuit extraordinarium, ut ostenderet Abnerum se invito esse occisum.

CAPUT XLVIII.

Sect. 1. AN urna Mannæ fuit etiam in Templo secundo? Non. Utrum Manna denotet idem quod מה *quid* interrogativè; an verò idem quòd מן *cibus præparatus* à מנה Aff. post. *1. H. De Manna.*

2. Utrum Manna in deserto fuerit res naturalis; an vero miraculosa?

Miraculosa. Non sequitur, Manna medicinale in multis convenit cum Manna in deserto; ergo fuit res naturalis.

3. An Israelitæ sub Manna gustârint omnes species ciborum & eduliorum quæcunque voluerint, uti asserunt Judæi? Non videtur. An Manna fuit sexaginta cubitorum altitudinis, uti scribit Talmud? Non. Quomodo Manna, servatum ad mane, dicatur primò produxisse vermes, & dein demum putruisse, cum putredo præcedat, & ex eâ vermes generentur? Quia primo visûs sensu deprehenderunt vermes, postea sensu olfactûs fœtorem.

4. An de liquefacto Manna integri rivi & torrentes in agris defluxerint? Fabula. Quomodo Moses mandaverit Aharoni, ut urnam Mannæ reponeret coram Arca; & quomodo Aharon eam illuc dicatur reposuisse, cùm eo tempore nec Arca, nec Tabernaculum extructum fuerit? Hîc est prolepsis sive anticipatio.

5. Quando Israelitæ inceperunt Manna edere? Die 15. mensis secundi (*Aprilis*) ex quo egressi sunt ex Ægypto. Quamdiu comederunt illud? Circitèr quadraginta annos. *Vide Exercit. Buxtorfii de Manna.*

2. M. De pœnis non capit. 6. Pœnæ, inter Judæos, civiles, non capitales, fuerunt quinque. *Prima* incarceratio. *Secunda* restitutio *Exod.* 22. quæ fuit quadruplex. 1. Secundùm idem. 2. Secundùm æquale. 3. Secundùm possibile. 4. Restitutio abundans. *Tertia* fuit Talio, *Deut.* 19: 21. *Exod.* 21. quæ fuit identitatis, ut oculus pro oculo, pes pro pede, &c. vel similitudinis, h. e. pretium oculi pro oculo, &c. An lex præcisè & semper intelligat talionem identitatis? Non. Nam sæpe non potuit habere locum: privatus enim dentibus, ejiciens dentes, non potuit iterum privari dentibus. De quali talione Judæi verba Mosis intelligunt? De talione similitudinis.

7. *Quarta* pœna fuit exilium ad asyla. An præter 6. urbes exilii à Mose & Josua institutas, etiam 42. urbes Levitarum fuerint asyla? Imo. An semper? Non. An cornua altaris etiàm fuerint asylum 1. Reg. 1: 51.? Aliquando. An totum altare? Non, sed tantùm superior ejus pars. Pro quibus? Pro Sacerdotibus ibi ministrantibus. An etiam altare pro voluntariis homicidis fuerit asylum? Nunquam. An etiam suburbia sex urbium fuerint asyla? Imo.

8. An templa, cœmeteria, cœnobia Pontificiorum, item ædes Episcoporum & Deus impanatus sint jure Divino, vel jure legitimo humano justa asyla? Non. An item urbes vel pagi quorundam Magnatum pro furibus vel homicidis jure asylorum gaudere debeant? Minimè.

9. An totus mundus jam sub N. T. debeat esse asylum pro homicidis invo-

involuntariis? Imo. An ullibi in toto mundo debet esse asylum pro voluntariis & furibus? Non.

10. An involuntarius homicida sub V. T. tenebatur fugere ad asylum si læsus statim moreretur? Non. Quis fuit vindex sanguinis? Heres. An vindex sanguinis tenebatur vi præcepti Divini homicidam involuntarium occidere, quando eum inveniebat extra asyla? Sic volunt Judæi; sed nos credimus fuisse arbitrarium. An etiam aliis licitum fuit talem homicidam occidere? Sic placet Judæis, sed non videtur.

11. An commoratio homicidarum in asylis usque ad mortem Summi Pontificis denotabat nostram liberationem à peccatis per mortem Salvatoris nostri? Imo. *Vide suprà dissert.* 48.

12. Expiatio peccatorum, quam Judæi ajunt consistere in propria morte temporali, est miserrima. An possint parentes hereditatem, ex. gr. a filio immorigero ad filium obedientem transferre, & an aliquis possit tanquam testis tali testamento subscribere? Imo. *3. R. De Ægrotis, mortuor. sepulturâ & luctu.*

13. An necesse sit mortuum lugere & deflere per septem dies exemplo Josephi? Neg. Non est necesse, 1. oculos & os mortui claudere. 2. Vultum tegere; adeo ut nullus amplius illum audeat adspicere. 3. Candelam ceream ad caput ejus ponere. 4. Pollicem in manu incurvare, & fimbriis ligare, ut nomen Dei שדי exprimat. 5. Digitos & manus extendere ad innuendum illum defunctum deserere mundum. *Vide figuram sepulturæ suprà, pag.* 381.

14. (6.) Non est necesse abluere cadaver aquâ calidâ, & ovum cum vino permiscere, eoque caput illinere. Ubi hæc ablutio & inunctio fieri solent? Vel domi antequam effertur, vel in cœmeterio in quâdam ædiculâ. Quare abluunt? Ut mortuus esset purus quando peccatorum ratio reddenda erit. 7. Omnia corporis foramina obstruere.

15. (8.) Non est necesse albam illam lineam tunicam induere, quam cum viveret expiationis die induere solebat. An licitum fuit Regem alio vestimento quàm albo sepelire? Neg. 9. Quod mortui inimicus teneatur ad cadaver accedere, & prehenso alterutro pedis pollice delicti veniam petere. 10. Testam in illum, quando ædibus effertur, conjicere, ad denotandum omnem tristitiam cum illo debere domo excedere. 11. Quod proximi amici primam terram aggerere debeant.

16. (12.) Non est necesse post sepulturam magno cum ululatu & gemitu domum repetere, & inter eundum gramen cum terrâ evellere, ac post tergum projicere ad denotandam resurrectionem mortuorum. 13. Humi postea in Synagogâ sedere, de loco in locum subsilire, & septies vel novies sedem mutare. An liceat sepulchrum pridie facere, & duo feretra,

 in

Digitized by Google

in quibus ſunt cadavera, ſuper ſe invicem collocare, etiamſi inferiori non ſit impoſita terra ſex palmorum? Imo.

17. An proximi amici per ſeptem dies teneantur humi nudis pedibus ſedere, ab omni carne & vino abſtinere, per 30. dies ſqualidas veſtes gerere, eaſque non lavare? Non. Ob quot perſonas quis obligatur ad luctûs ſolennitates præſtandas? Ob ſeptem; ob patrem, matrem, filium, filiam, fratrem, ſororem, & uxorem. An Eccleſia Judaica pro defunctis orans benè faciat? Non. An neceſſe ſit, elato mortuo, ad caput lecti per ſeptem dies accendere lampadem propter animam, quæ illuc revertitur? Non.

18. Quare Judæi omnem aquam ex ædibus effundant? Quia credunt Angelum mortis, qui hominem interfecit, cultrum ſuum aquâ, quæ domi eſt, abluiſſe. Nugantur Judæi ſtatuentes dari peculiarem angelum mortis. An mortui omnia ſciant quæ in hoc mundo eveniunt? Neg. c. Jud. An poſt ſepulturam angelus mortis ſedeat ſuper ſepulchro, animam demortui iterum in corpus intrudat, illudque in pedes erigat, & corpus catenâ ferreâ & igneâ duobus ictibus percutiat, &c.? Neg. *Vide Synag. Buxt. cap.* 49.

4. *J.* 19. An neceſſe ſit ſub N. T. veſtes lacerare, uti hodierni Judæi faciunt? Non. Unde origo lacerandi veſtes nata eſt? A Jacobo, qui cum Joſephum à ferâ diſcerptum eſſe exiſtimaret, primus veſtimenta ſua rupiſſe legitur *Gen.* 37:34. An Joſephi cadaver fumo toſtum in aquis Nili ſit tamdiu aſſervatum, donec Iſraelitæ ex Ægypto egreſſi ſunt? Fabula.

960. 20. An non fuit crudeliter actum, mortuo Judæorum Rege, etiam omnes equos enervare? Imo. Quare pedes defunctorum Judæorum & Chriſtianorum præferuntur? Ut contrario modo ex mundo exirent quo in eum ingreſſi ſunt: nam capite utplurimùm veniunt in mundum.

CAPUT XLIX.

1. H. De Petrâ in deſerto.

Sect. 1. AN fuerit eadem petra in deſerto סין *Sin* Exod. 17:1. cum eâ quæ dicitur fuiſſe in צין *Tzin* Num. 20:1.? Non. 1. Prior petra eſt percuſſa in Horeb cum eſſent in Rephidim, altera in Kadeſch. 2. Prior fuit percuſſa anno primo exitûs ex Ægypto, poſterior anno quadrageſimo. 3. Prior vocatur צור *Tzur*, & poſterior סלע *Selah*. 4. Prior ſemel fuit percuſſa, poſterior bis.

2. An quia *Exod.* 17:5. habetur והכית בצור *Et percuties in petram illam*, benè concludatur baculum Moſis fuiſſe ex Saphiro vel Adamante, lapide duriſſimo, habente vim incidendi & penetrandi petram? Neg.

3. An ille baculus habuerit ſingularem virtutem miracula operandi propter

propter inscriptum nomen Jehovah? Non.

4. An Kadesch in deserto צין *Tzin* Num. 20: 1. sit idem cum Kadesch Barneah, unde missi sunt exploratores? Non.

5. Quodnam fuit in specie peccatum Mosis & Aharonis, propter quod ipsis *Num.* 20: 12. denuntiatum fuit, illos non esse ingressuros, nec introducturos Israelitas in terram Canaan? In genere fuit quidem infidelitas, sed Scriptura in particulari non explicat quâ in re, quo in dicto aut facto ea infidelitas fuerit sita. *Vide Exercit. Buxtorfii de Petrâ.*

6. Flagellatio fit vel *virgis*, vel *flagellis*. Extra fines terræ Canaan etiam *fustigatio*, quæ fiebat baculis, fuit usitata. Præter has fuit alia gravior, quæ fiebat Scorpionibus, 1. *Reg.* 12: 11. *2. M. De Flagellat.*

7. Utrum flagellatio fuerit pœna merè civilis; an verò etiam quodammodo Ecclesiastica? Etiam quodammodo Ecclesiastica. Utrum Lex *Deut.* 25: 2, 3. exigat 40. plagas; an verò tantùm 39.? Lex exigit 40. Judæi sæpe solent aliquid addere ad Textum, vel aliquid in eâ mutare. Addunt sabbathulum, interdicunt bibere cum Christianis, & nimis curiosè inquirunt fermentum.

8. Quare Judæi tantùm 39. plagas infligant 2. *Cor.* 11: 24.? Non misericordiæ ergo; neque quia putant legem tantùm exigere plagas 39. sed quia utuntur flagello tribus loris constante, quo tredecim plagas infligunt; & singulas plagas pro tribus ictibus propter tria lora supputant.

9. Quomodo tredecim ictus, & quidem triplices numerant? Citant versum 38. Psalmi 78. in quo tredecim occurrunt voces Hebraicæ.

10. Utrum vestes flagellando exuebantur; an vero rumpebantur? Rumpebantur *Act.* 16: 22. Non stantes sed prostrati in terrâ flagellabantur.

11. An Flagellandus secundùm legem Dei liber evadere debuerit, si se fimo aut obscœno liquore conspurcâsset, antequam 40. plagas passus esset? Non. An secundùm statuta Rabbinorum? Imo. *Vide suprà dissert.* 49.

12. An resuscitati cibo & potu sunt usuri, generationique prolis operam daturi? Neg. c. Menassen. An hæc benè probantur ex exemplis resuscitatorum ab Elia, Elisæo, &c. Vel ex *Jes.* 65: 21. *Et ædificabunt domos*, &c. aut ex *cap.* 66: 10. *Lætamini cum Jerusalaim?* &c.? Neg. Utrum beatitudo piorum post resurrectionem sit futura in terrâ & terrestris; an verò in cœlo cœlestis? Neg. pr. aff. post. c. Menassen. An, postquam pii longo tempore post resurrectionem hic vixerunt, in cœlum, vel paradysum, apud Henochum, vel Eliam tandem sint rapiendi? Neg. *3. C. De Extremis.*

13. An beati post resurrectionem sint adhuc peccaturi? Neg. An hoc non benè probetur ex libero arbitrio, quod beati tum temporis habebunt? Non. An item sint morituri? Neg.

Digitized by Google

14. An animæ separatæ sint in paradyso primorum parentum? Neg.

15. An infernus sit in centro terræ? Nescimus. An sint septem loca inferni, quia infernus septem nominibus Hebraicis in V. T. indigitatur? Non An David, deplorans infaustum interitum Absolonis filii sui, octies iteraverit בני *mi fili*, ut eum è septem locis inferni ereptum, & in paradysum translatum cuperet? Neg. An infernus habeat quatuor portas? Nescimus.

16. An intermedii, qui nec summè impii, nec summè pii fuerunt, tandem post passas pœnas infernales sint ex inferno liberandi? Neg. Vel, An quidam in inferno diu, quidam non adeo diu, & quidam in æternum sint mansuri? Qui semel venerit in infernum, nunquam inde liberabitur. Vel, An omnes, qui descenderunt in gehennam, inde iterum liberabuntur, exceptis tribus, 1. Adulteris. 2. Qui pudore afficiunt socios suos publicè. 3. Qui appellant socios suos cognomine malo aut turpi, uti habetur in Talmude, Tract. baba metzia, fol. 58. b.? Neg.

17. Vel, An damnati mansuri sint tantùm 12. menses in inferno, sex menses ut puniantur frigore, & totidem menses ut puniantur igne? Neg.

18. An animæ impiorum per cruciatus infernales sint annihilandæ, uti vult Maimon? Neg. An diaboli & spiritus mali in resurrectione non sint annihilandi? Neg. *Vide Hoornbeeck. c. Jud. l. 8. c. 7.*

19. Cherem est *destructivum* vel *usuale*; Destructivum fuit in honorem Dei destruendum; adeo ut nullam ex eâ utilitatem percipere licitum fuerit: *Levit.* 27: 29. *Omnis bestia devota, quæ devovetur ab homine, ne redimitor: omnino morte afficitor.* Usuale cherem fuit destinatum ad usum sacrum, & nunquam redibat ad dominum priorem: *Lev.* 27: 28. *Omnis res devota sancta sanctarum est Jehovæ.* Tremellius & Junius in notis addunt: *Est sanctissima, q. d. nunquam ad illum qui devovit eam, aut ad alium ullâ ratione redito; sed penes sacerdotes in perpetuum maneto.*

20. Utrum Achan *Jos.* 7. commiserit anathema destructivum; an verò usuale? Utrumque. Argentum, aurum, & instrumenta ærea aut ferrea erant res sancta Jehovæ, & in thesaurum Jehovæ deferenda *Jos.* 6: 19. sed Achan furando 200. siclos argenti, & lingulam auream 50. siclorum, *c.* 7. *v.* 21. commisit anathema usuale; sed furando togam Babylonicam commisit destructivum: nam toga illa unâ cum totâ urbe in honorem Dei erat destruenda: sed Achan voluit illam togam in proprium suum usum convertere. Utrum peccatum Achanis consistat in eo quod res sacras, vel destruendas, vel in thesaurum Dei deferendas sibi furatus fuerit; an verò in omissione, quod togam actualiter non destruxerit? Aff. pr. neg. post. Nam Achan in particulari non magis tenabatur togam illam comburere, quàm quivis

alius;

alius: ſed debuiſſet eam relinquere, ut cum totâ urbe in honorem Dei comburi potuiſſet.

CAPUT L.

Sect. 1. QUomodo populus *Num.* 21: 5. in murmuratione dicat, *Neque eſt nobis hîc panis, neque aqua*, cum Manna de cœlo, & aquam è Petra copioſam haberent? Volunt indicare ſe hæc tantum per miraculum accipere, & non naturaliter ex terrâ. *1. H. De ſerpente æneo.*

2. Quare Deus Iſraelitas ob hanc murmurationem per Serpentes punivit? Cauſa latet. Utrum Serpentes fuerint naturales; an verò miraculoſi? Neſcimus.

3. Quare Deus pro remedio ſerpentem, eumque aſpiciendum, adhibere voluerit, & non aliud aliquod animal? Ut miraculum eſſet tanto illuſtrius: nam cujus aſpectus aliâs ſolet nocere (ex. gr. aſpectus canis rabidi à quo quis morſus eſt) hîc remedium præbet.

4. Cur Moſes ſerpentem æneum fecerit, cum Deus ſimpliciter dixerit, *Fac tibi ſerpentem urentem*, ſine expreſſione materiæ? Ob ſimilitudinem, quia ſerpentes igniti ſunt rubicundi inſtar æris vel cupri.

5. Quid de iſto ſerpente à Moſe erecto tandem ſit factum? Hiskias contrivit eum 2. *Reg.* 18: 4. Quare? Quia Iſraelitæ ſuffiebant ei. Ergo ille ſerpens, qui oſtenditur à Mediolanis in templo S. Ambroſii non eſt ille, quem Moſes fecerat. *Vide Exercit. Buxt. de Serpente æneo.*

6. An ſub V. & olim ſub N. T. fuerint perſonæ Eccleſiaſticæ, deſtinatæ negotiis Eccleſiaſticis, & diſtinctæ à Politicis? Aff. Vide *Deut.* 17: 12. 2. *Chron.* 19: 8, 11. *Jerem.* 26: 8, 16. *Matt.* 21: 23. & *cap.* 26: 3. *Act.* 20: 28. 1. *Cor.* 12: 28. *Hebr.* 13: 17. *2. M. De perſon. & pœnis Eccleſ.*

7. An ſub N. T. etiam debeant eſſe perſonæ Eccleſiaſticæ, diſtinctæ à Politicis, quibus cura animarum & regimen Eccleſiæ debent committi? Aff.

8. Non ſequitur: Regimen Eccleſiæ fuit penes Moſen, Davidem & Salomonem, Politicos; ergo ſub N. T. etiam debet eſſe penes tales, nam illi etiam fuerunt Eccleſiaſtici, & qua tales Eccleſiam gubernârunt. Samuel propheta (1. *Sam.* 5: 7.) dicitur *omnibus diebus vitæ ſuæ populum judicâſſe.* Inde etiam non ſequitur: ergo perſonæ Eccleſiaſticæ debent judicare populum: nam ille hoc fecit quâ Politicus.

9. Tres fuerunt ſpecies cenſuræ Eccleſiaſticæ inter Judæos uſitatæ, 1. נדוי *ſeparatio* ſimplex, quando quis per 30. dies vel diutius ſeparabatur ab aliorum ſocietate. Judæi ſæpe ob cauſas non ſatis graves quoſdam hâc ſpecie puniverunt, & ſepulchris, intra 30. dies mortuorum, immeritò lapidem grandem

Digitized by Google

grandem imposuerunt, quasi digni fuissent lapidatione.

10. Secunda species est חרם *cherem*, excommunicatio, ejectio ex Synagoga. Ita excommunicatus intrabat templum per viam ad sinistram, vel per aliam portam; dicebatur tamen ἀποσυνάγωγος.

11. Quid significat phrasis illa, sæpe in V. T. occurrens; *Exscindetur anima*, vel *exscindetur homo de medio populi sui?* 1. Non significat abbreviationem dierum. 2. Nec quod morietur sine liberis. 3. Nec quod morietur ante quinquagesimum annum. 4. Vel tertio die morbi sui. 5. Nec denotat annihilationem animæ. 6. Vel abbrevationem dierum respectu corporis, & privationem oblectationis Divinæ post hanc vitam respectu animæ. 7. Vel capitale supplicium. Sed significat ejectionem ex Ecclesiâ in hâc vitâ, & post hanc vitam ejectionem è cœlo. An licitum sit cum tali excommunicato edere? Imo, sed non ita familiariter sicuti cum aliis fidelibus. Nec obstant huic assertioni verba Pauli 1. *Cor.* 5: 11. *Cum ejusmodi ne edatis quidem.*

12. An excommunicatio possit auctoritate Divinâ probari? Imo. Vide *Jos.* 6. *Ezr.* 10: 8. *Nehem.* 13: 25.

13. Tertia species excommunicationis, & quidem gravissima, est שמתא *Schammatha*, quæ adjunctam habet exsecrationem; estque vox simplex, descendens à שמת *excludere, separare*, &c. sed non composita ex שם *dominus* & אתה *venit*.

14. Non est novum quod disciplina Ecclesiastica in Ecclesiâ Christianâ exerceatur: nam Judæi in Ecclesiâ Judaicâ sub V. & N. T. semper eandem exercuerunt. *Vide suprà dissert.* 50.

3. R. *De venturo Judæor. Messiâ.*

15. An adventum Messiæ antecedent decem portenta & mira signa? Non.

16. Decem consolationes, quas Judæi decem illis portentis opponunt, sunt ridiculæ & nugatoriæ. Futurus Messias non celebrabit convivium, in quo mactabuntur. 1. Taurus horrendæ magnitudinis, 2. Leviathan. 3. Fœmella Leviathanis & Vacca. 4. Avis, *Bar Juchne* vocata, cujus ovum quum è nido decidisset, trecentas proceras cedros casu suo dicitur prostravisse, & elisum sexaginta pagos inundâsse. An in hoc convivio apponetur vinum, quod in paradyso à mundi creatione crevit? Nugæ.

17. An Taurus ille & Leviathan inter se pugnabunt? An Messias utrumque confodiet, & choream piis instituet? Neg. An futurus Messias uxorem ducet? An liberos procreabit? Neg.

18. Felicitas Judæorum, quam sibi tempore adventûs Messiæ imaginantur, est explodenda. In quibus consistet ea felicitas? 1. Dominium

in

Digitized by Google

in omnes gentes exercebunt, quæ ipsis ædes & urbes ædificabunt, agros colent, vineas plantabunt. Ipsi pretiosis vestibus amicti ambulabunt instar sacerdotum unctorum, 3. Novus, purus & salubris aër aspirabit. 4. Terra erit maximoperè fertilis. 5. Arbores fructûs præstantissimos proferent. 6. Ubique erit pax, non tantùm inter homines, sed etiam inter feras. *Vide Synag. Buxtorfii cap.* 50.

19. An non oleat superstitionem Judaicam, quod funalia accendantur, & capita, etiam præcipuorum dominorum, detegantur, quando Pandectæ MSS. Romanorum Florentiæ à Monachis in causâ gravi proferuntur? Imo.

20. An mulier innocens, ob suspicionem adulterii bibens potum amarum, *Num.* 5. & sterilis, facta fuerit gravida masculo? Incertum. Utrum facultas illi potui, scil. occidendi mulierem adulteram, fuerit naturalis; an verò miraculosa? Aff. post. Ubi mulier talem potum bibebat? Tantùm Hierosolymis coram Sanhedrin. An eâdem horâ, quâ talis adultera moriebatur, etiam mortuus fuit adulter? & an eadem utrisque evenerunt, uti volunt Judæi? Utrumque est incertum. *Vide figuram mulieris bibentis tale poculum amarum suprà pag.* 381.

יהוה מנת חלקי וכוסי אתה תומיך גורלי׃





INDEX.

Rerum in hoc libro contentarum.

A.

ABen Esra patria, scripta, ætas, &c. 135
Adrammelech nomen idoli: vide Idolum.
Annos quomodo Judæi ordinare & digerere soleant. 236. *& seq.*
—— *Quo pacto incipere eos soleant.* 238
Anni Judæorum quomodo ad æram Christianorum reducantur. 236
De Apide Ægyptiorum idolo, vide Idolum.
Apocryphi libri quâ linguâ conscripti. 22
Asyla apud Judæos. 353
—— *Latior juris asylorum descriptio.* ibid. & 354
—— *An cornua altaris præstiterint confugientibus eò asylum.* 353
—— *Judicium de Asylis hodiernis.* 354
—— *Quibusnam non necesse fuerit casu innoxiæ cædis ad asyla confugere.* 355
Astharoth quale idolum. 355
Azymorum confectio. 271
—— *An juxta exemplum Christi nobis etiam azymis in S. Cœnâ utendum sit.* 272

B.

Baal-zephon utrum sit nomen urbis; an verò idoli? 331
Baal-peor quale idolum fuerit & quo ritu cultum. 332, 333
Baal-zebub in Evang. Beël-zebul. 336
Bath, mensura sacra. 223
Biblia sunt translata in linguam Indicam, & edita nova Cantabrigiæ. 77
—— *Item in linguam Letticam, & impressa Rigæ anno* 1689. ibid.

C.

Cæremoniales leges omnes ad quinque Capi-

Digitized by Google

Capita referuntur. 268

—— *Abrogata sunt.* ibid.

Chaldaica lingua triplex olim dialectus. 50

Cherem excommunicationis Judaicæ species. 365

Chomer, genus mensuræ. 221

Chœnix item mensuræ genus. 222

S. Cœna an durante adhuc convivio Paschali à Christo instituta sit; an verò eo peracto Christus iterum de novo accubuerit. 280

Commentariorum Judaicorum in S. Scripturam quinque genera. 121 &c.

—— *An magnam, vel aliquam utilitatem præstent.* 124. & seq. fusè.

—— *Præcipui inter Judæos Commentatores quinam sint.* 135

Concubinarum juxta leges Hebræorum differentia à veris uxoribus. 186

Corus, genus mensuræ. 222

D.

Dagon Asdodæorum idolum; quæ ejus forma fuerit & quo ritu cultum. 337, 338

Davidis Kimchi patria, scripta, ætas &c. 135

Decollatio inter supplicia Judæorum: contra quos reos potissimum isto pœnæ genere usi fuerint. 349

Drachma quod nummi genus fuerit, & cujus valoris 211

E.

Ecclesia, iisque qui ei præsunt potestatem aliquam competere Ecclesiasticam: idque non solùm in Judaicâ Ecclesiâ, sed etiam sub libertate N. Test. 362, 363. *Ubi & Objectioni respondetur.* 364

Ecclesiastica pœna apud Judæos olim quotuplex. 364

Epha, mensura aridorum 221

Essæi, vel Esseni: vide Hessæi.

Excommunicationis apud Judæos tres species; quæ singulæ ordine explicantur. 364 & seq.

Excommunicatis an licuerit intrare templum. 366

Expiationis dies quo pacto, quibusque ritibus à Judæis observari soleat. 302

—— *In quem finem à Deo institutus sit.* 304

Exscindi ex populo suo, quid significet. 366

F.

Festum Tubarum. 238

—— *Noviluniorum, vide Novilun.*

—— *Paschatis, vide Pasch.*

—— *Tabernaculorum, vide Tabernac.*

—— *Pentecostes, vide Pentecoste.*

—— שמחת תורה. 299

—— *Purim.* 305

—— *Encœniorum.* 306

—— *De die Expiationis, vide Expiatio.*

Digitized by Google

—— *De anno Sabbathico, vide Sabbathum.*
—— *De Jubilæis, vide Jubil.*
Figura Zizith, Mesusa, libri Esthera, Phylacteriorum, &c. 130
—— *Confirmationis matrimonii.* 187
—— *Vestium Sacerdotalium.* 195
—— *Siclorum.* 207
—— *Lucis Sabbathinæ.* 243
—— *Præparationis & coctionis azymorum.* 270
—— *Purgationis vasorum.* 275
—— *Tabernaculi.* 282
—— *Vasorum Templi & Tabern.* 287
—— *Tabernaculorum.* 296
—— *Virorum exeuntium ad radios lunares.* 298
—— *Lætitiæ legis.* 301
—— *Purim.* 305
Flagellatio inter pœnas non capitales apud Judæos usitatissima, est non unius generis. 357
—— *An sit pœna merè civilis.* 358
—— *Quot plagas reo infligant Judæi* ibid. & 363

G.

Gad nomen idoli. 338
Galatinus notatus. 44
Gerah, quod nummi genus fuerit, & cujus valoris. 209
Gomer, genus mensuræ. 220

H.

Herodiani in Historiâ Evangelicâ quinam fuerint. 170
Hessæi, ratio nominis. 149
—— *Cur eorum nulla mentio occurrat in Historiâ Evangelicâ.* 150
—— *Origo istius sectæ.* 151
—— *Præcipua eorum vitæ instituta.* ibid. & seq.
Hin, mensuræ sacræ nomen. 223

I.

Idololatria quo tempore primùm inceperit. 312
—— *Ejus ad certas species & capita reductio.* 314
—— *Nomina generalia idolorum in Script. S.* 313
—— *In specie de Molocho, de nomine, formâ idoli, & quo ritu ipsi sacra facta fuerint.* 316 & seq.
—— *De Asimâ.* 320
—— *De Adrammelech sive Hanammelech.* ibid.
—— *De Nergal: quale idolum, & quo modo cultum fuerit.* 321, 322
—— *De Nisroch.* 323
—— *De Succoth Benoth.* ibid.
—— *De Repban.* 324
—— *De Thammuz.* ibid.
—— *De Teraphin: Etymon vocis.* 326 *forma eorum, & ratio ea consulendi* 327, 328
—— *De Apide, Ægyptiorum idolo, nonnullæ quæstiones moventur.* ibid. & seq.
—— *De Baal-zephon.* 331

Digitized by Google

—— *De Baal-peor.* 332 & seq.
—— *De Camosch.* 333, 334
—— *De Asbaroth.* ibid. & seq.
—— *De Baal-Zebub.* 336
—— *De Dagone Asdodaeorum terriculo.* 337
—— *De Gad.* ibid. & seq.
Ignis antiquitùs apud Persas cultus, quo ritu. 321, 322
Iter Sabbathi quot passuum sit. 229
—— *Origo ejus.* ibid.
Intercalationes apud Judaeos usitatae. 279
Jonathan Uzielides. 40. 54
—— *De ejus Paraphrasi.* 54
Josephus an fuerit Nasiraeus. 164
Jubilaei appellatio & nomen unde 309
—— *Ratio supputandi* 310
—— *In quibus rebus ejus observatio sita fuerit.* ibid.
—— *Causa institutionis, & significatio.* 311
Judaeorum Regimen in quatuor aetates dispescitur. 171 & seq.
—— *Eorum Reges, vide Reges Jud.*
Judicia publica praecipuè capitalia, in populo Judaico, quibus ritibus & caeremoniis olim peracta sint. 346

K.

Kabus, genus mensurae. 220
Keschita, genus nummi. 210

L.

Lapidatio quo pacto peracta fuerit. 248
—— *Quibus reis id genus poenae statutum.* 349
Lethech, mensura aridorum 221
Log, mensura liquidorum. 223
Lotio pedum an communiter à Judaeis in conviviis usurpata. 281
Lucerna Sabbathina. 243

M.

Matrimonia apud Judaeos quibus adhibitis caeremoniis confirmari soleant. 187
Mensium apud Judaeos ratio. 234
Mensura Sacra aridorum. Quid Kabus. 220. *Gomer* ibid. *Sea, Satum.* 221. *Epha.* ibid. *Lethech.* ibid. *Chomer.* ibid. *Corus.* 222. *Choenix.* ibid.
Mensura liquidorum. Log. 223. *Hin.* ibid. *Bathus.* ibid. *Sextarius.* 224 *Metreta.* ibid.
Mensura longitudinis. Digitus, Palmus, Spithama, Passus, Cubitus, Canna sive Calamus, Chebel sive Funiculus. 226 & seq.
Mensura intervallorum. Stadium, Iter Sabbathicum, Miliare. 229 & seq.
Mesusah quid. 130
Mina, nummi genus. 212
De Molocho, vide Idolum.
Monachorum superioribus seculis inscitia & barbaries. 7
—— *Convenientia cum Pharisaeis.* 141

N.

Nasiraus differt à Nazareno. 162
—— *A quibus rebus abstinere debuerit.* ibid. & seq.
—— *Eorum vestitus.* 163
—— *Duûm generum erant.* 164
—— *Quanto tempore votum Nasiraatûs duraverit.* ibid.
—— *Nasiræi longè differunt ab institutis Monachorum.* 165
Nergal nomen idoli, vide Idolum.
Niddui, excommunicationis apud Judæos gradus primus. 364
Nisroch nomen idoli, vide Idolum.
Noviluniorum festum an divinæ institutionis. 264
—— *Ob quas causas institutum* ibid.
—— *Cur per biduum à Judæis celebretur.* ibid.
—— *An à conjunctione lunæ; an verò ab apparatione ejus observatio supputanda sit: diversa ratio supputandi veterum & recentium Judæorum.* 265. & seq.
—— *Quomodo apparitio novæ lunæ in Terrâ Sanctâ olim observata, & indicata fuerit.* 266, 267
—— *In quibus observatio hujus festi solita fuerit consistere?* 267
Nummi sacri, vide pecun. sac.

O.

Onkelos quis fuerit. 47
—— *De ejus Paraphrasi in Pentateuchum quædam annotantur.* 48

P.

Paraphrasis Chaldaica per excellentiam Targum appellatur. 36
—— *Ejus adornandæ occasio.* 37
—— *An quæ hodie adhuc extat sit eadem cum Veteri illâ & primâ, quæ mox à soluta Captivitate Babylon. composita est* ibid. *quando ea composita.* 38
—— *Cur ejus apud Patres rara vel nulla mentio.* ibid.
—— *An extent Paraphrases in omnes V. T. libros.* 39
—— *Magnam & divinam iis tribuunt Judæi auctoritatem.* 40
—— *Fabula ipsorum.* ibid. & seq.
—— *An earum aliquis usus.* 41 47
—— *An corruptæ sint datâ operâ à Judæis.* 43. *Verum injuriâ temporis variis in locis corruptas esse.* 44 & seq.
—— *Num primitùs ab auctoribus fuerint vocalibus & accentibus ornatæ.* 45 & seq.
—— *Paraphrasis Onkelosi, vide Onkelos.*
—— *Targum Hierosolymitanum in Pentateuchum, quo auctore & quando compositum.* 49 & seq.
—— *Targumi tertii in Pentateuchum quis auctor, an Jonathan Uzielides:* 52. *De ista Paraphrasi quædam annotantur.* 54
—— *Paraphrasis Jonathanis, vide Jo-*

Digitized by Google

de Jonathan.
—— Paraphrasis in quinque Megilloth, scil. in Estheram &c. 55 seq.
—— In Psalmos, Proverbia & Jobum. 56
—— Paraphrases istas legendi & ritè intelligendi Methodus. 57 & seq.

Paschatis institutio. 269
—— Ob quas causas. 227
—— Ritus & caremonia in ejus celebratione adhibita. 270 & seq.
—— An Christus ultimum Pascha eodem die cum Judaeis celebraverit. 277 & seqq.

Pecuniæ diversa nomina & appellationes in S. Litteris. 201 & seq.
—— De pecunia sacra. De Siclo. 203. Erat is sacer, vel communis; utriusque valor. 204. &c. Ejus pondus. 208
—— Gerah, quod nummi genus fuerit, & cujus valoris. 209
—— Quid Keschitah. 210. Drachma. 211. Mina. 212. Talentum. 213. Quid Λεπτὸν. 214. Κοδράντης. 215. Ἀσσάριον. ibid. Δραχμὴ. ibid. Δηνάριον. ibid. Δίδραχμον. 216. Στατὴρ. ibid.
—— De nummis Judaicis, quorum mentio apud Rabbinos. 217

Pentecoste, quando ea incipiat, ratio supputandi apud Judaeos. 297
—— Causa institutionis istius festi. 294
—— Ritus & ordo ejus celebrandi. ibid.

Peruschim, vide Commentaria Rabbinorum.

Pharisæi unde sic appellati. 139
—— Quando exorti. ibid.
—— Olim eorum secta honorata fuit. 140
—— Nomina nonnulla postea ludibrio ipsis imposita. ibid.
—— Convenientia Monachorum cum Pharisæis. 141
—— Præcipua eorum vivendi dogmata. 142
—— Vitia præcipua, quibus Christi tempore notabantur. 144

Philo notatus. 27

Phylacteriorum descriptio. 131

Pœnæ capitales apud Judaeos sunt quatuor omnino generum. 348. Ubi & de singulis ordine agitur.

Pœnarum non capitalium enumeratio & descriptio. 351 & seq.

Pontifex Maximus an semper ex familiâ Aaronicâ electus fuerit. 191
—— Penes quos jus eligendi fuerit. 192
—— Ejus unctio. ibid. & seq.
—— Vestes sacræ. 195 & seq.
—— Differentia summi Pontificis à reliquo Sacerdotum genere 198. & seq.
—— An plures unquam simul Pontifices fuerint? 199

Præcepta Noachica quænam? 159

Prophetarum vestitus peculiaris. 163

Pro-

Proselyti, etymologia vocis 155
—— *Trium generum erant.* 156
—— *Quibus caeremoniis initiari soleant.* ibid.
An tempore Salomonis & Davidis facilè admissi sint. 157
—— *Quibus privilegiis gavisi fuerint proselyti justitiae.* 158
—— *Quâ conditione proselyti portae sive inquilini admissi fuerint.* 159
—— *Non permittebatur eis habitare Hierosolymis.* 160
—— *Judaei non magno in pretio habebant proselytos.* 161

R.

Rechabitarum origo & peculiare vivendi institutum. 165
Regimen Judaeorum in quatuor aetates dispescitur. 171. & seq.
—— *An peccaverint Judaei Regem eligendo; & an ista forma Regiminis omni modo fuerit illegitima.* 175
—— *Quo modo Judaeorum Reges electi fuerint.* 176
—— *Ad quaenam attendi solitum fuerit in eligendo Rege.* 178
—— *Inauguratio & unctio Regum.* 179
—— *An fuerint soluti legibus.* 180
—— *An judicari potuerint, & ad verbera damnari.* 181. & seq.
—— *Leges fundamentales Regni,* 183 & seq.
Rephan quale idolum, vide Idolum.
Restitutio in politiâ Judaeorum frequenter usurpata, quatuor generum est. 352

S.

Sabbathum à Judaeis, ex Magistrorum suorum sententiâ, valde superstitiosè observatur; ejus rei varia exempla ex Misna. 240. & seq. & p. 258. & seq.
—— *In deliciis eum diem, prae reliquis, transigunt.* 254. &c.
—— *Qualia opera Lex divina isto die permittat.* 258
—— *Quando Judaei Sabbathum suum incipiant.* 162
—— *De anno Sabbathico, & quae peculiariter tum observanda fuerint.* 308
—— *Cur eum Deus instituerit.* 309
—— *Iter Sabbathicum.* 229
—— *Luces Sabbathinae.* 243
Sacrificia nonnunquam etiam à gentilibus in Templo oblata. 158
Sadducaei unde ita appellati. 145
—— *Auctor istius sectae.* ibid.
—— *Eorum peculiaria dogmata.* 146
—— *Differentia eorum à Samarita-*

Digitized by Google

ritanis. 148
Samaritani quales; eorum origo & instituta. 59
—— *Gravissimum in Judæos odium.* 61, 148
—— *Pentateuchum solum agnoscebant: quare non & reliquos Sacr. libros* 62
—— *Pentateuchus Samarit. duplex.* ibid. & 63
—— *De litteris & dialecto ipsorum quædam annotata.* 65
—— *An ipsorum Pentateuchus sit verus & authenticus Mosis Pentateuchus.* 64
—— *Samar. Pentateuchi errores.* 66, 67.
Sanhedrin à quo institutum. 340. *Quinam ex Israelitis ad id collegium allecti fuerunt* 341. *Ad quænam attendi solitum fuerit in iis qui eligendi erant.* 342. *Ritus confirmationis eorum.* ibid. *Sedes istius collegii, ubi.* 341. *Auctoritas.* 343
Schammatah, excommunicationis apud Judæos supremus gradus. 368
—— *Etymon vocabuli.* 369
Schelomo Jarchi, ejus patria, scripta, auctoritas, ætas &c. 135 & seq.
Scribæ, quorum mentio in S. Litteris, varii generis. 166, 167
—— *An in histor. Evangelicâ distingui debeant à νομικοῖς Legisperitis.* 167
—— *Eorum origo.*
—— *Ex quâ tribu potissimum fuerint.* 169
—— *Eorum peculiaris habitus & vestitus.* ibid.
Sea, Satum; genus mensuræ. 221
Sectiones Legales quo ordine à Judæis legantur. 300
Septuagenarius numerus apud Judæos μυστηριώδης. 12
Septuaginta Interpretes: an tot numero fuerint. 11
—— *Unde origo istius fabulæ.* 14
—— *Quando versionem suam adornârint.* 15
—— *An auspiciis Ptolomæi ea sit procurata.* ibid.
—— *Quid Ptolomæum moverit.* 16
—— *Nomina* LXX. *Interpretum.* ibid.
—— *An fuerint Synedrii Magni assessores.* 17
—— *De* LXX. *cellulis: exploditur ea fabula.* 17
—— *An spatio* LXXII. *dierum ea adornata* 18
—— *An miraculoso adeò consensu, quoad ipsa verba & accentus* ibid.
—— *Utrum totum V. T. transtulerint; an verò solummodo Pentateuchum.* 19
—— *An versio hæc sit infallibilis auctoritatis.* 22
—— *Quo loco ea habita à veteris Ecclesiæ Patribus.* 22. *à Judæis Hellenistis, Gentilibus, aliis-*

Digitized by Google

aliisque. ibid. *à Judæis Hebraistis.* 24. *De jejunio eâ de causâ indicto, & triduanis tenebris Judæorum fabulæ.* ibid.
—— *An tredecim loca in Ptolemæi gratiam immutârint: enumerantur ea loca* 26
—— *An ex textu Chaldaico facta sit translatio.* 27
—— *An ex Textu Samaritano.* 28
—— *An phrasis ejus versionis sit purè Græca.* 30
—— *Ejus errores, & discrepantiæ à textu primigenio.* ibid. & seq. *Causæ, unde tam magna varietas profluxerit.* ibid.
—— *An integra adhuc extet.* 33
—— *An solâ hâc versione Sp. S. in N. T. usus sit.* 34
—— *Quatuor præcipuæ editiones Versionis Græcæ enumerantur, scil. Complutensis, Veneta, Alexandrina & Romana.* 34, 35
Siclus, vide pecun. Sacr.
Stadium, cujus longitudinis. 229
Strangulatio inter pœnas capitales veterum Hebræorum: ergà quæ facinora potissimùm statuta fuerit. 350
Supplicia capitalia quibus ritibus apud Judæos olim peracta. 146, 347
—— *Quatuor omnino generum erant & singulorum descriptio.* 348 & seq.
Synedrium Magnum, vide Sanhedrin.
Synedrium xxiii. *virorum.* 344
Synedrium triumvirale. 345
Syriaca Versio, vide Versio Syr.
Syrorum lingua quomodo aliter appelletur. 74

T.

Tabernaculi structura. 282. & seq.
—— *Ejus vasa & instrumenta.* 287 & seq.
Tabernaculorum festum quando à Judæis fuerit celebrandum. 295
—— *Cur illud Deus instituerit.* 296
—— *Narrantur ritus & cæremoniæ Judæorum in eo celebranda.* ibid. &c.
Talentum, cujus valoris. 213
Talionis lex quo pacto à Judæis explicari ac servari soleat. 352
Talmud constat Misnâ & Gemarâ 91
—— *Est vel Hierosolymitanum, vel Babylonicum.* 92
—— *Ejus divisio in varias partes, Tractatus & Capita.* ibid. & seq.
—— *Ejus Auctores.* 93
—— *Ejus dialectus.* 94
—— *Tractatus Misnæ translati enumerantur.* 95 & seq.
—— *Est Divinæ apud Judæos auctoritatis.* 99
—— *Con*

—— *Continet multa blasphema in Deum.* 101
—— *Præsertim in J. Christum.* 102
—— *Scatet fabulis.* 104
—— *Origo & causæ tot fabularum* 105 &c.
—— *Sæpe tamen sub fabularum involucris res aliæ docentur, suntque ea nihi aliud nisi Parabolæ, quarum usus apud Veteres Hebræos frequens.* 109 &c.
—— *An Talmud abolendum: Historia litis super hac re motæ inter Reuchlinum & Pfeffercornum, Christianæ professionis Judæum.* 115 & seq.
—— *Variæ editiones Talmudis.* 120
Targum, vide Paraphrasis Chald.
Temporis distinctio apud Judæos quænam sit: & quæ apud eos ratio diei, horarum, mensium, anni &c. 231 & seq.
Teraphin, vide Idola.
Thammuz, quale idolum & quo ritu cultum: Vide Idola.
תורה *non semper strictè Pentateuchum, sed sæpe totum V. T. apud Rabbinos notat.* 20

V.

Versiones S. Scr. faciendas esse in linguas vulgares, tum pluribus argumentis tum Patrum exemplo in Veteri Ecclesiâ, probatur. 76
Versio Belgica Vetus unde translata 78
—— *Variæ ejus editiones.* ibid.
—— *Plurimi in eâ errores.* 79, 80
—— *Nova adornandæ necessitas.* 79
—— *Diluuntur cavillationes Adversar. criminantium nos hoc pacto pro beneplacito quotidie immutare S. Scr. & Nova identidem Biblia populo supponere; vel olim saltem in antiq. vers. nos non habuisse veram Script. Et defenditur Institutum nostrum ex praxi ipsorum Pontificior.* 81 & seq.
—— *Esse eam, præ multis aliis versionibus correctissimam.* 83
—— *Ejus Historia narratur. Tempus quo cœpta & absoluta sit. Nomina Interpretum & Revisorum. Leges ipsis in adornando opere à Synodo præscriptæ* 85. & seq.
Versio Germanica Lutheri diversis scatet vitiis. 79.
Versio Græca LXX. Interpretum, vide Septuaginta Interpr.
Versio Syriaca Vet. Test. duplex. 67, 68
—— *Quando ea composita, & quo auctore.* 69
—— *An magni pretii sit, ejus nonnulli errores.* 70, 71
Versio Syriaca N. Test. quo auctore & quando facta. 71

Digitized by Google

INDEX.

—— *Ejus variæ editiones.* 72, 73
—— *An magni pretii habenda.* 73
—— *Ejus translationes in Latinam linguam.* 75
Versio Vulgata, &c. 1
— *Quare sic appellata.* ibid.
— *Quis ejus auctor: an Hieronymus* 2 & seq.
— *Ejus auctoritas: an habenda sit pro authenticâ.* 4. *Decretum Concilii Tridentini eâ de re.* 5. *Causa talis decreti.* 7
— *Multis scatet mendis.* 3. 7. *Causa unde illæ profluxerint.* 9
Vestes Sacerdotales describuntur. 195 & seq.
De Vitulo Aharonis nonnullas quæstiones vide. 329 & seq.
Urim & Tummim quod propriè fuerint. 177
—— *Modus Deum per ea consulendi.* ibid.
Ustio inter pœnas Judæorum capitales: quomodo peracta, & in quos reos. 349


Z.

Zizith descriptio. 129



Digitized by Google





Digitized by Google

Digitized by Google





Digitized by Google


Digitized by Google